

18  
\*  
Am. Survey

1990

1900  
XXVII-8

346

Juandel Rioz nacido en  
~~San Juan de los Rios de San Pedro de~~  
~~San Juan de los Rios de San Pedro de~~

~~de San Juan de los Rios de San Pedro de~~

I O M

D V

~~Acto de San Juan de los Rios de San Pedro de~~



A VCTORE

Don Juan Antonio Calderon

Y habiéndose visto en el presente de los señores Jueces de San Juan de los Rios de San Pedro de

VICTOR

ARTIUM  
CVRSVS  
TOMVS III.

DVOS LIBROS PHILOSOPHI,  
DE ORTV, ET INTERITV,

SEV DE GENERATIONE, ET  
CORRVPTIONE COMPLECTENS,

IVXTA MIRAM ANGELICI PRÆCEPTORIS,  
ET ILLIVS SCHOLÆ DOCTRINAM.

AVCTORE

RR. P. M. F. BONAVENTVRA A S. AVGVSTINO,  
HIERONYMIANO, SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORE  
Iubilato, semel, & iterùm Diffinitore Generali;  
olim Collegiorum S. Antonii de Porta-Cœli Se-  
gantini, S. Hieronymi Abulensis, necnon sui Mo-  
nasterii S. Catharinæ de Monte-Corban Præsule,  
Regioque Concionatore.

EIDEM RELIGIONI DICATVS.

SALMANTICÆ:

Ex Officinâ Mariæ Estevez Viduæ, Typogr. Universitat.

Anno Dñi M. DC. XCVIII.

*habet ad usum fr. Josephus Rodríguez filius Ste. Mariæ Hortory.*

ATRIUM  
CVRSVS  
TOMVS III  
DVOS LIBROS PRIMO ET SECVNDO  
DE ORATIONE ET ALIIS REBUS  
SACRIS ET CIVILIBUS

LIBRVS PRIMVS  
DE ORATIONE

IN NOMINE DOMINI AMEN  
Hic tractatus continet  
libros de oratione et aliis  
rebus sacris et civilibus  
cum collegio S. Antonii de Fontenay  
parisiensis, Henricum Abbatem  
iussu S. Caroli Regis de France  
Regis Castellae et Legionis  
Hic tractatus continet

SALEMAVTE  
Ex Officina Martini Hoesii Viduae Typographi  
Anno Dei MDCCLXXII  
In Civitate Salernitana

# CENSURA

## R. P. MAGISTRI

Fr. IOSEPHI A S. CRUCE IN HIERONYMIANO Deiparæ de Guadalupe  
Salmantino Collegio Vespertinæ  
Theologiæ Cathedræ  
Lectoris,

**J**USSU RR. P. M. Fr. Petri de Bejar ; Ordinis S.P.N. Hieronymi Generalis, duos Libros, quorum Tituli : *Artium Cursus, Tomus certius, duos Libros Philosophi de Ortu, & interitu, seu de Generatione & Corruptione complectens. Artium Cursus, Tomus quartus, tres Libros Philosophi de Animâ comprehendens*, à RR. P. M. Fr. Bonaventurâ à S. Augustino ejusdem Ordinis in Sacrâ Theologiâ Lectore lubilato compositos, eâdem, quâ duos alteros præcedentes, animi voluptate perlegi : nihilque in illis deprehendi, quod Philosophi, & Angelici præceptoris Doctrinam non redoleat. Stylus idem, methodus eadem, brevitatis hîc ipsa servatur : præ ceteris autem perspicuitas. Cùm enim non Magistris, sed Discipulis Auditor hoc Opus in lucem edat, eâ illud lege disposuit, ut facilè tribus possit literatiis Cursibus pertransiri. Judicii quippè trutinâ ponderavit Juvenum,

— — — quid ferre recusent,  
Quid valeant humeri.

*Horat. in Arte Poët.*

unde & plura resecurit, plura omisit, plura contraxit, ne plus justo eorum cervices oneraret : *Ut enim* (inquit Plutarchus de instituen dis liberis Libro) *modicè irrigate aluntur plantæ, nimium suffocantur : animus item laboribus gliscit justis, demergitur enormibus.* Hinc ( quod optatâ jam est expe-

*Plutarchus de instit. lib.*

rientiâ comprobatum) Adolescentes in literis progrediantur, & hâc veluti compendiarîa viâ celerius metam attingunt. quoniam, ut opportunè dixit Hesiodus:

Hesiod.

*Si modico addideris modicum, atque frequentius  
illud  
Feceris, haud dubiè tibi summam excrescet in  
amplam.*

Quarè predictos duos Libros publicâ luce dignos puto. Sic sentio in hoc Deiparâ de Guadalupe Salmantino Collegio, die quartâ Mensis Januarii, anno ab enixâ Virgine millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo.

*Fr. Iosephus à S. Cruce,*



## LICENCIA DE LA ORDEN.

**N**OS el M. Fr. Pedro de Bejar, General de la Orden de N. P. S. Geronimo, aviendo remitido à Personas doctas, y graves de nuestra Orden dos Libros, cuyos Titulos son: *Artium Cursus, Tomus tertius, duos Libros Philosophi de Ortu & Interitu, seu de Generatione, & Corruptione complectens. Artium Cursus, Tomus quartus, tres Libros Philosophi de Anima comprehendens*, que ha compuesto el RR. P. M. Fr. Buenaventura de S. Agustín, Lector Iubilado en Sagrada Theologia: Por las presentes damos Licencia à dicho P. M. para que los pueda imprimir, conformandose en todo con los Estatutos Pontificios, y Regios que deben guardarse en la Impression de Libros. En testimonio de lo qual dimos las presentes firmadas de nuestro nombre, selladas con nuestro Sello, y refrendadas de nuestro Secretario. Dadas en nuestro Colegio de S. Geronimo de Iesús de Avila en siete dias del Mes de Enero de de mil seiscientos y noventa y ocho años.

*Fr. Pedro de Bejar,*

General.

Por mandado de N. RR. P. General

*Fr. Julian Ximenez,*

Secretario General.

APPRO-

## APPROBATIO

RR. P. M. FR. IOANNIS DE MONTALBAN, EX  
 inclytà Prædicatorum Familià, in Salmantinà  
 Vniuersitate Doctõris, ac Vespertinæ Theo-  
 logiæ Cathedræ Moderatoris  
 dignissimi.

**E**X Præcepto D. Doct. D. Joseph Jubero Civitatis & Diœcesis Salmantinæ Vicarii generalis sedulò evolvi, attenteque perlegi duos Libros, quorum alter *Artium Cursus, Tomus tertius, duos Libros Philosophi de Ortu & Interitu, seu de Generatione, & Corruptione complectens*; Alter verò, *Artium Cursus, Tomus quartus, tres Libros Philosophi de Animà comprehendens*, inscribitur Auctore RR. P. Mag. Fr. Bonaventurà à S. Augustino, Hieronymiano, in Sacra Theologià Lectore Emerito, ac Regio Concionatore: idemque de illis iudicium fero, quod de duobus aliis præcedentibus tuli: eundem quippè Doctrinæ ordinem servatum video, eandem in omnibus claritatem, ipsumque delectum Sententiarum, quas Aristoteles Philosophorum Princeps, & Angelicus Doctõr fidissimus illius Affectu tenuerunt. Ubi autem mens utriusque Scholarum Principis latitat, non per avia & devia, qualiter plures (hâc præcipuè tempestate) novas in Philosophiâ Opiniones inquirat, sed per planam tritamque viam incedens, veterum Thomistarum Explanaciones, qui tam Philosophum, quàm Doctorem Angelicum penitus sunt rimati, complectitur. *Neque enim* (prudens Auctõr cum suo inquit Maximo Parente Hieronymo) *nova sic cudimus, vt vetera destruamus*: quamquam in hâc etiam vetustate, sua non desit novitas: quoniam vetera eâ styli claritate coordinat & perstringit, ut nova esse omnia videantur. Quod autem mihi (vt verum fatear) in hoc Opere plus arridet, illud est, quod nimirum Discipulorum capiti sic Doctrinæ facilitas adaptatur, ut & Cursum conficere valeant & profectum, quam aliter conficere non valerent. Illud mihi videor Auctorem Plutarchi monitum ob oculos habuisse: de in Si ut (inquit) qui in vasto æquore faciunt vela, ex tempore ad vici. pro- vim venti Cursum dimetiuntur, prout verisimile est tanto tem- ficere. pore à tantà vectis vi esse confectum: similiter in Philosophiâ con-

*Hieron.  
 in Præf.  
 ad Lib.  
 Salom.*

*Plutarc.  
 de in  
 vici. pro-  
 ficere.*

continuationem & tenorem itineris, qui non sepe mediâ in viâ  
 substituerit, inde denuo impetus & procursum fecerit, & anè  
 & equabiliter porro pergat perpetuò & percurrat per Doctri-  
 nam nusquam incurrendo; conjecturam ceperit sibi sui progres-  
 sus. Opportuniùs tamen illud Lucæ 12. Auctori congruit: Fi-  
 delis Dispensator & prudens, quem constituit Dominus super  
 Familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram. Quem  
 Textum communiter PP. de Doctrinâ, quæ est animæ cibus,  
 intelligunt. Unde illum B. Albertus Magnus sic exponit: Op-  
 portune ( inquit ) distribuenda sunt pabula pro congruentiâ  
 personarum, locorum, ac temporum. Et rationem assignat D.  
 Thomas: Si enim ( ait ) vult dicere verba, quando non com-  
 petis, perdit. Ne igitur noster Auctor Doctrinam perdat, sub  
 certâ mensurâ tribuit, addiscentium captui se conformans.  
 Quare qui Typis mandentur dignissimos præfatos duos Libros  
 existimo. Sic sentio in hoc Protomartyris Salmantino Cœno-  
 bio die quintâ Mensis Januarii, Anno Domini millesimo sexcen-  
 tesimo nonagesimo octavo.

Luc. 12.  
 42.

B. Al-  
 bertus  
 Magn.  
 D. Tho.  
 in cap.  
 14. Ma-  
 th.

*Mag. Fr. Ioannes de Montalban.*

LICENCIA DEL ORDINARIO.

**N**OS el Doctor D. Joseph Iubero, Abogado de los Reales Consejos, Provvisor, y Vicario General en esta Ciudad y Obispado de Salamanca, por su Señoria Ilustrissima el Señor Don Francisco Calderon de la Barca, por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apostolica, Obispo de dicha Ciudad, del Consejo de su Magestad, &c. Por la presente damos Licencia à qualquier Impressor de dicha Ciudad, para que pueda dar à la Estampa dos Libros, cuyos Titulos son, *Artium Cursus, Tomus tertius, duos Libros Philosophi de Ortu & Interitu, seu de Generatione & Corruptione complectens. Artium Cursus, Tomus quartus, tres Libros Philosophi de Anima comprehendens*: compuestos por el RR. P.M. Fr. Buenaventura de S. Agustin, de la Orden de S. Geronimo, Lector de Theologia Iubilado, Predicador de su Magestad: y lo puedan hazer sin incurrir en pena alguna, guardando en todo las Pragmaticas de estos Reynos, que hablan en razon de dichas Impresiones. Dada en la dicha Ciudad de Salamanca à quinze de Enero de mil seiscientos y noventa y ocho años.

*El Doct. Iubero.*

Por mandado del Señor Provvisor:  
*D. Claudio Barrientos.*

CEN-

CENSURA

Reverendissimi P. Magistri Fr. Bernardi Rodriguez Cuellar, Regentis Iubilati in Collegio S. Gregorii Vallis-Oletano, & Qualificationis Inquisitionis Supremæ.

**G**eminum Philosophicum Opus, De Ortu, & Interitu primum, De Anima, & partibus illius alterum à RR. P. M. Fr. Bonaventurâ de S. Augustino elaboratum ex Præscepto Regii Castellæ Senatus, nondum libens, sed & admirans censendam suscepi, qui jam pridem ad imperiû idem, perlegens ejusdem Authoris Librum *De Philosophico auditu*, non parum sum gavissus: *Aliquot enim annis (ut cum Plinio loquar) puro nihil generis ejusdem absolutius scriptum. Etenim (cum Sydenio prosequar) rarus, aut nullus est, cui meditatio, perassidua dispositio per causas, positio per litteras, compositio per syllabas, opportunitas in exemplis, fides in Testimoniis, virtus in Argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis.* Et tamen omnia hæc, & fortunatè, (ut nomen Bonaventuræ præsefert) & sapienter (ut pronomen de S. Augustino lubinuit) in utroque hujus Authoris Opere connectuntur.

Immo quidem. *Et cum hoc sit maximum officium Sapientie (Senecâ contestante) ut ipsa ubique par sibi sit & idem; hoc mirandum se offert in Authore, quod videlicet nedum par sibi quoad ingenium, nedum idem quoad Sapientiam in postremis Libris extiterit, verum quod seipso minor simul & major, semetipsum excefferit.*

Verum enim verò, dum tam in primis, quam in postremis ingeniose mentis suæ Partibus non alium, quam D. Thomæ sensum persentio, non nisi radios Angelici Luminis amteor (ut tantum Parentis Filium condecuit, ut tantæ Matris familiæ Alumno complacuit) quasi si furtive suscepit auris meæ venas susurri ejus, sub dentium, oviumque Gemellis fœtibus metaphorâ, quos Canticum Canticorum plaudit, sic ad rem nostram satis accommodatè cum Catenâ Patrum explicantis pulchritudinem actionum Spiritualium: *Meditationes tuæ, falsis omnibus Opinionibus amputatis, circa veritatem solum immorantur, omnesque Geminos virtutum fœtus tum dictis, tum factis edunt, & sterilis & inutilis cogitatio non est in eis.*

Plin. lib.  
4. Epist.  
27.  
Syden:  
Epist. 7.

Seneca  
Epist. 20.

Job. 4.

D. Tho.  
sup. Cæc.  
4.

Supereſt igitur, ut ad d̄ Perilluſtris Gemellus ſœtus aſcen-  
Cornel. d̄ dat in Montem Galaad, hoc eſt (juxta Vatabli Verſionem)  
Lapide propouant ſe ſpectandos, cernanturque aſcendentes in altitudi-  
citans Va nem Teſtimonii Scripturarum, cujus ſplendoribus collucet.  
tablium Neque enim fas erat, ut quem Familia tanta produxerat, Sen-  
ibid. tentia noſtra in eo corrigendum aliquid inueniret. Sic cum Caf-  
Caſiодо. ſiodoro ſubſcripti, ſaluo meliori iudicio. In Conuentu S. Tho-  
Lib. 9. max Matritenſi die 26. Octobris, Anni Domini 1698.  
Epif. 22.

Mag. Fr. Bernardus Redriguez Cuellar.

---

### SVMA DEL PRIVILEGIO.

**T**IENE el Autor Privilegio de ſu Mageſtad por tie-  
po de diez años, para que ninguno pueda impri-  
mir eſte libro, cuyo Titulo es, *Artium Cuius Tomus III.*  
*duos libros Philoſophi de Ortu & Interitu, ſeu de Genera-*  
*tione, & Corruptione complectens*, como mas largamente  
conſta de dicho Privilegio, deſpachado por ſu Mageſ-  
tad en 2. de Noviembre de 1698. en el Oficio de Don  
Diego Guerra de Noriega, Eſcrivano de Camara del  
Rey nueſtro Señor.

---

### SVMA DE LA TASSA.

**T**Aſſaron los Señores del Real Conſejo eſte Libro à  
ſeis maravedis cada Pliego: el qual tiene treinta y  
cinco Pliegos con Principios y Tablas. Y à dicho pre-  
cio mandaron ſe vendieſſe en Papel, como conſta de  
ſu Original. En Madrid à 15. de Noviembre de 1698.

## ERRATA SIC CORRIGE.

**F**ol. 4. col. 1. lin. 2. 6. Antecedens, lege Antecedens. Ibid. col. 2. lin. 14. consequun-  
ter, lege consequuntur. Fol. 13. col. 1. lin. 16. procedit, lege præcedit. Fol. 16. col.  
2. lin. 34. sub subiecto, lege subiecto. Fol. 17. col. 2. lin. 3. secundum, lege se-  
cundam. Fol. 18. col. 1. lin. 19. qualitas, lege qualitas. Fol. 19. col. 1. lin. 25. Major, lege  
Minor. Ibid. lin. 37. Minor, lege Major. Fol. 27. col. 1. lin. 25. producere, lege produce-  
ret. Fol. 29. col. 2. lin. 33. si, lege sic. Fol. 30. col. 2. lin. 37. dispositio dem, lege dispositio-  
nem. Fol. 42. col. 2. lin. 8. cum non aliter, lege non aliter. Fol. 41. col. 2. lin. 21. dicente,  
lege dicentis. Fol. 53. col. 1. lin. 38. substantiale, lege substantiali. Ibid. col. 2. lin. 2. 1.  
licet causa, lege licet vt causa. Fol. 54. col. 2. lin. 15. affectu lege effectum. Fol. 55. col.  
2. lin. 15. antecedentis, lege antecedentes. Fol. 56. col. 1. lin. 12. variatur, lege varietur.  
Fol. 57. col. 2. lin. 5. procedunt, lege præcedunt. Fol. 59. col. 2. lin. 13. procedunt,  
lege præcedunt. Fol. 60. col. 2. lin. 7. quod id, lege quoad id. Fol. 73. col. 1. lin. 13. ter-  
minatur, lege terminatur. Fol. 76. col. 1. lin. 41. explosio, lege expulsio. Fol. 86. col. 2.  
lin. 16. deudentur, lege denudetur. Fol. 89. col. 1. lin. 31. expressa Div. Thoma, lege ex-  
pressa in D. Thoma. Fol. 91. col. 1. lin. 1. si accidentaria, lege sed si accidentia. Fol. 92. col.  
1. lin. 6. solidate, lege solidante. Fol. 96. col. 2. lin. 30. colorem, lege colorem. Fol. 97.  
col. 1. lin. 22. cadavaris, lege cadaveris. Fol. 101. col. 1. lin. 4. id instanti, lege in instan-  
ti. Fol. 102. col. 2. lin. 19. strictis, lege strictis. Fol. 109. col. 1. lin. 26. propinquus, lege  
propinquum. Fol. 119. col. 1. lin. 10. subiecto, lege sub objecto. Fol. 124. col. 2. lin.  
4. respicere, lege respiceret. Fol. 127. col. 1. lin. 26. non in objectione, lege in depura-  
tione. Fol. 131. col. 1. lin. 26. sola, lege sola. Fol. 133. col. 2. lin. 30. subiecto, lege sub-  
jecti. Fol. 136. col. 2. lin. 38. qualitates, lege qualitates. Fol. 149. col. 1. lin. 2. gradu, vel  
non? lege gradu distinguitur, vel non? Fol. 141. col. 2. lin. 4. Quod, lege Quoad.  
Fol. 143. col. 1. lin. 2. afferentem, lege afferente. Ibidem. col. 2. lin. 2. par aqua, le-  
ge pars aqua. Ibid. lin. 17. reputaris, lege reputari. Fol. 145. col. 2. lin. 9. præcindo,  
lege præcindendo. Fol. 152. col. 2. lin. 5. ratio, lege ratione. Fol. 154. col. 1. lin. 7. alibi,  
lege aliti. Fol. 155. col. 1. lin. 31. per ut conversionem, lege per conversionem. Ibid. col.  
2. lin. 4. & sed, lege sed. Fol. 156. col. 2. lin. 30. frigidam, lege frigidum. Fol. 157. col.  
1. lin. 41. Mam illa, lege Nam illa. Fol. 158. col. 1. lin. 4. sumpta, lege sumptum. Ibid.  
lin. 12. accepta, lege acceptum. Fol. 160. col. 2. lin. 20. arguit, lege arguat. Fol. 174. col.  
1. lin. 4. sed, lege sed. Fol. 180. col. 2. lin. 30. igne, lege in igne. Fol. 186. col. 1. lin.  
10. frigidam, lege frigidum. Fol. 191. col. 1. lin. 19. ex, lege &. Fol. 191. col. 1. lin.  
17. quolibet, lege quolibet. Fol. 197. col. 1. lin. 5. illum, lege illud. Fol. 201. col. 1. lin.  
29. opponunt, lege opponunt. Fol. 202. col. 2. lin. 17. esset, lege esse. Ibid. lin. 19. in quid,  
lege inquit. Fol. 211. col. 1. lin. 1. repetam, lege repetamus. Ibid. lin. 38. priora, lege  
propria. Fol. 213. col. 2. lin. 9. esset, lege esse. Fol. 214. col. 2. lin. 41. substantialis, lege  
substantiales. Fol. 216. col. 2. lin. 7. distinguit, lege distincti. Fol. 216. col. 2. lin. 14. sub-  
stantiales, lege substantialis. Fol. 232. col. 1. lin. 11. erga appositis, lege ergo suppositis.  
Fol. 236. col. 1. lin. 20. Thoma, lege Thoma. Ibid. lin. 24. composito, lege compositio.  
Fol. 237. col. 1. lin. 1. constant, lege constat. Fol. 213. col. 2. lin. 28. post, lege potest.  
Fol. 247. col. 1. lin. 33. omnes, lege omnes.

Ex commissione Supremi Castellæ Senatus vidi hunc Librum inscripti  
Artium Cursus Tomus III. duos Libros Philosophi de Ortu & Interitu, seu de  
Generatione & Corruptione complectens; & demptis his Mendis, suo exem-  
plari fideliter correspondet. Matriti die 15. Mensis Novembris, anno Do-  
mini 1698.

Lic. D. Simon Joseph de Olivares  
& Balcaxar.



INDEX  
QVÆSTIONVM, ARTI-  
CVLORVM, ET §§. QVÆ IN HOC  
TOMO CONTINENTVR.

LIBER I.  
DE GENERATIONE ET CORRVTIONE,  
SIVE DE ORTV ET INTERITV.

QVÆSTIO I.  
PROEMIALIS.

- ARTIC. Unicus. Quodnam sit  
Objectum horum Librorum?  
Fol. 1.
- §. I. Relatis Sententiis, commu-  
nior eligitur, & probatur. *Ibid.*
- §. II. Solvuntur Argumenta. 33
- QVÆSTIO II.  
*De Generatione Substantiali.*
- ART. I. An Generatio substantia-  
lis sit essentialiter mutatio? 8.
- §. I. Quibusdam suppositis, statui-  
tur Conclusio, *Ibidem.*
- §. II. Solvitur unicum Argu-  
mentum. 112
- ART. II. Utrum Generatio sub-  
stantialis sit actio ab alteratione  
præcedenti distincta? 17.
- §. I. Quibusdam suppositis, rela-  
tisque Sententiis, Conclusio  
stabilitur. *Ibidem.*
- §. II. Solvuntur Argumenta. 22.
- ART. III. Quis sit terminis Gene-  
rationis substantialis? 312
- §. I. Sensu Difficultatis explicato,  
Sententiæ referuntur, & duplex  
Conclusio stabilitur. *Ibidem.*
- §. II. Solvuntur Argumenta. 35.
- ART.



ART. IV. Quodnam sit subiectum  
Generationis substantialis? 41. §. IV. Solvuntur Argumenta. 92.  
§. I. Relatis Sententiis, Conclusio  
stabilitur. *Ibid.* QVÆSTIO IV.

§. II. Solvuntur Argumenta. 44.  
ART. V. Utrum dispositiones an-  
tecedentes concurrant ad Ge-  
nerationem? 51. De Alteratione.

§. I. Quibusdam suppositis, duplex  
Conclusio stabilitur. *Ibid.* ART. I. Quid & quotuplex sit Al-  
teratio? 102.  
§. I. Quibusdam prænotatis, statui-  
tur prima Conclusio. *Ibid.*

§. II. Tertia Conclusio stabili-  
tur. 54. §. II. Solvuntur Objectiones 103.  
ART. VI. Utrum accidentia effe-  
ctivè dimanantia à formâ geni-  
ta disponant materiam ad re-  
ceptionem ejusdem formæ? 57. §. III. Statuitur secunda Conclu-  
sio. 104.

§. I. Statuitur Conclusio. *Ibid.* §. IV. Solvuntur Argumenta. 105.  
§. II. Solvuntur Argumenta. 60. ART. II. Ad quænam Prædica-  
menta Intensio, & Remissio ter-  
minentur? 108.

QVÆSTIO III. De Corruptione Substantiali.  
§. I. Quatuor Conclusiones sta-  
tuuntur. *Ibid.* §. I. Quibusdam suppositis, statui-  
tur prima Conclusio. *Ibid.*  
§. II. Duæ aliæ Conclusiones sta-  
tuuntur. 111.

ART. III. Quænam qualitates pos-  
sint intendi & remitti? 112.  
§. I. Quibusdam suppositis, statui-  
tur prima Conclusio. *Ibid.*  
§. II. Argumentis contra præce-  
dentem in Conclusionem occurri-  
tur. *Ibid.* 115.

§. I. Quibusdam suppositis, quadru-  
plex Conclusio statuitur. *Ibid.* §. III. Statuitur secunda Conclu-  
sio. 121.  
§. II. Tres aliæ Difficultates bre-  
viter resolvuntur. 75. §. IV. Solvuntur Argumenta. 122.

ART. II. Utrum in Corruptione  
substantiali detur resolutio usque  
ad materiam primam? 180. ART. IV. Utrum Intensio qualita-  
tis fiat per depurationem à suo  
contrario, vel per corruptio-  
nem qualitatis præexistentis, &  
adventum perfectionis? 124.

§. I. Titulus explicatur, & prima  
Conclusio statuitur. *Ibid.* §. I. Duplex Conclusio stabili-  
tur. *Ibid.*  
§. II. Argumentis contra præce-  
dentem Conclusionem occurri-  
tur. 183.

§. III. Secunda & principalis Con-  
clusio statuitur. *Ibid.* §. II. Solvuntur Argumenta. 127.  
ART.

ART. V. Utrum Intensio qualitatis fiat per additionem gradus ad gradum? 129.

§. I. Statuitur prima Conclusio. *Ibid.*

§. II. Solvuntur Argumenta contra præcedentē Conclusionē. 132.

§. III. Statuitur secunda Conclusio. 136.

§. IV. Solvuntur Argumenta. 138.

§. V. Explicatur quomodò fiat Extensio qualitatis per ordinem ad objectum. 140.

### QVÆSTIO V.

*De Nutritione, & Augmentatione.*

ART. I. An detur Nutritio & Augmentatio, & qualiter in ratione actionis & mutationis distinguantur? 141.

§. I. Dæ Conclusiones statuuntur. *Ibid.*

§. II. Solvuntur Argumenta. 142.

ART. II. An Nutritio sit mutatio continua & successiva? 145.

§. I. Quibusdam suppositis, Conclusio statuuntur. *Ibid.*

§. II. Solvuntur Argumenta. 146.

ART. III. Utrum Augmentatio propriè dicta solis viventibus competat? 150.

§. I. Quibusdam suppositis, statuuntur Conclusio. *Ibid.*

§. II. Statuitur secunda Conclusio. 152.

ART. IV. Utrum vivens toto tempore, quo durat augeatur? 153.

§. I. Difficultas explicatur, & Conclusio stabilitur. *Ibid.*

§. II. Solvuntur Objectiones. 154.

### QVÆSTIO VI.

*De Condensatione & Rarefactione.*

ART. Unic. Quid sint termini Rarefactionis, & condensationis? 156.

§. I. Quibusdam suppositis, & notatis, Conclusio stabilitur. *Ibid.*

§. II. Solvuntur Argumenta. 157.

### QVÆSTIO VII.

*De Actione & Reactione.*

ART. Unic. Utrum omne agens in agendo repatiatur? 163.

§. I. Quibusdam suppositis statuuntur Conclusio. *Ibid.*

§. II. Solvuntur Argumenta. 166.

### QVÆSTIO VIII.

*De Mixtione.*

ART. I. An sit, & quid sit Mixtio? Et ex quibus fieri possit? 169.

§. I. Quibusdam prænotatis, dæ priores Quæsitæ partes resolvuntur. *Ibid.*

§. II. Tertia pars Quæsitæ resolvitur. 172.

ART. II. Quomodò Elementa manent in Mixto? 176.

- §. I. Quibusdam suppositis, prima Conclusio stabilitur. *Ibid.* §. II. Secunda Conclusio statuitur. 180.  
 §. III. Solvuntur Argumenta. 181.

# LIBER II.

## DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE.

### QVÆSTIO I.

#### *De Elementis, eorumque qualitatibus.*

ART. I. Quid sit, & quod duplex Elementum, & quæ primæ qualitates? 184.

§. I. Traditur Elementi Diffinitio. *Ibid.*

§. II. Numerus Elementorum assignatur. 185.

ART. II. Quæ qualitates, & quomodo cuilibet convenient Elemento? 187.

§. I. Utraque pars Quæsitæ resolvitur. *Ibid.*

§. II. Aliæ Difficultates resolvuntur. 189.

### QVÆSTIO II.

#### *De Temperamento Mixtorum, & Reproductione rerum.*

ART. Unic. Quid sit Temperamentum? Quomodo detur? An Qualitates contrariæ possint in eodem subjecto simul esse? Et

res semel extincta reproduci? 193.

§. I. Duæ priores Articuli partes resolvuntur. *Ibid.*

§. II. Duabus aliis Articuli partibus respondetur. 196.

### QVÆSTIO III.

#### *De subjecto accidentium, & principio Individuationis rerum materialium.*

ART. I. Utrum accidentia materialia recipiantur in materia prima, an verò in toto composito? 201.

§. I. Quibusdam suppositis statuitur Conclusio. *Ibid.*

§. II. Solvuntur Argumenta. 206.

ART. II. Quodnam sit principium Individuationis substantiæ materialis? 212.

§. I. Quibusdam prænotatis, prima Con-

Conclusio stabilitur.	<i>Ibid.</i>	231.
§. II. Statuitur, secunda Conclusio.		216.
§. III. Tercia Conclusio Statuitur.		219.
§. IV. Quarta & principalis Conclusio stabilitur.		221.
§. V. Solvuntur Argumenta.		224.
§. VI. Duæ aliz Difficultates ex dictis resolvuntur.		228.

#### QVÆSTIO IV.

### De Essentia, Existentia, & Subsistentia.

#### ART. I. Utrum Essentia, & Existentia in creaturis realiter distinguantur?

§. I. Dicitur quodammodo distinguantur.		231.
§. II. Dicitur aliter distinguantur.		232.

#### QVÆSTIO III.

### De subjecto accidentium, & de specie individui.

ART. I. Quod sit subjectum accidentium.		233.
§. I. Quibusdam suppositis.		233.
§. II. Quibusdam aliis.		234.

#### ART. II. Quod sit individuum.

§. I. Quod sit individuum.		235.
§. II. Quibusdam suppositis.		236.
§. III. Quibusdam aliis.		237.

§. I. Quibusdam suppositis, Conclusio stabilitur.		<i>Ibid.</i>
§. II. Alia Ratio pro nostra Conclusionem statuitur.		234.
§. III. Argumentis contra præcedentem Rationem occurritur.		237.
§. IV. Argumenta contra Conclusionem diluuntur.		245.

#### ART. II. An in eodem composito substantiali dari possint Subsistentia, & Existentia partiales?

§. I. Prima Conclusio statuitur.		<i>Ibid.</i>
§. II. Statuitur secunda Conclusio.		249.
§. III. Solvuntur Argumenta.		252.

§. I. Tardius Elementi Distinguitur.		253.
§. II. Numerus Elementorum.		254.

#### ART. II. Quod sit pars, & quomodo constituitur, & quomodo constituitur.

§. I. Tardius pars constituitur.		255.
§. II. Alia Difficultates resolvuntur.		256.

#### QVÆSTIO II.

### De Tempore, & de Tempore, & de Tempore.

ART. Unica. Quid sit Tempus, & quomodo constituitur.		257.
§. I. Quid sit Tempus.		257.
§. II. Quomodo constituitur.		258.



# LIBER I. DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE,

SIVE DE ORTV, ET INTERITV.

QVÆSTIO I.

PROOEMIALIS.

ARTICVLVS VNICVS.

*Quonam sit Objectum horum Librorum?*

§. I.

*Relatis Sententiis, communior eligitur & probatur.*

**I**N HAC Difficultate quadruplex versatur Sententia. Prima docet Objectum adequatum horum Librorum esse Generatio-

nem, & Corruptionem Substantialem: pro quâ referuntur simplicius, Philoponus, & Boëtius. Secunda asserit, esse Materiam primam prout est mobilis motu substantialis Generationis: quam tenent aliqui Recentiores, quos sup-presso hic nomine referunt PP. Carmel. Complut.

2 Tertia existimat, esse Elementum ut mobile ad formam sub-

stantialem. Hanc defendit Averroës  
1. de Cœlo comment. 3. &  
alii. *Quarta* denique communisque  
Sententia affirmat, objectum adæ-  
quatum horum Librorum esse ens  
mobile motu generationis ad for-  
mam sive substantialem, sive ac-  
cidentalem: licet ens mobile ad  
Formam substantialem sit obje-  
ctum principalitatis: quam pro  
nostrâ Conclusionem statuimus.

3 Probatur primò ex D.  
Thomâ in Procœmio horum Li-  
brorum, ubi postquam docuit,  
Philosophum in lib. 1. Physico-  
rum egisse de motu in communi;  
in Lib. autem de Cœlo, quæ est  
Secunda pars Scientiæ naturalis,  
de motu locali; sic concludit:  
*Restat igitur consideratio de mo-  
tibus aliis consequentibus, qui non  
sunt communes omnibus corpori-  
bus, sed inveniuntur in solis infe-  
rioribus: inter quos principatû ob-  
tinet Generatio, & Corruptio. Al-  
teratio enim ordinatur ad gene-  
rationem, sicut ad finem: qui est  
perfectior naturaliter his quæ  
sunt ad finem. Augmentum etiam  
consequenter se habet ad genera-  
tionem.*

4 Nec obest si dicas, ex  
hoc Testimonio potius inferri con-  
trarium. Si *Alteratio enim ordi-  
natur ad Generationem, sicut ad  
finem: Augmentum etiam conse-  
quenter se habet ad Generationem:*  
ergo de motu alterationis, & aug-  
mentationis non primariò & per se  
agitur in his Libris, sed tantum ex  
consequenti, & secundariò.

5 Non, inquam, obest;  
Primò. Nam, ut optimè hîc ex-  
plicat Mag. Joann. à Sanct. Tho-  
mâ, illa causalis Divi Thomæ,  
*Alteratio enim, &c.* non red-  
dit causam quare in his libris de  
alteratione tractetur, sed qua-  
re alteratio sit motus minus prin-  
cipalis quàm Generatio: & idèd  
non hîc agitur de alteratio-  
ne tantum reductivè, sed tam-  
quam de objecto minus prin-  
cipali.

6 Secundò, Non enim  
id solum, quod principatum ob-  
tinet in aliquâ Scientiâ, est ob-  
jectum illius adæquatum, aliàs  
solum Deus, vel substantia esset  
objectum adæquatum Metaphy-  
sicæ, & sola demonstratio esset  
objectum adæquatum Logicæ: er-  
go ex eo, quòd hîc asserat Di-  
vus Thomas Generationem, &  
Corruptionem primatum in præ-  
dictis motibus obtinere, non be-  
ne inde colligitur, solam Genera-  
tionem, & Corruptionem esse ob-  
jectum adæquatum.

7 Tertiò. Ex eo, quòd  
Divus Thomas hîc doceat Aug-  
mentationem consequenter ad Ge-  
nerationem se habere, malè ar-  
guitur, non pertinere primariò,  
sed tantum secundariò ad hunc  
Tractatum: ergo, &c. Proba-  
tur Antecedens, Nam accidens  
consequenter se habet ad sub-  
stantiam, cum ab ipsa dima-  
net; & tamen à Metaphysicâ  
non attingitur secundariò: er-  
go pariter, quamvis augmentatio-  
nis

nis motus, & alii similes ad Generationem consequantur, ab his Libris non secundariò tantùm attingentur.

8 Quartò. Quamvis Generatio sit finis ad quem alii motus, de quibus hîc descriptur, ordinantur, inde tamen non arguitur solam Generationem esse objectum adæquatum, sed tantum principalitatis horum Librorum: ergo idem quod prius. Probatur Antecedens. Omnia enim, vel ferè omnia, quæ traduntur in Logicâ, ordinantur ad demonstrationem ut ad finem; & tamen non sola Demonstratio est objectum adæquatum Logicæ, sed tantùm magis principale: ergo &c.

9 Secundò probatur Conclusio ratione ex Div. Thomâ citato loco desumptâ. Illud est objectum adæquatum partis alicujus Scientiæ, de quo in illâ parte tractatur, quodque sub objecto adæquato totius illius Scientiæ continetur; sed in hac parte Philosophiæ tractatur de ente mobili motu Generationis, alterationis, augmentationis, & hujusmodi, & tales motus sub objecto adæquato totius Philosophiæ continentur: ergo ens mobile prædictis motibus est objectum adæquatum hujus partis. Major constat inductivè in omnibus Scientiis & habitibus.

10 Minor autem probatur. Nam objectum adæquatum totius Philosophiæ naturalis,

seu Philosophiæ naturalis in communi est ens mobile, vel substantia mobilis motu naturali, ut vidimus 1. Physicorum quæst. 1. articul. 1. sed motus Generationis, alterationis, augmentationis &c. de quibus in hac parte tractatur, sub naturali motu in communi continentur: ergo hujusmodi motus continentur sub objecto adæquato totius Philosophiæ naturalis. Probatur Minor. Illi enim motus sunt naturales, qui naturaliter exiguntur; sed tales motus naturaliter exiguntur, siquidem cum Generationem præcedant, vel subsequantur, non possunt ab aliquo principio non peti: ergo sunt motus naturales; & consequenter sub motu naturali in communi continentur.

§. II.

*Solvuntur Argumenta.*

11 **A**rguitur primò. Illud est objectum adæquatum alicujus Scientiæ, quod per se attingitur à tali Scientiâ, & est ratio attingendi alia; quâ de causâ Deus est objectum adæquatum Theologiæ, quia ipse ratione sui, cetera verò in Theologiâ ratione illius attinguntur; sed ens mobile motu Generationis est quod ratione sui hîc attingitur, alia verò ratione illius: ergo ens mobile motu generationis est ob-

jectum adæquatum hujus partis Philosophiæ. Probatur Minor, Idè enim hîc agitur de nutritione, quia est quædam partialis generatio, & de elementis, quia sunt principia Generationis, & Corruptionis: ergo Generatio est, quæ hîc attingitur ratione sui, cetera verò ratione illius.

12 Confirmatur. Inscriptio alicujus Operis ex illius objecto adæquato desumitur; sed hoc Opus de Generatione, & Corruptio describitur: ergo Generatio, & Corruptio est illius objectum adæquatum.

13 Respondetur concessâ Majore, negando Minorem. Ad cujus probationem distinguo Antecedens, quia est partialis generatio præcisè, nego Antecedens, quia est partialis generatio, & naturalis motus, vel affectio entis mobilis naturalis, concedo Antecedens, & nego Consequentiam. Non enim idè præcisè nutritio pertinet ad hos Libros, quia est quædam Generatio, sicut nec ipsa Generatio idè ad hos Libros pertinet, quia Generatio est, sed quia Generatio est naturalis motus, vel affectio quædam entis mobilis motu naturali. Cùm autem esse motum naturalem vel affectionem entis mobilis naturalis non minus per se competat nutritioni, alterationi, augmentationi, &c. quàm ipsi Generationi; hinc est, quòd neutrum horum ratione alterius, sed omnia ra-

tione sui in his Libris attingantur.

14 Ad Confirmationem respondetur distinguo Majorem, ab illius objecto adæquato præcisè, nego Majorem, ab illo, vel ab objecto principali, concedo Majorem, & Minorem, & nego Consequentiam. Non enim ad inscriptionem alicujus Operis necessariò requiritur, quòd ab illius adæquato objecto desumatur, sed quòd vel ab hoc, vel ab objecto magis principali: siquidem inscriptio ad hoc præfigitur, ut ea, de quibus agitur, innotescant; innotescunt autem, si de principali objecto fit inscriptio, præsertim quando objectum principale cum aliis per se connectitur, ut in præsentì contingit: alteratio namque per se præsupponitur ad Generationem; nutritio verò, & augmentatio per se ad Generationem consequuntur.

15 **A**Rguitur Secundò. Objectum adæquatum hujus partis Philosophiæ est ens mobile medio motu Generationis substantialis; sed ens mobile medio motu generationis substantialis solum est materia prima, in hâc enim tantum Generatio substantialis subjeçtatur: ergo sola materia prima est objectum adæquatum hujus partis Philosophiæ. Probatur Major. Sicut enim Philosophia in comuni respicit ens mobile in communi, ita specialis pars Philosophiæ debet respicere particulare mobile; sed



sed mobile speciale motu Generationis substantialis, quod in hac parte respicitur, est sola materia prima: ergo sola hæc est objectum adæquatum hujus partis.

16 Respondetur negando Majorem. Ad probationem concessa Majore, & Minore, neganda est Consequentia, quæ minimè ex præmissis inferitur. Quamvis enim sola materia prima sit speciale mobile motu Generationis substantialis, cum in illâ tantum hæc Generatio subiectetur; hiæc tamen non colligitur solum motum Generationis substantialis per se ad hunc Tractatum pertinere, esseque illius objectum adæquatum, cum plures alii dentur hic motus naturales per se contenti sub objecto communi Philosophiæ, & ab hac parte per se inspecti, ut satis ex dictis constat. Unde non sola materia prima ut mobilis motu Generationis substantialis est objectum adæquatum hujus partis Philosophiæ.

17 **A**Rguitur tertio. Objectum adæquatum horum Librorum est elementum, vel corpus simplex: ergo non est ens mobile motu generationis substantialis, vel accidentalis. Probatur Antecedens primo ex Philosopho lib. primo de sensu, & sensibili, cap. quarto, Tractatum hunc *Commentationem de elementis* appellante: ergo sentit elementa esse objectum adæquatum horum Libro-

rum. *Secundo* probatur Antecedens, Quia totus fere secundus Liber differit de elementis: ergo signum est elementa esse illius objectum adæquatum.

18 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus primam probationem concessa Antecedenti, neganda est Consequentia. Quamvis enim Philosophus hunc Tractatum *Commentationem de elementis* nuncuparit, eò quòd plura in illo de elementis differuerit; ex hoc tamen non inferitur elementa esse illius objectum adæquatum, sed parziale. Quemadmodum, licet inscribatur *de Generatione, & Corruptione*, non deducitur, quòd Generatio, & Corruptio sint objectum adæquatum, ut supra diximus *num. 14.*

19 **A**Rguitur quarto. Si ens mobile non solum motu Generationis, sed etiam motu alterationis, nutritionis, augmentationis, &c. esset objectum adæquatum hujus Libri, sequeretur primo, objectum hujus partis Philosophiæ magis abstrahere, quàm objectum adæquatum totius Philosophiæ; hoc autem est falsum, ut constat: ergo &c. Probatur Sequela. Quia objectum adæquatum totius Philosophiæ naturalis non est ens mobile abstrahens à substantiali, & accidentali, sed præcisè ens mobile substantiale; sed, juxta nostram Sententiam, ens mobile, quòd est objectum hujus partis, abstrahit

à substantiali & accidentali: ergo sequitur objectum hujus partis magis abstrahere, quàm objectum totius Philosophiæ.

20 *Secundò* sequitur, motus nutritionis; & augmentationis ad Libros de Animâ non pertinere; hoc etiam est falsum: ergo &c. Major constat, Quod enim ad unam partem Philosophiæ pertinet, non spectat ad alteram; sed juxta nos, prædicti motus pertinent ad hos Libros: ergo ad Libros de Animâ pertinere non possunt. Minor, seu falsitas Consequentis sic probatur. Nam motus nutritionis & augmentationis sunt vitales: ergo ad Libros de Anima debent pertinere.

21 Respondetur negando Sequelam. Ad cujus probationem concessâ Majore, dist. Minorem, abstrahit à substantiali & accidentali terminativè, concedo Minorem, subjectivè, nego Minorem, & Consequentiam Objectum enim hujus partis Philosophiæ est ens mobile abstrahens à substantiali, & accidentali terminativè, hoc est, abstrahit ab hoc, quòd motus Generationis ad substantiam, vel accidens terminetur: non autem abstrahit à mobili substantiali, & accidentali subjectivè, id est subjectum, quod movetur motu generationis, est substantiale: quamvis tale subjectum quandoque ad substantiam, quandoque verò ad accidens moveatur. Quare objectum hujus partis Philosophiæ

non magis abstrahit, quàm objectum Philosophiæ in communi, sed hoc potius magis abstrahit: ens enim mobile substantiale prout est objectum Philosophiæ in communi radicat non solum motus Generationis, alterationis, nutritionis, & augmentationis, qui ab hâc Philosophiæ parte respiciuntur, sed etiam plures alios, de quibus in aliis Philosophiæ partibus disseritur, quales sunt motus localis, de quo in Libris de Cælo, & motus vitalis, de quo in Libris de Animâ disputatur.

22 Ad secundum inconveniens, quod nititur Argumentum ex nostrâ deduci Sententiâ, respondetur distinguendo Majorem, sequitur, motus nutritionis, & augmentationis, ad Libros de Animâ non pertinere secundum quòd de illis in hâc Philosophiæ parte tractatur, concedo Majorem, sub aliâ ratione, nego Majorem, & distinguo Minorem, est falsum quòd idem secundum idem ad diversam Philosophiæ partem attineat, concedo Minorem, secundum diversam rationem, nego Minorem, & Consequentiam. Quòd enim idem secundum diversam rationem ad diversam partem ejusdem Scientiæ, vel ad diversam Scientiam pertineat, non inconvenit, ut docet Divus Thomas 1. 2. quæst. 54. articul. 2. ad 2. & apponit exemplum in hâc Propositione, *Terra est rotunda*, quæ per diversum

sum medium attacta ad Philosophum, & ad Astrologum pertinet. Motus autem nutritionis & augmentationis sub diversâ ratione hic, ac in Libris de animâ attingitur: hîc enim de illis agitur quatenus sunt motus corruptivi, vel conservativi, in Libris verò de Animâ quatenus sunt motus vitales.

23 Pro complemento hujus Articuli animadvertendum est primò, Corruptionem per se pertinere ad hunc Tractatum. Tum, quia de Corruptione inscribitur. Tum etiam, quia contrariorum eadem est ratio & disciplina; corruptio autem Generationi, quæ per se ad hunc Tractatum pertinet, contrariatur. Tum denique, quia licèt corruptio sit contraria, & quasi violenta formæ: non tamen est contraria & violenta, sed naturalis, conformisque materiæ: quod sufficit, ut motus Corruptionis sit

absolutè naturalis; proindeque ad hunc Tractatum per se pertinet.

24 Secundò animadvertes, quòd licèt hi Libri, juxta Translationem antiquam, de Generatione, & corruptione inscribantur, secundùm Versionem verò Francisci Vatabli de Ortu, & Interitu proferuntur. Quamvis autem secundùm communem loquendi modum indifferenter utraque Inscriptio accipiatur, antiqua tamen est opportunior, & germanior. Generatio enim tam viventibus, quàm non viventibus convenit: Ortus verò improprie non viventibus adaptatur. unde melior est Inscriptio de Generatione, & Corruptione, quàm de Ortu, & Interitu, illa siquidem est communior, proindeque omnia, de quibus hîc agitur, comprehendens.





## QVÆSTIO II.

### DE GENERATIONE SVBSTITIALI.

#### ARTICVLVS I.

### *An Generatio substantialis sit essentialiter mutatio?*

§. I.

*Quibusdam suppositis, statuitur  
Conclusio.*

25 **S**upponendum est primo, dari Generationem substantialem. Quod constat, Tum experientiâ. Tum etiam ex dictis Libro I. Physicorum Quæst. IV. Articul. II. ubi ostendimus plurimas formas educi de potentiâ materiæ, quod idem est, ac generari. Tum denique Nam appetitus naturalis nequit ad impossibile terminari, aliàs frustra esset inditus à naturâ; sed vivens perfectum naturaliter appetit generare sibi simile: ergo datur generatio substantialis. Probatur Minor. Nam vivens perfectum naturaliter appetit perpetuari in suo esse; sed hoc in se ipso consequi nequit, cum aliquando corrumpatur: ergo naturaliter appetit generare sibi simile, ut in illo

saltem quoad speciem conservetur.

26 **S**ecundo supponendum est, Generationem communiter sumptam, prout scilicet abstrahit à substantiali, & accidentali (nam accidens etiam potest generari) sic optimè definiri: *Est transitus, seu mutatio de non esse ad esse in subjecto, sive tale esse sit substantiale, sive accidentale, sive habeat esse secundum quid, sive simpliciter.*

27 **T**ertiò supponendum est, Generationem minus generaliter acceptam, quatenus nimirum est substantialis, abstrahens tamen à Generatione viventium, & non viventium, hoc modo definiri: *Est acquisitio, seu mutatio formæ substantialis à non esse illius in materiâ.* In quâ definitione per *ly in materiâ* Generatio substantialis à Generatione abstrahente à substantiali, & acci-

accidentali distinguitur : cuius subjectum modò est totum compositum, modò materia prima nudè sumpta, juxta diversitatem formæ substantialis, vel accidentalis per Generationem attactæ.

28 Quartò supponendum est, Generationem substantialem prout ad Generationem viventium coarctatur dupliciter definiri, communiter nimirum, & propriè: communiter quidem hoc modo: *Est processio viventis ab aliquo: in quâ comprehenditur Generatio viventium univoca, ut quando unum animal aliud generat; & æquivoca, ut quando animal à Cælo vel Sole generatur. Propriè verò accepta Est origo viventis à principio vivente conjuncto, in similitudinem naturæ.*

29 Per illam particulam à principio vivente conjuncto distinguitur Generatio viventium à Generatione non viventium: etenim non viventia, quæ generantur, non sunt principio generanti conjuncta, ut constat in igne genito, qui igni generanti substantialiter non jungitur, sed tantum juxta apponitur. Viventia verò genita intrinsecè principio generanti junguntur, ex illo enim accipiunt materiam, quâ formantur.

30 Illa particula in similitudinem naturæ debet intelligi de similitudine in naturâ specificâ, & non sufficit similitudo in

naturâ genericâ. Quare unus homo propriè dicitur ab alio genitus, quia illi evadit similis in naturâ specificâ: vermes autem, qui in animalibus reperiuntur, non propriè ab illis generantur, quia dumtaxat procedunt similes in naturâ genericâ. Idem de capillis & unguibus ob defectum ejusdem specificæ similitudinis est dicendum.

31 Notandum est autem hujusmodi similitudinem in naturâ specificâ debere genito ex vi processiois convenire: si enim concomitanter tantum vel identicè specifica similitudo conveniat, non erit Generatio illa processio. Quâ de causâ licet Spiritus Sanctus sit similis in naturâ Patri & Filio, quia tamen non est similis ex vi processiois, procedit enim per voluntatem, quæ non est assimilativa; ideo à Patre & Filio non dicitur genitus, sed procedens. His igitur præsuppositis, circa principale Quæsitum

32 Prima Sententia docet Generationem substantialem non esse essentialiter mutationem. Quam tenet Zanardus, PP. Carmelitæ Complutenses, Collegium Complutense Div. Thomæ, & plures ex PP. Societatis. Secunda per oppositum asserit esse essentialiter mutationem. Sic Bañez, Magist. Joannes à S. Thomâ, Prado, Lerma, & alii tam intra, quam extra Scholam Div. Thomæ.

23. *Nostra Conclusio est, Generationem in comuni, seu in totâ suâ latitudine acceptam esse essentialiter mutationem, vel transitum de non esse ad esse. Probat-ur primò ex Philosopho 8. Physi- corum textu 62. dicente, quòd Generatio est mutatio de non ente in ens: & in hoc Libro, cap. 4. docet, quòd Generatio est mutatio totius in totum nullo subjecto sensibili manente: & cap. 5. ejusdem Libri asserit, quòd Generatio substantialis est mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu. Idem docet D. Thomas locis cita- tis, & 1. p. quest. 27. art. 2. in corpo- re, ubi sic ait: Generatio nihil aliud est, quàm mutatio de non esse ad esse.*

34. Secundò probatur ra- tione. Generatio est essentialiter tendentia ad terminum ad quem ut alicui subjecto communicandum: ergo essentialiter respicit aliquem terminum à quo. Patet Conse- quentia. Implicat enim tendentia ad terminum ad quem aliquem terminum à quo essentialiter non respiciens. Sed tendentia, vel tran- situs de termino à quo ad termi- num ad quem alicui subjecto com- municandum est essentialiter mu- tatio, cum uno pereunte, alterum acquiratur, eodem subjecto remanente: ergo Generatio in commu- ni essentialiter est mutatio.

35. Confirmatur primò. Si propter aliquam rationem Gene- ratio nõ esset essentialiter mutatio, maxime quia aliquando contingit

absque privatione tempore præce- dente in materiâ; at sine privat'one tempore præcedente in materiâ potest mutatio reperiri: ergo Ge- neratio essentialiter est mutatio. Consequentia constat. Major con- ceditur à Contrariis. Minor verò probatur. Id enim, quo indifferen- tia, potentialitasque materiæ ad actum reducitur, materiam ipsam necessariò transmutat; sed in in- stanti Generationis per educio- nem formæ ex potentialitate mate- riæ, indifferentia, potentialitasque materiæ ad actum reducitur: ergo absque privatione tempore præce- dente in materiâ potest reperiri mutatio.

36. Confirmatur secundò. Nam Generatio pro priori naturæ ad formam actuat materiam, ip- sam relinquens in potentiâ ad for- mam; sed nil amplius ad mutatio- nem requiritur: ergo Generatio essentialiter est mutatio. Probat'ur Major, Quia Generatio est via & tendentia ad formam; sed via & tendentia ad aliquem terminum, actuat subjectum, ipsumque relin- quit in potentiâ ad terminum: ergo Generatio pro priori naturæ ad formam actuat materiam, ipsam- que relinquit in potentiâ ad for- mam. Probat'ur Minor, Motus enim ut abstrahit à successivo & instan- taneo nihil aliud est quàm Actus entis in potentiâ secundum quòd in potentiâ, ut vidimus Lib. III. Physicorum: ergo &c.



§. II.

*Solvitur unicum Argumentum.*

37 **C**ontra nostram Conclusionem & rationem illius unicum est & satis difficile Argumentum, quod sub hâc formâ proponitur. In eodem instanti temporis, quo ponitur Generatio, ponitur etiam forma, ad quam tendit: ergo ita actuatur subjectum, ut illud in potentiâ ad formam non relinquat. Antecedens constat. Consequentia verò probatur. Implicat enim subjectum simul esse in potentiâ, & in actu respectu ejusdem termini; sed si in eodem instanti, in quo est Generatio & forma, ad quam tendit, est etiam subjectum in potentia ad talem formam, idem subjectum simul est in potentiâ & actu respectu ejusdem termini: ergo Generatio ita actuatur subjectum, ut illud in potentiâ ad formam non relinquat.

38 Respondetur distinguendo Antecedens, ponitur etiam forma pro posteriori naturæ, concedo Antecedens, pro eodem naturæ instanti, nego Antecedens, & Consequentiam. Ad cujus probationem distinguo Majorem, implicat subjectum simul esse in potentiâ & actu respectu ejusdem termini simultate temporis & naturæ, concedo Majorem, simultate tantum temporis, nego Majorem, & sub eâdem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Ut enim ali-

quid simul sit in actu & in potentiâ respectu alicujus formæ; requiritur, quòd toto instanti reali careat illâ, eâque non informetur, eò quòd verbum est amplectitur totum instantans. Cùm autem in instanti Generationis materia actuatur per formam, non potest verificari materiam simul esse cum formâ, & completè in potentiâ ad illam: verificatur tamen materiam ut tendentem per generationem ad formam, pro illo priori esse, vel intelligi in potentiâ ad talem formam, quam pro illo priori tantum habet *in fieri*, pro posteriori verò *in facto esse*.

39 Dices. Prioritas naturæ inter Generationem & formam non sufficit, ut materia per Generationem actuata relinquatur in potentiâ ad formam: ergo neque ut per formam transmutetur. Probatur Antecedens. Subjectum existens in potentiâ ad formam debet esse privatum tali formâ prout est in potentiâ ad illam; sed prioritas naturæ inter Generationem & formam non sufficit, ut materia quatenus per Generationem actuata sit sub privatione formæ: ergo &c. Probatur Minor. Prioritas illa non tollit coexistentiam Generationis & formæ pro eodem instanti reali; sed cum coexistentiâ utriusque pro eodem instanti reali non compatitur privatio formæ in materiâ Generatione actuata, aliâs in eodem instanti reali coexistentem simul in materiâ forma, & privatio formæ, quod repugnat: ergo &c.

40 Respondetur distinguendo Antecedens, non sufficit ut relinquatur in potentia ad formam pro aliqua duratione reali, concedo Antecedens, pro aliquo instanti intelligentiæ aut rationis, nego Antecedens. Ad cujus probationem dist. Majorem, debet esse privatum tali formæ, si sit in potentia ad illam pro aliqua duratione reali, concedo Majorem, si tantum sit in potentia pro aliqua duratione rationis, nego Majorem, & concessa Minore, nego Consequentiam.

41 Dupliciter enim potest aliquid esse in potentia ad aliquam formam: Vel ita ut tempore antecedenti ad illius receptionem fuerit in potentia ad illam: & hoc modo semper requirit privationem formæ. Vel potest esse in potentia ad talem formam prioritate tantum naturæ, ita ut pro tali priori sine illa intelligatur: & quod sic existit, privationem formæ non exposcit. Cum autem Generatio hoc tantum secundo modo relinquat subjectum in potentia ad formam, privationem talis formæ non exigit, sed excludit.

42 Replicabis: mutatio est transitus de non esse ad esse; sed in illo instanti reali, quo ponitur Generatio, nequit esse transitus de non esse ad esse: ergo neque mutatio. Probatur Minor. In illo instanti Generationis nequit esse simul esse & non esse formæ: ergo neque transitus de non esse ad esse; ubi namque esse & non esse non datur,

neque transitus de non esse ad esse reperitur.

43 Respondetur concessa Majore, distinguendo Minorem, nequit esse transitus de non esse ad esse pro eodem instanti, concedo Minorem, pro tempore instans Generationis antecedenti, nego Minorem. Ad cujus probationem distinguendum est Antecedens, & Consequens distinctione Minoris, negandaque Consequentia. Ad transitum enim de non esse ad esse non requiritur quod utrumque pro eodem instanti reali coexistat: quod in omnium Sententia admitti debet, ne duo contradictoria simul vera concedantur; sed sufficit quod in tempore antecedenti introductionem formæ antecesserit non esse illius in materia: sic enim verificatur *Nunc est, & immediate ante non erat*: qui est modus inceptionis formarum generabilium.

44 Sed insurges. Ergo licet ad Generationem non requiratur privatio formæ in materia pro instanti reali Generationis, requiritur saltem pro tempore antecedenti & immediato Generationis instanti. Patet Consequentia. Ut enim in tradita Solutione concedimus, non esse formæ debet præsupponi in materia tempore antecedenti & immediato Generationis instanti; non esse autem formæ nil est aliud, quam talis formæ privatio. Sed datur aliqua Generatio, in qua non præcesserit materia sub privatione formæ: ergo Ge-



Generatio non est essentialiter mutatio. Minor subsumpta probatur. Quando enim species Sacramentales corrumpuntur, & vermes generantur, in eodem Generationis instanti vel materia creatur, vel quantitas panis in materiam convertitur: ergo tunc materia non præcedit tempore privata formâ.

45 Respondetur concedendo Consequentiam, & negando Minorem sumptam. Ad cujus probationem concessio Antecedenti, dist. Consequens, materia propria non procedit, concedo Consequentiam, non præcedit substitutum illius, nego Consequentiam. Licet enim ante instans Generationis non præcesserit materia informanda per formam vermum, materia namque in ipso Generationis instanti tunc creatur; præcessit tamen quantitas vices materiæ generans, & sub privatione formæ, ac si esset materia, præexistens.

46 Urgebis. Privatio formæ in illo subjecto recipitur, quod per Generationem transmutatur, & à non esse formæ ad esse illius evehitur; sed subjectum, quod per Generationem transmutatur, & à non esse formæ ad esse illius evehitur, non est quantitas, quæ tempore antecedenti supponitur, sed materia, quæ in ipso Generationis instanti creatur: ergo in prædicta Generatione vermum illa privatio formæ non supponitur, quæ ad mutationem Generationis exigitur.

47 Respondetur dist. Ma-

jorem, si subjectum transmutatum, tempore præcedat Generationem, concedo Majorem, si in instanti Generationis creatur, nego Majorem, & omisâ Minore, nego Consequentiam. Ut enim subjectum transmutetur, sufficit quod transeat, à non esse formæ, tali non esse vel in proprio subjecto, vel in substituto illius existente. Cum autem, licet non præcedat materia, quæ est proprium subjectum privationis formæ, præcedat tamen quantitas, quæ est materiæ substitutum, substitutum verò & principale, etsi realiter distinguantur, pro eodem munaliter usurpentur; hinc est, quod ut materia transmutetur, sufficit quod privatio & non esse formæ in quantitate, quæ munaliter est materia ipsa, præcesserit.

48 Diximus, *Omissa Minore*, Quia ut vidimus Lib. I. Physicorum, Quæst. II. Art. II. §. III. simile solventes Argumentum, Quantitas est subjectum talis privationis, subsequensque formarum: ubi Objectionibus, quæ contra hanc Solutionem fieri possunt, satis superque occurrimus, quamvis oppositum sit etiam in viâ D. Thomæ probabile.

49 Sed instabis. Nam ut docuimus eodem Lib. I. Physicorum, Quæst. IV. Art. IV. formæ Cælorum & Elementorum potuerunt educi ex potentiâ materiæ transmutatæ; sed tunc casus nulla privatio formæ præcessisset neque in materiâ, neque

in aliquo ejus substituto : ergo dabilis est aliqua vera Generatio, quæ privationem formæ in materiâ, vel in aliquo ejus substituto non supponat.

50 Respondetur concessâ Majore & Minore, distinguo Consequens, quæ privationem formæ non supponat, si talis Generatio fiat virtute agentis increati, concedo Consequentiam, creati, nego Consequentiam. Licet enim Generatio, quæ fit virtute agentis creati semper supponat formæ privationem vel in materiâ, vel in aliquo illius substituto, eò quòd agens creatum nil producit nisi ex præsupposito subjecto; Generatio tamè facta virtute agentis increati præcedentiam privationis formæ in materiâ non requirit, cum possit ex nullo præsupposito subjecto producere quidquid velit.

51 Sed urgentius adhuc instabis: Ergo dabilis est aliqua Generatio, quæ privationem formæ in materiâ non supponat: ergo Generatio non est essentialiter mutatio. Prima Consequentia constat ex Solutione datâ. Secunda verò probatur. Mutatio enim est transitus de non esse ad esse; sed si non præcedit privatio formæ in materia, impossibilis est transitus de non esse ad esse formæ: ergo si dabilis est Generatio, quam privatio formæ in materiâ non præcedat, dabilis etiam erit Generatio, quæ non sit essentialiter mutatio. Probatur Minor. Nam ubi non adest esse & non esse, impossibilis

est transitus de non esse ad esse; sed si non datur privatio formæ in materiâ, non datur non esse formæ, privatio enim formæ est ipsum non esse: ergo si non præcedit privatio formæ in materiâ, impossibilis est transitus de non esse ad esse formæ.

52 Respondetur distinguendo primum Consequens, quæ privationem formæ in materiâ non supponat præcedentiâ temporis, concedo Consequentiam, præcedentiâ naturæ, subdist. Consequens, quæ privationem formæ ut afficientem materiam non supponat, concedo Consequentiam, quæ talem privationem non supponat in expelli & impediri, nego Consequentiam. Ad probationem secundæ Consequentia dist. Majorem, Mutatio est transitus de non esse ad esse, de non esse vel actu existente, vel pro eodem instanti, si non impediatur, exituro, concedo Majorem, de non esse actu semper existente, saltem tempore antecedenti, subdistinguo Majorem, sit mutatio sit successiva, concedo Majorem, si instantanea, iterum subdistinguo, si consideretur Generatio secundum ea, quæ ipsam naturaliter antecedunt, concedo Majorem, conceptu tantum Generationis attento, & omni ad ipsam antecedenti remoto, nego Majorem; & distinguo Minorem, si non præcedit privatio formæ sive actu afficiens materiam, sive in excludi aut impediri, impossibilis est transitus de non esse ad esse, concedo

Minorem, si non præcedit privatio ut efficiens, in expelli tamen, aut impediri præcedit, nego Minorem, & Consequentiam.

53 Itaque duplex est mutatio. Altera successiva: & hanc privatio formæ producendæ reali duratione præcedit. Altera instantanea: & hæc potest considerari dupliciter; vel secundum ea, quæ ipsam naturaliter antecedunt, vel præcisè secundum ipsius naturalem conceptum, omni naturaliter antecedenti sublato. Si primo modo sumatur, privatio formæ producendæ eam antecedit duratione reali, ut constat in Generatione ignis v. g. quam cum naturaliter præcedat motus alterationis successivè disponens materiam ligni per formam ignis informandam in Generationis instanti; consequens est, quòd in tali materiâ præcedat privatio formæ ignis pro aliquâ duratione reali.

54 Si autem secundo modo sumatur, non debet præcedere pro aliquâ duratione reali privatio formæ in materiâ, sed sufficit quòd pro priori naturæ præcedat, non quidem ut materiam pro illo priori efficiens (aliàs in eodem instanti reali coëxisterent forma, & illius privatio, quòd repugnat) sed sufficit quòd præcedat in expelli aut impediri, hoc est, quòd pro priori antecedenti ad formam nõdum intelligatur expulsa & impedita privatio formæ producendæ: ad quam & ad formam materia secundum se æqualiter est indiffe-

rens. Intelligitur tamen talis privatio in impediri & excludi, quatenus pro illo priori intelligitur materia in viâ & tendentiâ ad ipsam formam, à quâ adæquatè & in factò esse impediatur, ne in materiâ sit talis privatio. Hæc autem præcedentia pro priori privationis formæ in excludi & impediri est omninò sufficiens, ut in posteriori transmutetur materia per educationem formæ ex illius potentialitate: Ad mutationem enim instantaneam quidditivè acceptam tantum exigitur, quòd ex vi actionis educitivæ formæ ex materiâ, potentialitas & indifferentia materiæ ad formam & privationem illius, quæ pro priori nondum intelligebatur exclusa, per educationem formæ, & reductionem illius ad actum excludatur.

55 Dices: Mutatio ex suo formali conceptu, in eo consistit, quòd subjectum aliter nunc se habeat, ac antecedenter se habebat; sed si privatio formæ pro aliquâ duratione reali in materiâ non præcedit in instanti educationis formæ, non potest verificari, quòd materia aliter tunc se habet, ac antecedenter se habebat, cum ante tale instans prædicta formæ privatio non præxiterit: ergo nulla est data Solutio.

56 Respondetur distinguendo Majorem, ac antecedenter se habebat antecedentiâ naturæ, concedo Majorem, temporis, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

57 Sed objicies primò. Ad quietem alicujus non sufficit, quòd eodem modo nunc se habeat, quo prius se habebat secundùm prioritatem naturæ, aliàs posset aliquid quiescere, & voveri in eodem instanti, quod repugnat; cū enim nihil in instanti, sed in tempore moveatur, semper quiesceret, quamvis actu moveretur: ergo neque ad mutationem sufficit, quòd subjectum aliter nunc se habeat, ac prius se habebat prioritate naturæ, sed temporis præcedentiã. Patet Consequentia, Mutatio enim & quies opponuntur: ergo opposito de illis est modo discurrendum.

58 Respondetur distinguendo Antecedens, ad quietem privativam, concedo Antecedens, negativam, nego Antecedens, & Consequentiam. Mutatio enim instantanea, quæ solum opponitur quieti negativæ, tantum requirit, quòd subjectum aliter nunc se habeat ac prius se habebat prioritate naturæ; sicut & quies ipsi opposita solum requirit, quòd subjectum eodem modo nunc se habeat, quo prius se habebat prioritate naturæ. Ad quietem verò privativam, quæ opponitur motui successivo Generationem & Corruptionem includenti, necessariò requiritur, quòd subjectum eodem modo se habeat nunc, quo prius se habebat prioritate temporis, sicut ad mutationem successivam.

59 Dices cum Magist. Prado hic, quæst. 3. num. 17. Ad transmutationem non sufficit,

quòd forma in instanti sua productionis excludat privationem, quæ inesset pro illo instanti in materiã, nisi forma adesset: ergo requiritur exclusio privationis tempore præcedentis. Antecedens constat. Quotiescumque enim totum ex formã & materiã constans creatur à Deo, formæ privationem excludit, quæ pro illo instanti inesset, nisi forma adesset; & tamen creatio illa non est transmutatio materiæ: ergo &c.

60 Respondetur distinguendo Antecedens, si unica tantum interveniat actio productiva formæ & materiæ, concedo Antecedens, si duplex, altera pro priori ad materiam, altera verò pro posteriori ad formam ut ex materiã educendam terminata, nego Antecedens. Ad cujus probationem concessã Majore, distinguo Minorem, non est transmutatio materiæ ex defectu privationis tempore præcedentis in materiã, nego Minorem, ex defectu prædictæ duplicis actionis, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

61 Ad veram enim transmutationem non sufficit quæcumque exclusio privationis facta per formam, sed illa tantum, quæ fit à formã præcisè ut extractã à materiã tamquam à sub subjecto ex quo: ad quod duplex requiritur actio, altera pro priori ad materiam; altera pro posteriori ad formam terminata: hujusmodi namque privationis exclusio solum requirit formam ut terminum ejus ad quem; materiam verò ut à pri-

vatione impeditam tamquam terminum ejus à quo quod sufficit ad veram transmutationem.

62 Creatio autem, cum sit eadem formaliter actio, non respicitur ut terminum ad quem solam formam, nec solam materiam, sed compositum ex utraque conflatum. Quare per talem actionem non transit materia de non esse ad esse formæ tamquam ad terminum ad quem: sed ad summum transit tamquam subjectum in quo ad esse: quod ad transmutationem non sufficit, sicut nec ad educationem, ut prædictus Auctor tenetur concedere. Hujus adduci potest manifesta instantia in educatione gratiæ Angelorum, in qua vera fuit transmutatio subjecti cum prioritate tantum naturæ inter esse illorum, & gratiam excludentem privationem sui pro illo instanti, pro eodem, si non impediretur, exituram.

63 Ex quibus inferes, quod licet ad Generationem factam virtute agentis naturalis indispensabiliter requiratur privatio formæ duratione reali præcedens sive in materiâ, sive in aliquo ejus substituto; ad Generationem tamen secundum suam essentialem conceptum solum requiritur privatio formæ in excludi, & impediri pro priori naturæ in materiâ præcedens. Hæc tamé privatio licet minus propriè dicatur talis; sufficiens tamen est ad veram transmutationem instantaneam secundum sua essentialia consideratam.

\*\*\*

ARTICULUS II.

*Verum Generatio substantialis sit actio ab alteratione præcedenti distincta.*

§. I.

*Quibusdam suppositis, relativisque Sententiis, Conclusio stabilitur.*

64 PRO intelligentiâ hujus Difficultatis supponendum est primò, quod Generatio tam substantialis, quam accidentalis, ut mutatio est, realiter ab alteratione præcedenti distinguitur. Suppositum hoc quoad primam partem probatur. Nam, ut vidimus Lib. V. Physicorum, Quæst. unicâ, Articul. II. Diversitas formalis motus desumitur ex diversitate formali termini ad quem; sed terminus ad quem Generationis substantialis formaliter distinguitur à termino ad quem alterationis, cum hujus terminus sit qualitas, illius verò substantia: ergo Generatio substantialis prout mutatio realiter à præcedenti alteratione distinguitur. Tota hæc ratio est D. Thomæ 1. part. quæst. 45, art. 1. ad 2.

65 Quoad secundum verò partem probatur Suppositum. Mutatio enim successiva, cum versetur inter terminos contrarios, realiter à mutatione instantaneâ distinguitur, quæ inter ter-

B mi-

minos contradictoriè oppositos exercetur; sed alteratio est mutatio successiva, Generatio verò est mutatio instantanea: ergo Generatio accidentalis, prout mutatio, realiter à præcedenti alteratione distinguitur.

66 Nec obest, si dicas, quòd cū diversitate formali inter motus non fiat unitas formalis termini *ad quem*, sed Generationis accidentalis, & alterationis est idem formaliter terminus, nempe qualitas: ergo Generatio accidentalis, & alteratio realiter in ratione mutationis non differunt.

67 Non, inquam, id obest. Licet enim eadem materialiter qualitas utramque terminet mutationem, formaliter tamen est diversa ex diverso modo, quo terminat unam ac alteram: nam Generationem terminat prout est acquisibilis in instanti; alterationem verò prout est acquisibilis successive. Diversitas autem in modo attingendi sufficit ad diversificandas formaliter actiones eundem materialiter terminum attingentes: ut constat in corpore Christi, quod, cū sit materialiter idem, Conversionem, & Generationem specificat ex diverso modo, quo unam, ac alteram terminat: Conversionem enim specificat, prout ex pane; Generationem verò prout ex sui privatione producitur.

68 Secundò supponendū est, Generationem substantialem aliquam realiter à præcedenti alteratione distingui, immò & ante operatio-

nem intellectus differre, aliqui ex Auctoribus, contra quos infra disputabimus, docent. Difficultas ergo est, An Generatio & alteratio præcedens in ratione actionis realiter distinguantur, an verò sint una dumtaxat actio, ita nimirum, ut Generatio non sit actio, sed resultantia ex vi alterationis præcedentis inducta, non secus ac passionem, quæ sine aliquâ novâ actione resultant ex vi actionis ad illarum essentiam terminatæ. His igitur præsuppositis,

69 *Prima* Sententia docet Generationem substantialem non esse actionem realiter à præcedenti alteratione distinctam. Pro quâ referuntur Cajetanus, Herbeus, Fonseca, eamque defendunt PP. Complutenses Carmelit. *Secunda*, & communis asserit, Generationem esse distinctam realiter actionem. Hanc tenent Mag. Joann. à Sanct. Thomâ, Prado, Lerma, Collegium Complutense D. Thomæ, & alii ab ipso relati. Cum quibus sit

70 *Nostra* Conclusio. Generatio substantialis est actio realiter à præcedenti alteratione distincta. Probatur *primò* ex D. Th. 3. cont. Gent. c. 69. ratione 9. quam Angelicus Doctor sic concludit: *Si igitur forme accidentales, quæ sunt in rebus corporalibus, habent proprias actiones; multò magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem. Non est autem hujusmodi actio disponere materiam: quia hoc fit*

*per alterationem, ad quam suffi-  
ciunt formæ accidentales. Igi-  
tur forma generantis est princi-  
pium actionis, ut forma sub-  
stantialis introducatur in genera-  
tum.*

71 *Secundò probatur ra-  
tione. Forma substantialis nequit  
resultare ex alteratione, & quali-  
tate primò per alterationem pro-  
ductâ: ergo sit mediâ Generatione  
ut actione à præcedenti alteratio-  
ne distinctâ. Consequentia con-  
stat. Antecedens verò probatur.  
Forma, cujus primum esse est pri-  
mum non esse alterius, non po-  
test ex illâ resultare; sed primum  
esse formæ genitæ substantialis  
est primum non esse alteratio-  
nis, & qualitatis per alterationem  
productæ: ergo forma genita sub-  
stantialis nequit ex alteratione, &  
qualitate per alterationem produ-  
ctâ resultare. Consequentia est le-  
gitima. Major constat, Nam cùm  
alteratio, & qualitas ab ipsâ pro-  
ducta non subjectetur in materiâ  
nudè sumptâ, nec in composito  
genito, sed tantum in corrupto  
(ut Adversarii ipsi fatentur) con-  
sequens est, quòd si primum esse  
formæ genitæ substantialis est pri-  
mum non esse compositi præexi-  
stentis, etiam sit primum non esse  
alterationis, & qualitatis in hæren-  
tium tali composito.*

72 *Minor autem, in quâ  
est difficultas, sic probatur. Resul-  
tantia enim unius ab altero funda-  
ri debet in necessariâ connexionem  
cum illo, ut constat in passio-*

*bus, quæ ab essentiâ resultant, &  
cum illâ necessariò connectuntur;  
sed forma, cujus primum esse est  
primum non esse alterius, non cum  
illâ, sed potius cum non esse illius  
necessariò connectitur: ergo for-  
ma, cujus primum esse est non esse  
alterius, nequit ex illâ resul-  
tare.*

73 *Huic Rationi respon-  
dent Adversarii, quòd licet primum  
esse formæ substantialis sit primum  
non esse alterationis, & qualitatis  
primò per alterationem productæ,  
hoc non obest, quominus ex alte-  
ratione præcedenti, & qualita-  
te per alterationem productâ re-  
sultet. Ad resultantiam enim for-  
mæ substantialis sufficit (inquiunt)  
quòd in tempore immediatè ante-  
cedenti alteratio præexiterit, &  
in instanti Generationis virtualiter  
perseveret. Quemadmodum mo-  
tus calefactionis, quo calor ut  
sex v. gratiâ, acquiritur, non exi-  
stet formaliter, sed virtualiter tan-  
tùm in instanti, quo talis calor ac-  
quiritur.*

74 *Hæc tamen Solutio  
vim Rationis à nobis factæ non  
enervat; & ided rejicitur primò. Li-  
cèt enim id, quod sit medio aliquo  
motu, & actione per se primò ad  
illud terminatâ, non petat coëxi-  
stere tali actioni, ut exemplo ad-  
ducto probatur; id tamen, quod  
sit per puram resultantiam ab al-  
tero, & non per novam actionem,  
minimè potest ab illo resultare, si  
est formaliter cum illo incompos-  
sibile, & impotens illi coëxistere*

in eodem instanti. Resultantia enim ut condistinguitur ab actione, fundatur in connexionione necessariâ & per se unius cum alio, ita ut utrumque formaliter coexistat.

75 Secundò. Nam Generatio substantialis vel distinguitur in ratione mutationis ab alteratione, vel non? Hoc secundum dici nequit, cum oppositum doceant Adversarii: ergo dicendum est primum. Ergo virtualis existentia alterationis non sufficit ad resultantiam formæ substantialis. Probatur hæc Consequentia, si namque virtualis existentia alterationis sufficeret ad resultantiam formæ substantialis, novo fieri, novæque mutatione non egeret; hoc autem est falsum in Sententiâ Adversariorum: ergo &c. Probatur Major. Quia passiones resultant ab essentiâ ex vi actionis, quâ essentia producitur, eo ipso, quòd talis actio virtualiter perseveret, nullum requiritur novum fieri, vel nova mutatio, ut actio prædicta ad resultantiam passionum extendatur.

76 Tertiò. Nam falsum est, alterationem præcedentem in instanti Generationis virtualiter permanere: ergo nulla est assignata Solutio. Probatur Antecedens. Eatenus enim virtualiter permanet actio ad terminum secundarium extendenda, quatenus ejus terminus primarius formaliter permanet; sed terminus primarius alterationis præcedentis non perma-

net formaliter in Generationis instanti: ergo nec ipsa actio alterativa virtualiter permanet. Minor constat, Nam terminus primarius actionis alterativæ est qualitas, quæ in subjecto corrumpendo recipitur, quo corrupto in Generationis instanti, corrumpitur. Major autem non minus certa videtur. In tantum enim actio productiva gravium virtualiter perseverat ut ad terminum ejus secundarium, motum scilicet deorsum, extendenda, in quantum ejus terminus primarius, nimirum ipsa gravia formaliter permanent: ergo vera est Major.

77 Respondebis, quòd etsi alteratio, & qualitas in instanti Generationis corrumpantur, cum illâ tamen necessariò connectuntur, eò quòd semel positæ, imponunt agentis necessitatem ad Generationem formæ substantialis.

78 Sed contra est. Nam illa connexio alterationis, & qualitatis cum Generatione non necessitat agens ad Generationem ex vi prædictæ alterationis, & qualitatis præcisè ponendam, sed necessitat illud ad Generationem tamquam ad novam actionem ex suppositione primæ eliciendam. Ad modum, quo assensus præmissarum, etsi necessitet intellectum ad assensum Conclusionis, non taliter illum necessitat, ut eodem assensu, quo præmissis assentitur, Conclusioni etiam assentiatur, sed diverso.

79 Tertiò probatur Conclusio. Ubi duplex intercedit cau-



salitas agentis, duplex intercedit & actio; sed in productione qualitatis, & formæ substantialis duplex causalitas agentis intercedit: ergo duplex intercedit & actio, altera ad qualitatem, altera verò ad formam substantialem terminata. Minor, in quâ est difficultas, probatur primò. Causalitas agentis nil est aliud; quàm activum fieri termini; sed fieri activum qualitatis distinctum realiter est à fieri activo substantiæ, cum fieri hujus usque ad instans Generationis non sit, fieri autem illius pro illo instanti non adsit: ergo in productione qualitatis, & formæ substantialis duplex intervenit actio.

80 Secundò probatur eadem Minor. Nam agere sequitur ad esse in actu; sed in efficiente duplex intervenit esse in actu, alterum à formâ substantiali tributum, alterum ab accidentali formâ colatum: ergo duplex etiam actio & causalitas intercedit.

81 Tertiò probatur Minor, Ubi est distincta realiter productio passiva, debet esse distincta realiter productio activa; sed productio passiva substantiæ realiter differt à productione passivâ qualitatis: ergo Generatio terminata ad substantiam est actio realiter distincta ab alteratione terminatâ ad qualitatem. Probatur Minor, Nam quæ realiter separantur, realiter distinguuntur; sed productio passiva qualitatis Generationem antecedentis realiter separatur à productione passivâ substantiæ: er-

go &c. Probatur Minor, Nam productio passiva substantiæ fit in ipso Generationis instanti, productio verò passiva qualitatis fit in tempore immediatè antecedenti, & antequàm Generationis instans attingat, evanescit: ergo realiter separantur.

82 Denique probatur Conclusio retorquendo adversæ Sententiæ fundamentum. Idem namque, juxta Contrarios, Generatio nequit esse actio realiter ab alteratione distincta, quia substantia esset immediatè operativa; sed hæc ratio est nulla: ergo ob hoc inconveniens, evitandum perperam negatur à Contrariis Generationem esse actionem realiter ab alteratione distinctam.

83 Probatur Minor. Ex eo, quòd Generatio sit nova mutatio ab alteratione distincta, non sequitur, substantiam generantis immediatè mutare substantiam geniti, ut ipsi concedunt Adversarii: ergo pariter ex eo, quòd Generatio sit nova actio ab alteratione distincta, non sequitur, substantiam fore immediatè operativam. Patet Consequentia, Nam idem ex distinctione inter Generationem & alterationem in ratione mutationis non infertur, juxta ipsos, substantiam generantis immediatè mutare substantiâ geniti, quia talis Generatio ut est mutatio, solum fit à substantiâ medio accidenti prius alterationem eliciente; sed Generatio, ut nova actio medio etiâ fit aliquo accidenti,

non autem à substantiâ, ut docet nostra Sententia : ergo ex eo, quod Generatio sit actio realiter ab alteratione distincta, non sequitur, substantiam esse immediate operativam.

## §. II.

*Solvuntur Argumenta.*

84 **A**Rguitur primò varijs Angelici Doctõris Testimonijs, quibus videtur oppositam tenuisse Sententiam. Primum habetur quæst. vnicâ de Animâ art. 12. ubi sic ait : *Agens naturale in generatione agit transformando materiam ad formam: quod quidem fit secundum quod materia primò disponitur ad formam, & tandem consequitur formam, secundum quod generatio est terminus alterationis.*

85 Secundum desumitur ex 1. p art. quæst. 53. articul. 3. in corpor e, ubi idem docet his verbis : *Mutationes instantaneæ sunt termini motus continui, sicut generatio est terminus alterationis materiae.*

86 Tertium depromitur ex Opusc. 32. quod est de Naturâ materiæ, cap. 1. ubi, cum docuisset, quod in termino motus nihil est de eo, quod per motum relinquatur, & apposuisset exemplum in termino motus localis, in quo nihil permanet de loco, à quo incipit motus, subdit hæc verba : *Cum autem alteratio ab actu formæ sub-*

*stantialis incipiat, & ipsum compositum alteretur, ad denudandam materiam ab omni actu, quem prius habebat, in termino ejus necessario denudatur ab actu primo, quem habebat: primum enim in constitutione est ultimam in resolutione; hoc autem est actus formæ substantialis. Hæc Divus Thomas.*

87 Ex quibus tale conficitur Argumentum. Si Generatio substantialis esset actio distincta à motu alterationis, motus hic solum haberet pro termino à quo & ad quem qualitates contrarias, quarum una desineret, & altera inciperet; at secundum D. Thomam talis motus non solum habet pro termino à quo, & ad quem prædictas qualitates, sed etiam formas substantiales, quarum una expellitur, & altera introducitur: ergo Generatio non est actio ab alteratione distincta. Minor, & Consequentia constant.

88 Major autem probatur. Nam in termino ad quem alicujus motus solum id datur, quod ex vi illius producitur: ergo si Generatio esset actio distincta ab alteratione; in termino ad quem alterationis non daretur forma substantialis, sed qualitas tantum disponens ad acquisitionem illius. Patet Consequentia. Nam si præter qualitatem reperitur substantia in termino motus alterationis, Generatio, quæ incipit in instanti sequenti, terminum nõ producet, sed productum inveniet: ergo &c.

89 Quartum denique Testimonium desumitur ex 1. part. quæst. 118. art. 2. ad 4. cui sic respondet: *Ad quartum dicendum, quod homo generat sibi simile, in quantum per virtutem seminis ejus disponitur materia ad susceptionem talis formæ*: ergo sentire videtur D. Thomam formam substantialem de novo productam esse terminum secundarium alterationis; proindeque non esse actionem realiter ab alteratione distinctam.

90 Ad primum, & secundum Testimoniū respondetur primo, sensum Angelici Doctoris in illis esse, Generationem esse terminum alterationis non ut rem per puram resultantiam ab illā productam, sed tamquam novam, & principalem actionem, ad quam alteratio sicut ad finem ordinatur. Quæ admodum assensus Conclusionis potest dici terminus assensus præmissarum, quatenus hic ad illum, licet actus distinctus, ordinatur.

91 Quod autem hæc sit Angelici Præceptoris mens, colligitur ex ipso, Quodlibeto 11. art. 4. in corpore sic dicente: *Per alterationem materia disponitur ad formam, & per motum localem corpus luminosum accedit ad situm, in quo illuminat: & secundum hoc dicitur, quod Generatio, & corruptio sunt termini alterationis, & illuminatio motus localis*. En quomodo D. Thomas parificat motum localem, respectu illuminationis, cum motu alterationis, respectu Generationis. Constat au-

tem quod illuminatio non est terminus motus localis per modum puræ resultantiæ, sed per modum novæ actionis. Sentit ergo D. Thomas Generationem non purè ab alteratione resultare, sed ut novam actionem ab illā distingui.

92 Secundò respondetur; D. Thomam in prædictis Testimoniis tantum intendere, Generationem esse terminum extrinsecum, & heterogenium respectu alterationis, quatenus semel acquisitā qualitate, ut termino intrinseco, & specificativo, quamprimùm potest, sequitur Generatio, ut actio alterius generis & lineæ, per quam substantia producatur; non tamè velle Generationem esse terminum intrinsecum, & homogenium specificantem alterationem, & ejusdem lineæ cum illā. Ex his

93 Ad tertium Testimoniū respondetur distinguendo Majorem Argumenti ex illo deducti, haberet pro termino à quo, & ad quem qualitates contrarias, pro termino immediato intrinseco, & homogenio, concedo Majorem, extrinseco, & heterogenio, nego Maj. & dist. Min. habet prædictas qualitates pro termino mediato & extrinseco, concedo Min. intrinseco, & immediato, nego Min. & Consequentiam. Ad probationem Maj. dist. Antecedens, in termino intrinseco, & immediato ad quem alicujus motus solū id datur, quod ex vi illius producitur, concedo Antecedens, in termino mediato & intrinseco, nego Ant. & Consequentiam.

94 Intentum igitur D. Thomæ solum est, quòd licet alteratio habet pro termino extrinseco & mediato actionem generativam, ad quam tamquam ad finem mediâ qualitate ordinatur; ita mediâtè & extrinsecè respicit formam substantialem per Generationem primariò productam: ad modum, quo habitus scientificus Conclusionis potest dici terminus extrinsecus & mediatus evidentis assensus Præmissarum, eò quòd hic est causa assensus Conclusionis, per quam immediâtè habitus scientificus generatur.

95 Ad quartum Testimonium responderetur, in illo tantùm intendere D. Thomam assignare discrimen, quod versatur inter Generationem humanam, & alias Generationes. In aliis enim Generationibus forma substantialis verè à generante producitur; in hominis autem Generatione, forma à generante non producitur, sed à Deo creatur: & per hoc tantùm homo hominem producens dicitur illum generare, quia disponit materiam, & formam causat quoad uniri, licèt illam non causet quoad esse.

96 **A**rguitur secundò. Si propter aliquam rationem Generatio esset actio realiter à præcedenti alteratione distincta, maximè, quia forma substantialis per illam attackta nequit ex alteratione per modum termini secundarii resultare; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur Minor. Idèò non posset resultare,

quia in instanti Generationis non existit formaliter alteratio; sed ad prædictam resultantiam non requiritur existentia alterationis pro eodem instanti: ergo &c. Probatur Minor. Ad prædictam resultantiam sufficit existentia alterationis pro instanti immediâtè antecedenti: ergo non requiritur existentia illius pro eodem instanti. Consequentia constat.

97 Antecedens verò probatur. Non Major requiritur existentia actionis ad resultantiam termini secundarii, quàm ad productionem termini primarii; sed ad productionem termini primarii sufficit existentia actionis pro tempore immediate antecedenti ad acquisitionem illius: ergo pariter ad resultantiam termini secundarii sufficit existentia actionis pro tempore immediâtè antecedenti ad acquisitionem illius. Probatur Minor. In instanti enim, quo ad terminum primarium *ad quem* alicujus motus pervenitur, talis motus non existit, sed immediâtè antecedenter erat: ergo motus, vel actio ad aliquem terminum *ad quem* primarium ordinata non petit coexistere tali termino.

98 Responderetur concessâ Maj. negando Min. Ad cujus probationem concessâ etiam Maj. neganda est Minor. Ad probationem negandum est Antecedens. Ad cujus probationem concessâ Majore, distinguo Minorem, ad productionem termini primarii sufficit existentia  
for-

formalis actionis pro tempore immediate antecedenti ad introductionem illius, quando adest virtualis existentia actionis pro instanti acquisitionis talis termini, concedo Minorem, si pro tali instanti virtualis existentia actionis non adfit, nego Minorem, & Consequentiam. Ad probationem Minoris distinguendum est eodem modo Antecedens, talis motus non existit formaliter, concedo Antecedens, virtualiter, nego Antecedens, & sub eadem distinctione Consequentis, neganda est Consequentia.

99 Ad productionem enim termini primarii, qui medio motu successivo producitur, sufficit, quod actio seu motus tempore antecedenti præcesserit prout motus est, & in instanti acquisitionis termini ad quem existat *mutatum esse* talis motus, cum quo terminus ad quem in facto esse commensuratur: siquidem hæc est natura motus successivi, quod si terminus ejus inceperit sub aliquo gradu determinato (sub quo semper incipit in instanti) pro illo non manet motus ut motus, sed tantum in facto esse, & ut dicitur *mutatum esse*, in quo tamquam in suo termino permanet virtualiter motus: quod sufficit, ut pro illo instanti, primarium ejus terminum attingat. Ad resultantiam verò termini secundarii ut distinctam ab actione per se primò ad illam terminata, indispensabiliter postulatur necessaria connectio unius cum alio, quæ stare non

potest inter res omninò incompatibiles pro eadem duratione reali, qualiter alteratio & Generatio componi nequeunt, eum primum esse Generationis sit primum non esse alterationis, & termini ab illa producti, in quo tantum poterat virtualiter permanere.

100 Dices. Sed etiam in instanti Generationis permanet virtualiter alteratio: ergo nulla est assignata disparitas. Probatur Minor. Tunc stat *mutatum esse* alicujus motus, quando cessat, & terminatur; sed in instanti Generationis cessat motus alterationis: ergo in illo instanti stat *mutatum esse* illius; ac per consequens in illo alteratio virtualiter perseverat.

101 Respondetur negando Minorem. Ad ejus probationem distinguo Majorem, tunc stat *mutatum esse* motus quando cessat & terminatur intrinsecè, & positivè, concedo Majorem, extrinsecè, & negativè, nego Majorem, & distinguo Minorem, cessat motus alterationis extrinsecè, & negativè, concedo Minorem, intrinsecè & positivè, nego Minorem, & Consequentiam. Licet enim motus sæpissimè per ultimum *mutatum esse* & intrinsecè terminetur; aliquando tamen ex defectu subiecti, quod corrumpitur, quando ultimò erat terminandus, non habet *mutatum esse*, sed extrinsecè & negativè terminatur, quatenus ad tale *mutatum esse* non pertingit. Cui autem in instanti Generationis, quo alterationis motus ultimò erat terminandus,

102 **A**rguitur tertio: Si Generatio esset actio realiter ab alteratione distincta, sequeretur substantiam esse immediate operativam; hoc est falsum: ergo & illud, ex quo sequitur. Probatur Sequela. Si enim Generatio esset actio realiter ab alteratione distincta, Generatio ut sic distincta directe & immediate terminaretur ad substantiam: ergo substantia, quæ talem operationem eliceret, esset immediate operativa. Antecedens est certum.

103 Consequentia verò probatur primo ex Div. Thomæ quæst. unica de Animâ, art. 12. ubi *Si est (nquit) aliquod agens, quod directe & immediate sua actione producat substantiam .... hujusmodi agens agit per suam essentiam: & sic non erit in eo aliud potentia activa & ejus essentia*: ergo ex mente D. Thomæ si actio generativa immediate terminaretur ad substantiam, substantia esset immediate operativa.

104 *secundo* probatur Consequentia ratione ex tali Auctoritate desumptâ. Quotiescumque enim aliqua actio immediate ad substantiam terminatur, proximum principium illius debet esse substantia: ergo si Generatio ut actio realiter ab alteratione distincta, immediate ad substantiam terminatur; substantia talem actionem eliciens est immediate operativa. Probatur Antecedens. Principium operativum proximum debet esse in eodem genere substantiæ vel accidentis, in quo est terminus immediate ab illius actione respectus: ergo quotiescumque aliqua actio immediate ad substantiam terminatur, principium ejus elicivum debet esse substantia. Probatur Antecedens. Nam principium proximum operativum tale debet esse, qualis est terminus, qui immediate ab ejus actione respicitur: ergo &c. Probatur Antecedens. Agens enim eatenus operatur, quatenus actu est illud ipsum; quod immediate ab illo producit; quare ignis v. g. non calefacit quia lucidus, vel quia substantia, sed quia calidus: ergo si substantia substantiam produceret actione immediate ad substantiam terminatâ, reduplicative ut substantia operaretur: ac per consequens esset principium proximum operandi.

105 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem concesso Antecedenti, neganda est Consequentia. Ad cujus primam probationem admittâ Auctoritate D. Thomæ, neganda est Consequentia, quæ minimè ex tali Auctoritate deducitur. Intentum enim Angelici Præceptoris tantum est, quod si daretur aliquod agens;

105 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem concesso Antecedenti, neganda est Consequentia. Ad cujus primam probationem admittâ Auctoritate D. Thomæ, neganda est Consequentia, quæ minimè ex tali Auctoritate deducitur. Intentum enim Angelici Præceptoris tantum est, quod si daretur aliquod agens;

105 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem concesso Antecedenti, neganda est Consequentia. Ad cujus primam probationem admittâ Auctoritate D. Thomæ, neganda est Consequentia, quæ minimè ex tali Auctoritate deducitur. Intentum enim Angelici Præceptoris tantum est, quod si daretur aliquod agens;

agens, cujus aliqua actio ita directè & immediatè terminaretur ad substantiam, ut aliam actionem non supponeret disponentem primò materiam per qualitates hujusmodi actione productas, tale agens per suam essentiam immediatè operaretur: & hæc illatio est legitima. Cum enim nullum accidens instrumentaliter concurrat ad productionem substantiæ, quin prius ut causa principalis producat aliud accidens dispositivum materiæ, siquidem agens naturale non potest introducere formam in materiâ non dispositâ; optimè hinc infert Div. Thomas, quòd si esset aliquod agens, cujus aliqua actio ita directè & immediatè terminaretur ad substantiam, ut nulla alia actio præcederet dispositiva, præparativa, & sigillativa materiæ; tale agens absque medio accidenti per suam essentiam & substantiam aliam substantiam immediatè producere.

106 Quòd autem hæc sit Angelici Præceptoris mens, non obscurè ex ipso colligitur. Paulò enim ante verba quæ nobis objiciunt Adversarii, sic inquit: *Quia agens naturale in Generatione agit transmutando materiam ad formam, quod quidem fit secundum quòd materia primò disponitur ad formam, & tandem consequitur formam secundum quòd Generatio est terminus alterationis; necesse est, quòd ex parte agentis id, quod immediatè agit, sit forma accidentalis corres-*

*pondens dispositioni materiæ.*

107 Ad secundam probationem Consequentia respondeatur negando Antecedens. Ad probationem distinguo Antecedens: principium operativum proximum principale debet esse in eodem genere, in quo est terminus immediatè ab illius actione respectus, concedo Antecedens, principium proximum instrumentale, nego Antecedens. Eodem modo distinguendum est aliud Antecedens, negandaque Consequentia. Terminus enim immediatè & per se primò inspectus ab aliquâ actione, non petit esse in eodem genere cum principio ejus proximo instrumentali, sed cum principio ejus proximo principali. Quare ex eo, quòd Generatio substantialis per se primò ad substantiam terminetur, non tollitur, quòd substantia ab accidentibus tamquam à causâ instrumentariâ immediatè procedat, à substantiâ verò tamquam à principio primo, & radicali, quod in lineâ causæ principalis est proximum: nam licèt mediant accidentia, non mediant tamen ut principia radicalia & principalia, sed tantum ut principia proxima & instrumentaria.

108 Dices. Datâ Generatione per se primò & immediatè ad substantiam terminatâ, substantia est proximum principium operandi, quamvis talis actio à substantiâ mediis accidentibus procedat: ergo nulla est Solutio. Probatur Antecedens. Idèd à nobis

b' s ponitur Generatio immediatè & per se primò ad substantiam terminata, quia alteratio sufficiens ex se non est ad substantiam attingendam; sed ex hâc ratione colligitur, substantiam esse immediatum principium operandi: ergo &c. Major, & Consequentia constant.

109 Minor autem probatur. Eo namque ipso, quòd alteratio ex se non fit sufficiens ad substantiam producendam, Generatio debet oriri ab accidenti novo aliquo influxu immediatè à substantiâ elevato; sed si hoc modo Generatio ab accidenti procedit, substantia est immediatum principium operandi: ergo &c. Probatur Major, Generatio enim tunc casus non procederet ab accidenti ut à substantiâ permanenter elevato: ergo procederet ab illo ut elevato noviter à substantiâ. Probatur Antecedens. Nam si Generatio procederet ab accidenti permanenter elevato, impotens esset tale accidens ad substantiam producendam: ergo ut illam posset immediatè producere, talis Generatio deberet ab ipso ut noviter elevato procedere. Probatur Antecedens. Alteratio enim ab accidenti permanenter elevato procedit; & tamen in nostrâ Sententiâ est impotens ad substantiam producendam: ergo pariter Generatio impotens etiam esset ad producendam substantiam, si ab accidenti ut permanenter tantùm elevato procederet.

110 Responderetur ne-

gando Antecedens. Ad cujus probationem vel concedenda est Major absolutè, vel claritatis gratiâ distinguenda, quia alteratio sufficiens ex se non est ad substantiam attingendam immediatè & per puram resultantiam, concedo Majorem, quia sufficiens ex se non est remotè, & mediâ alterâ actione, nego Majorem, & sub eâdem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Ad probationem Majoris, nego Majorem. Ad probationem nego Antecedens. Ad cujus probationem dupliciter potest responderi: *Primò* negando absolutè Majorem. Nam cum dispositiones antecedentes Generationem formæ ignis, v. g. quæ per alterationem causantur, non excedant perfectionem caloris secundùm suam speciem considerati, alteratio, quæ ad illas terminatur, à tali calore non procedit, prout est virtus substantiæ: & idè elevatione non eget, cujus oppositum in Generatione contingit.

111 *Secundo* potest responderi concedendò Majorem, & distinguendò Minorem, est impotens ad substantiam producendam per puram resultantiam, concedo Minorem, est impotens instrumentaliter remotè, & mediâ alterâ actione primariò elicitâ circa substantiam, nego Minorem, & Consequentiam. Licet enim alteratio procedat ab accidenti ut virtute substantiæ, impotens tamen est ad attingendam substantiam secundariò & per puram resultantiam:

quo-



niam ut sic illam attingat, præter elevationem à substantiâ derivatam, exposcit necessariam coëxistentiam cum substantiâ, quæ nequit reperiri inter res impossibiles, quales sunt, ut vidimus, alteratio, & substantia, cum in instanti, quo incipit substantia, alteratio non existat.

112 **A**Rguitur quartò. Id habet calefactio in actu secundo, quod calor in actu primo; sed calor in actu primo est secundum suam speciem causa principalis caloris, & ut est virtus substantiæ, absque aliquo ei superaddito, est causa instrumentalis substantiæ: ergo etiam alteratio secundum suam speciem erit causa principalis caloris, & ut orta à calore ut virtute substantiæ, absque novâ aliquâ actione, attinget instrumentaliter substantiam.

113 Respondetur in primis retorquendo Argumentum in ipsos Adversarios. Si enim aliquid hoc Argumento convincerent, convincerent utique, alterationem nedum absque novâ actione, verum etiam absque novâ mutatione causare substantiam: quod sic facile ostenditur. Id ipsum habet calefactio in actu secundo, quod calor in actu primo; sed calor in actu primo, sicut secundum suam speciem est causa principalis productionis caloris tam ut est actio, quam ut mutatio; ita absque aliquo ei superaddito, præcisè ut est virtus substantiæ, est causa

instrumentalis productionis substantiæ, tam ut est actio, quam ut mutatio: ergo etiam calefactio in actu secundo, sicut absque novâ actione, & mutatione, seipsâ est productio caloris, ut ab illo secundum suam speciem procedit; ita seipsâ, absque novâ actione, & mutatione, erit Generatio substantiæ: proindeque Generatio non solum non erit actio ab alteratione distincta, sed nec nova mutatio: quod tamen Contrarii non admittunt.

114 Nunc autem ad Argumentum dupliciter responderetur. *Primo* distinguendo Majorem, Id ipsum habet calefactio in actu secundo, quod calor in actu primo, id ipsum, quod habet calor inadæquatè consideratus, & secundum suam speciem præcisè sumptus, concedo Majorem, id ipsum, quod habet calor adæquatè conceptus, hoc est, tam secundum suam speciem, quam ut virtus substantiæ, nego Majorem, & concessâ Minore, nego Consequentiam. Sicut enim calor, à quo egreditur calefactio, aliquando producit calorem, quin producat substantiam; si calefactio potest oriri à calore secundum suam speciem considerato, quin ab illo ut est virtus substantiæ egrediat. Hoc autem contingit in alteratione, quæ ad productionem substantiæ non pertingit, ob rationem superius assignatam.

115 Secundò responde-  
tur, juxta Solutionem *num. 111.*  
adductam distinguendo Majorem:  
id ipsum habet calefactio in actu  
secundò ex parte virtutis eleva-  
tionis, quod calor in actu primo,  
concedo Majorem, ex parte condi-  
tionis ad causandum requisitæ,  
nego Majorem, & concessâ Minore,  
nego Consequentiam. Sicut enim calor in actu primo præcise  
ut est virtus substantiæ, & absque  
novo influxu elevante potest in-  
strumentaliter causare substantiam;  
sic calefactio in actu secundò qua-  
tenus præcisè procedit ab illo ut  
virtute substantiæ & absque novâ  
elevatione ipsi supperadditâ, suffi-  
ciens esset ad producendam secun-  
dariò substantiam; dummodò ei  
non deficeret coëxistentia cum illâ  
in ipso Generationis instanti: quæ  
coëxistentia est indispensabiliter  
requisita ad aliquem effectum per  
puram resultantiam producendum.  
Si namque in ipso Generationis in-  
stanti neque subjectum alteratio-  
nis, nec terminus ejus existit, quò  
fieri potest, ut virtualiter adhuc,  
motus alterationis perseveret? Ex  
actione autem quantumvis elevatâ,  
virtualiter saltem non manente,  
nullus potest terminus resultare.

116 Contra hanc So-  
lutionem replicabis. Semel admis-  
so, alterationem procedere ab ac-  
cidenti ut virtute substantiæ, desi-  
tio alterationis ante instans Gene-  
rationis obesse non potest, ne for-  
mam substantialem sine novâ ali-  
quâ actione producat; ergo nulla

est secunda Solutio. Probatur An-  
tecedens. Nam desitio alteratio-  
nis ante instans Generationis non  
obest, ne alteratio qualitates con-  
servativas formæ præexistentis abs-  
que novâ aliquâ actione corrup-  
pat: Obesse ergo non poterit, ne  
substantiam genitam sine novâ ali-  
quâ actione producat. Probatur  
Consequentia. Actio enim, quæ  
sufficit qualitates conservativas  
præexistentis formæ corrumpere,  
actione novâ non indiget, ut sub-  
stantiam genitam noviter adve-  
nientem attingat: ergo si actio al-  
terativa sine novâ aliquâ actione  
dispositiones conservativas præ-  
existentis formæ corrumpit, sine  
novâ etiam actione substantiam  
genitam advenientem noviter,  
causat.

117 Respondetur ne-  
gando Antecedens. Ad cujus pro-  
bationem dist. Antecedens, desi-  
tio alterationis ante instans Gene-  
rationis non obest, ne alteratio  
qualitates conservativas infra ulti-  
mam dispositionem præexistentis  
formæ, sine novâ actione corrup-  
pat, concedo Antecedens, non  
obest, ne qualitates conservativas  
usque ad ultimam dispositionem,  
sine novâ actione corrupat, nego  
Antecedens. Ad cujus probatio-  
nem distinguo Antecedens, actio,  
quæ sufficit qualitates conservati-  
vas usque ad ultimam dispositio-  
dem corrumpere, sufficit absque  
novâ actione formam substantia-  
lem attingere, concedo Antece-  
dens, si solum sufficiens sit corrup-

pere dispositiones conservativas infra ultimam dispositionem, & absque illius attingentiâ, nego Antecedens, & sub eâdem distinctione Consequentis, nego Consequentiam.

118 Alteratio enim, sicut seipsâ, & absque novâ actione solum attingit calorem infra octo, ita seipsâ, & absque novâ actione solum corrumpit de dispositionibus conservativis formæ præexistentis gradus illarum infra octo. Ut autem seipsâ formam substantialem absque uovâ actione produceret, requirebatur, quod seipsâ, & absque ulteriore actione ultimam dispositionem formæ advenientis, & corruptionem ultimæ dispositionis formæ præexistentis attingeret: quod tamen non sic contingit, siquidem alteratio, & terminus ejus simul pro eâdem duratione cum formâ præexistente, & ultimâ ejus dipositione coëxistunt.

119 Sed instabis: Alteratio est actio, quâ accidens immediatè producit effectum accidentalem, cujus est causa principalis: ergo se solâ attinget quoque substantiam, cujus est causa instrumentalis. Patet Consequentia. Instrumenta enim eâdem actione, quâ attingunt effectum proprium, attingunt etiam effectum causæ principalis: ergo &c.

120 Respondetur concessio Antecedenti, negando Consequentiam. Ad probationem distinguo Antecedens, quando terminus proprius instrumenti ante introdu-

ctionem principalis causæ corrumpitur, nego Antecedens, quando pro instanti introductionis ejus existit, concedo Antecedens, & nego Consequentiam. Effectus enim proprius instrumenti aliquando viâ Generationis antecedit effectum causæ principalis, & ante inceptionem talis causæ destruitur. Tunc autem non oportet, actionem instrumenti esse eandem cum actione causæ principalis, sed nova desideratur actio, qualiter in præsentis contingit: nam ante instans Generationis substantiæ, alteratio, & terminus ejus simul cum composito, in quo recipiebantur, corrumpuntur, & percunt, cujus oppositum eveniret, si proprius effectus instrumenti ante introductionem causæ principalis non periret.

### ARTICULUS III.

*Quis sit terminus Generationis substantialis?*

#### §. I.

*Sensu Difficultatis explicato; Sententia referuntur, & duplex Conclusio stabilitur.*

121 **P**RO Tituli intelligentiâ supponendum est, Terminum Generationis substantialis esse duplicem: Alter dicitur terminus *qui*: alter verò dicitur terminus *quo*. Terminus *qui* est genitum,

tum, quod subsistit ut *quod*. Terminus autem *quo* est id, quo per modum formæ genitum in suâ specie constituitur.

122 Terminus *qui* dicitur adæquatus, cum enim Generatio tendat ad dandum esse; illud tantum potest esse illius terminus adæquatus, quod est integrè, & adæquatè; nihil autem est integrè, & adæquatè, nisi quod subsistit ut *quod*.

123 Terminus verò *quo*, sive formalis dividitur in partialem & totalem. Terminus *quo* partialis est forma substantialis unita materiæ. Terminus autem totalis est forma totalis, quæ ex materiâ & formâ unitis coalescit: significatur tamen per modum formæ, quia est principium, quo aliquid tale dicitur; sicut humanitas est id, quo homo dicitur homo: Et de his omnibus præsens procedit Difficultas.

124 In quâ variæ sunt Auctorum Sententiæ. Quidam enim existimant, terminum *qui* & totalem esse naturam totalem, non verò suppositum; hoc enim (ajunt) distincta, & posteriore acione producitur. Alii verò docent, formam substantialem esse terminum *qui* & totalem. Alii denique affirmant terminum *qui* esse compositum ex naturâ & subsistentiâ.

125 Circa terminum autem *quo*, sive formalem, non minus Auctores dividuntur. Alii namque putant, terminum *quo* esse formam substantialem. Alii hanc limitant Sententiâ, asserentes, tunc

formam substantialem esse terminum *quo*, quando à generante producitur: quando verò non producitur, tunc terminus *quo* non est (inquiunt) forma, sed unio ipsius cum materiâ. Alii dicunt, solam unionem esse terminum *quo* per se Generationis, cum hæc semper à generante producatur, forma autem non semper ab illo fiat. Alii denique volunt, terminum *quo* Generationis esse formam substantialem ut communicatam materiæ. His igitur prænotatis, sit nostra

126 *Prima Conclusio.* Terminus *qui* Generationis substantialis est compositum ex naturâ totali & subsistentiâ, ita ut licet subsistentia non se habeat ut naturam constituens, sed ut ipsam constitutam intrinsecè terminans; intrinsecè tamen & per se à Generatione attingatur, non verò extrinsecè, & media alteratione. Conclusio hæc est D. Thomæ pluribus in locis, præsertim l. p. quæst. 45. art. 4. ubi sic ait: *Fieri ordinatur ad esse rei: unde illis propriè convenit fieri, & creari, quibus convenit esse: quod quidem convenit propriè subsistentibus, sive sint simplicia, sicut substantiæ separatae; sive sint composita, sicut substantiæ materiales. Illi enim propriè convenit esse, quod habet esse, & quod est subsistens in suo esse.*

127 Ex quibus verbis talis ratio pro nostra Conclusione deducitur. Terminus *qui* Generationis est genitum ut *quod*; sed compositum ex naturâ totali & sub-

substantiã est genitum ut quod: ergo compositum subsistens est terminus qui Generationis substantialis. Major constat. Illud est terminus qui, quod est simile ut quod generanti ut quod; sed genitum ut quod est simile ut quod generanti ut quod: ergo terminus qui Generationis substantialis est genitum quod.

128 Minor autem probatur. Illi namque competit generari ut quod, cui convenit esse ut quod; sed soli composito subsistenti convenit esse ut quod: ergo compositum subsistens est genitum ut quod. Minor est D. Thom: 3. p. quæst. 17. art. 2. dicentis: *Esse autem pertinet ad naturam, & ad hypostasim: ad hypostasim quidem, sicut ad id, quod habet esse: ad naturam autem, sicut ad id, quo aliquid habet esse. Natura enim significatur per modum forme, quæ dicitur ens ex eo, quod ea aliquid est, sicut albedine est aliquid album, & humanitate est aliquid homo.* Sed hypostasis est idem ac subsistens: ergo subsistens habet esse ut quod.

129 Confirmatur. Nam Generatio est via ad esse: ergo id erit genitum ut quod, quod habuerit esse ut quod; sed nec forma partialis, nec natura totalis habent esse ut quod: ergo non illæ, sed suppositum est genitum quod: ac proinde terminus qui Generationis. Probatur Minor, Illud enim, quo aliud habet esse, non habet esse ut quod, sed ut quo; sed forma partialis est, quæ

natura habet esse totalis; hæc autem est quæ habet esse suppositum vel subsistens: ergo nec forma partialis, nec totalis habent esse ut quod.

130 Secundò probatur Conclusio. Nam ille est terminus qui, & adæquatus Generationis substantialis, ad quem per se primò tendit talis Generatio; se Generatio substantialis per se primò tendit ad constituendam substantiam subsistentiã: ergo natura subsistens est terminus qui Generationis substantialis. Probatur Minor, Quia Generatio substantialis per se primò tendit ad constituendam substantiam in esse integro & completo; sed substantia non constituitur in esse integro & completo, quousque sit subsistens in se, vel in alio, cum subsistentia sit terminus intrinsecus sui esse: ergo natura subsistens est ad quem Generatio primò, & per se tendit: ac proinde manca & non integra censebitur Generatio quousque substantia genita intrinsecè per subsistentiam terminetur.

131 Ex his constat, subsistentiam, seu suppositum esse terminum intrinsecum Generationis, non verò extrinsecum, & resultatem. Nam terminus intrinsecus ille est, qui primò & per se attingitur ab actione, non verò secundariò & mediatè, & cum præsuppositione alterius primò producti; sed suppositum, vel subsistens nequit mediatè, secundariò, & cum præsuppositione al-

terius attingi : ergo non est terminus extrinsecus Generationis. Major & Consequentia constant.

132 Minor autem probatur. Nam esse integrum & completum primò & per se in subsistente, non verò ante illud reperitur ; sed illud, in quo primò & per se integrum esse & completum reperitur, nequit mediare, & cum præsuppositione alterius, saltem totalis attingi : ergo res ut subsistens, ac per consequens ipsa subsistentia terminum intrinsecum Generationis ingreditur tamquam complens & integrans substantiam genitam, non ut prædicatam constitutum, sed ut terminus intrinsecus rei generatæ.

133 *Secunda Conclusio.* Terminus formalis quo totalis est natura totalis : terminus autem quo partialis est forma substantialis, non tamen unio. Conclusio hæc est Philosophi secundo Physicorum textu 24. dicente : *Nativitatem esse viam in naturam* : quem locum Div. Thomas 3. part. quæst. 35. artic. primo in corpore exponit de naturâ etiam totali sic dicens : *Terminus enim Generationis, & cujuslibet nativitatis est forma ; natura autem per modum forme significat. Vnde nativitas dicitur esse via in naturam, ut patet per Philosophum secundo Physicorum : terminatur enim natura intentum ad formam seu naturam speciei.*

Ratione autem probatur primo hæc Conclusio. Ille est terminus formalis quo, qui constituit, & formalizat terminum qui, & constituit, similem generanti ut quod ; sed hoc præstatur partialiter à formâ substantiali, totaliter verò à naturâ totali : ergo forma substantialis est formalis terminus quo partialis, natura verò totalis terminus quo totalis Generationis substantialis. Minor probatur, Nam terminus qui, ut constat ex primâ Conclusionem, est suppositum, vel subsistens ; sed suppositum, vel subsistens constituitur & assimilatur generanti ut quod, partialiter per formam, & totaliter per naturam totalem : ergo &c. Probatur Minor. Per id enim constituitur suppositum, & assimilatur generanti ut quod, per quod correspondet principio quo generans generat ; sed ex parte generantis principium quo generat, est forma & natura : ergo suppositum constituitur, & assimilatur generanti ut quod, partialiter per formam, & totaliter per naturam totalem.

135 Secundò probatur Conclusio quoad formam substantialem. Ille est terminus quo formalis alicujus actionis, ad quem talis actio per se primò terminatur ; sed Generatio substantialis per se primò terminatur ad formam substantialem ut communicantem esse materiæ : ergo forma substantialis est terminus

nus quo formalis Generationis substantialis. Major, & Consequentia constant.

136 Minor autem, in quâ est difficultas, probatur primò. Ad id enim per se primò aliqua actio terminatur, quod per se primò pugnat cum termino illius à quo; sed hujusmodi est forma substantialis: ergo Generatio substantialis per se primò ad illam terminatur. Probatur Minor. Nam terminus à quo Generationis substantialis est privatio formæ generandæ; sed forma generanda per se primò pugnat cum privatione sui: ergo &c.

137 Secundò probatur eadem Minor. Quia Generatio substantialis ad id per se primò terminatur, ad quod est via & tendentia; sed secundùm Philosophum, & Div. Thom. locis pro secunda Conclusionem relatis, Generatio substantialis est via & tendentia ad formam & naturam speciei: ergo &c.

§. II.

*Solvuntur Argumenta.*

138 **A**RGUITUR primò contra primam Conclusionem. Nam Div. Thomas 3. part. quæst. 35. artic. primo in corpore ubi sic ait. *Nativitas potest attribui alicui dupliciter; uno modo sicut subje-*

*cto; alio modo sicut termino. Sicut subjecto quidem attribuitur ei quod nascitur; hoc autem proprie est hypotasis, non natura.... Sed sicut termino attribuitur nativitas natura.... terminatur enim natura intentio ad formam, seu naturam speciei. Ergo juxta mentem Div. Thomæ suppositum non est terminus qui subjectum enim Generationis realiter differt à termino illius; Div. autem Thomas docet suppositum esse subjectum Generationis.*

139 Respondetur Angelicum Præceptorem loqui de subjecto denominationis, de eo scilicet, quod denominatur genitum, quale asserit esse suppositum. In hoc autem manifestè Sententiæ nostræ suffragatur: subjectum enim, quod denominatur genitum ut quod, est terminus qui Generationis, ut vidimus. Quando verò dicit, naturam esse terminum Generationis, loquitur de termino quo formali, qualem esse naturam, secundâ Conclusionem probavimus.

140 **A**RGUITUR secundò. Ille est terminus qui, qui habet esse ut quod; sed natura totalis habet esse ut quod: ergo natura totalis est terminus qui. Probatur Minor, Nam substantia completa habet esse ut quod; sed natura totalis est substantia completa: ergo natura totalis habet esse ut quod.

141 Confirmatur Nam  
C<sub>2</sub> sup

suppositum, seu subsistentia supponit terminum *qui*; sed ex his, quæ supponuntur ad suppositum, sola natura totalis potest esse terminus *qui*: ergo &c. Major probatur. Quidquid enim fit per resultantiam ab aliquâ actione, necessariò præsupponit ejus terminum *qui*; sed subsistentia resultat ex naturâ totali tamquam modus illius: ergo subsistentia terminum *qui* Generationis præsupponit.

142 Respondetur concessâ Majore, negando Minorem. Ad cujus probationem nego Majorem. Natura enim totalis integra & completa intra lineam essentia & substantia non censetur, quousque habeat terminum intrinsecum talis lineæ. Cùm autem subsistentia sit terminus, quo natura totalis intrinsecè in lineâ substantia & essentia terminatur, ante illam completa non censetur, sed solum habet esse ut *quo*, non tamen ut *quod*: id namque habet esse essentia substantialis ut *quod*, quod immediatè est capax existendi ut *quod*; hoc autem soli supposito convenit.

Ad Confirmationem respondetur negando Majorem. Ad cujus probationem distinguo Majorem, Quidquid fit per resultantiam ab aliquâ actione completè terminatâ, saltem ex parte termini primarii, supponit illius terminum *qui*, concedo Majorem: quidquid fit per resultantiam ab aliquâ actione incompletè

terminatâ supponit ejus terminum *qui*, nego Majorem, & distinguo Minorem, subsistentia resultat ex naturâ totali tamquam ex termino *quo*, & inadæquato, concedo Minorem, tamquam ex termino *qui*, & adæquato, nego Minorem, & Consequentiam. Licet enim id, quod resultat ex alio tamquam ex termino *qui* & adæquato alicujus actionis, nequeat se habere ut terminus *qui*, & totalis illius; id tamen, quod ex alio tamquam ex termino *quo*, & inadæquato resultat, optimè potest esse terminus *qui*, & primarius talis actionis; hoc autem modo, & non alio resultat subsistentia ex natura totali: nam cùm Generatio sit via ad esse, id tantum terminat ut terminus *qui*, & adæquatè Generationem, quod in lineâ essentia substantialis habet esse integrum, & completum; sola autem subsistentia est terminus intrinsecus naturam in lineâ essentia totalis complens, & proximè capax existendi constituens: unde priori ad subsistentiam natura ut terminus Generationis completus non supponitur.

143

**A**RGUITUR tertio. Idem est terminus *qui* Generationis substantialis, ac terminus *qui* Generationis accidentalis; sed terminus *qui* Generationis accidentalis non est compositum ex subjecto & formâ, sed sola forma: ergo pariter idem dicendum erit de Generatione substantiali. Probatur Minor. Nam Generatio per se



una debet respicere terminum per se unum ; sed compositum ex subiecto & formâ accidentali non est per se unum , benè tamen forma accidentalis : hæc igitur , & non illud est terminus *qui* Generationis accidentalis.

144 Respondetur negando Minorem. Ad cujus probationem distinguo Majorem, debet respicere terminum *quo* per se unum , concedo Majorem , terminum *qui* , subdistinguo Majorem , si est Generatio substantialis , concedo Majorem , si accidentalis , nego Majorem , & concessâ Minore , nego Consequentiam. Quæcumque enim Generatio , cum sit per se una , debet respicere terminum *quo* & formalem per se unum , eò quòd ab illo desumit speciem. Cum autem Generatio accidentalis terminetur ad compositum accidentale , quod est ens per accidens , Generatio verò substantialis ad ens simpliciter & completum ordinetur ; hæc Generatio , & non illa petit terminum *qui* per se unum.

145 **A**RGVITVR quæritur. Datur Generatio , quæ nec suppositum producat , nec illud aliquo modo attingat : ergo terminus *qui* Generationis nequit esse suppositum , vel subsistens , Consequentia constat. Antecedens verò probatur. Nam beatissima Virgo Maria verè & propriè fuit Ma-

ter Christi Domini ; & tamen suppositum Christi non produxit , cum illud sit increatum , nec naturæ assumptæ univit , cum hæc unio sit altioris ordinis , nempe hypostatici , ad quem inferioritas virginis non pertingit : ergo datur Generatio , quæ suppositum non producat , nec illud aliquo modo attingat.

146 Respondetur negando Antecedens. Ad probationem concessâ Majore , & Minore , neganda est Consequentia. Sicut enim in Generatione hominum generans non producit animam rationalem , neque subsistentiam , aut existentiam , sed homo ut subsistens , & existens immediate creatur à Deo ; & tamen homo hominem generans verè dicitur hominem , vel suppositum hominis generare , eò quòd præparando & determinando materiam ad formam , illud esse subsistentiæ & existentæ animæ pro priori naturæ à Deo factum , per unionem animæ ad corpus communicatur à generante ipsi corpori , & sic producit integrum hominem ; pariter in præsentī licet suppositum Christi non fuerit productum à Virgine , sed in eodem instanti communicatum à Deo prius animæ Christi , deinde corpori ; quia tamen in eodem instanti assumptionis animæ ad subsistentiam Verbi beatissima virgo præparavit materiam ad animam assumptam à Deo , esse & subsistentiam Ver-

bi, quam invēnit in animâ, communicavit corpori: ac propriè & formalissimè dicitur Mater Christi, vel Personæ divinæ ut subsistentis in illâ humanitate constante corpore & animâ.

147 **C**ONTRA secundam Conclusionem Arguitur primò. In Generatione humanâ non producitur forma: ergo forma substantialis non est terminus quo Generationis substantialis. Probatur Consequentia. Quod non producitur, non accipit novum esse; sed nihil terminat actionem, nisi novum esse ab illâ accipiens: ergo &c. Probatur Minor. Nil enim terminat ut terminus *qui*, nisi novum esse accipiat ab actione, quam terminat: ergo nihil terminat ut *quo*, nisi ab actione, quam terminat, noviter fiat.

148 Respondetur concessio Antecedenti, negando Consequentiam. Ad probationem concessâ Majore, nego Minorem: ad cuius probationem admissio Antecedenti neganda est Consequentia. Terminus enim formalis Generationis non petit per Generationem, adhuc per accidens, & ratione alterius produci, sed factis est, quòd de novo communicetur naturæ: ut patet in Generatione æternâ Verbi divini, cuius terminus formalis est natura divina Filii non ut genita, vel producta, cùm eadem numero sit cum naturâ divinâ Patris, sed tantùm ut communicata.

149 Ad id autem, quod dicitur determino *qui*, respondetur in primis falsum esse, quòd petat per Generationem produci, maximè in nostrâ Sententiâ, in quâ, cùm non detur modus unionis inter materiam & formam, ut vidimus Lib. I. Physic. Quæst. VI. Artic. I. nihil est in homine per Generationem attacktum à generante productum. Unde per hoc, quòd generans uniendo formam, eam ut subsistentem communicet materiæ, sufficienter salvatur suppositam hominis esse terminum *qui* Generationis humanæ.

150 Gratis tamen admissio, terminum *qui* semper à Generatione produci, concedere non tenemur, terminum *quo*, adhuc per accidens, & ratione alterius produci. Ratio discriminis est. Nam terminus *qui*, cùm habeat esse ut *quod*, petit produci per se; forma autem, cùm habeat esse ut *quo*, solùm produci per accidens, quatenus ejus productio est necessaria, ut suppositum communicetur. Quare si aliquando contingat, vel quòd producta supponatur, ut in Generatione humanâ, vel quòd incapax producibilitatis sit, non tamen communicabilitatis, ut essentia divina; tunc poterit esse terminus *quo*, absque eo quòd per Generationem, vel per aliam actionem producta supponatur.

151

**A**RGVITVR secundò. Idem est forma

ma ut communicata , ac forma ut unita : ergo si forma ut communicata est terminus formalis Generationis , erit etiam terminus formalis illius ut unita. Sed non potest esse terminus formalis ut unita , aliàs unio esset terminus *quo* , vel ingrederetur constitutionem illius : ergo &c.

152 Respondetur concessio Antecedenti , distinguendo Consequens , erit terminus formalis ut unita , *ly ut unita* dicente applicationem termini formalis specificantis , concedo Consequentiam , *ly ut unita* dicente ipsum terminum formalem specificantem , nego Consequentiam. Sub eâdem distinctione Minoris subsumptæ neganda est Consequentia. Forma enim ut communicata , & unita dicit seipsam ut rationem specificantem & formalizantem terminum *qui* , ipsam autem unionem tamquam applicationem seu exercitium ipsius formalis termini. Unde forma , & non unio est terminus *quo* Generationis substantialis.

153 Replicabis. Anima rationalis ut terminat creationem debet esse in ratione termini distincta à seipsâ ut terminante Generationem ; sed si unio non est formalis terminus , & specificans Generationem , anima ut terminans Generationem non erit diversa à seipsâ ut creationem terminante : ergo unio non est tantum applicatio , sed ratio ipsa specifica termini. Probatur Minor,

Nam termini diversarum actionum non diversificantur specificè per diversitatem applicationum ; sed anima ut terminans creationem solum diversificatur à seipsâ ut terminante Generationem per diversam unionem : ergo unio non se habet tantum ut applicatio.

154 Respondetur concessio Majore , negando Minorem. Ad cujus probationem neganda est Minor. Et ratio est. Nam licet anima rationalis materialiter & in esse rei terminet creationem , & Generationem ; creationem terminat ut formaliter facta ex nihilo in vi ejusdem actionis : qui respectus materialiter & præsuppositivè se habet ad illam ut est terminus Generationis ; hanc enim formaliter terminat secundum quod connotat materiam transmutatam ex vi actionis terminatæ ad formam ut communicandam ipsi materiæ : quæ diversitas connotativa sufficiens est ut terminet prædictas actiones. Notandum est autem , in hac nos Difficultate tantum investigare terminum formalem in esse rei , id est , constitutivum termini *qui* , non verò terminum formalem in esse formaliter termini. unde Objecto non est ad rem.

155 ARGVITVR tertio. **A** Diversitas specifica actionis debet provenire ex diversitate termini in esse formaliter termini ; sed in animâ rationali ut terminante resurrectionem,

& Generationem non est diversitas specifica in esse formaliter termini, nisi per diversitatem unionis : ergo tota diversitas illarum actionum provenit ex diversâ unione ; & consequenter unio erit terminus formalis Generationis.

156 Respondetur, diversitatem resurrectionis, & Generationis non provenire ex diversâ unione, sed ex ipsâ animâ ut diverso modo communicabili materiæ : terminat enim Generationem secundum habitudinem naturalem, quâ respicit materiam ut ei amissibiliter communicandam : resurrectionem vero ut inamissibiliter communicandam materiæ. Ipsa autem actualis communicatio vel unio hoc modo, vel illo facta, solum est exercitium, seu applicatio animæ communicabilis ut ratio formalis specificativa.

157 **A**RGVITVR quæritur. Generatio idem est, ac unio ; sed unio formaliter specificatur ab unione ; sicut illuminatio à luce, & calefactio à calore : ergo Generatio non à formâ, sed ab unione specificatur.

158 Confirmatur. Nam si aliquod agens naturale educeret formam absque unione illius ad materiam, talis educitio ex defectu solius unionis non esset Generatio : ergo unio, & non forma est terminus formalis Generationis. Patet Consequentia. Nam si

unio non esset terminus formalis Generationis, ex solo defectu illius, terminus Generationis non deficeret.

159 Respondetur concessâ Majore, negando Minorem. Licet enim eadem actio generativa, cum non aliter respiciat terminum, nisi illum uniendo ; denominationem tamen Generationis à termino formali & specificativo desumitur. Denominationem autem unionis accipit ab unione tamquam ab applicatione termini formalis illius. Cumque nulla actio ab applicatione sui termini formalis, sed ab ipso termino specificetur, consequens est, quod unio non specificetur ab unione : cujus oppositum contingit in calefactione respectu caloris, & in illuminatione respectu lucis.

160 Ad Confirmationem respondetur concessa Antecedenti, negando Consequentiam. Et ratio est, Nam deficiente unione, deficeret applicatio termini formalis & specificativi Generationis ; cum autem actio formaliter dependeat ab applicatione termini formalis & specificativi illius : actio illa, quæ formam attingeret absque unione illius ad materiam, actio generativa non esset.



ARTICULUS IV.

*Quodnam sit subjectum Generationis substantialis?*

§. I.

*Relatis Sententiis, Conclusio stabilitur.*

161 **I**N hâc Difficultate triplex versatur Sententia. *Prima*, quam tenet Scotus & alii, docet, materiam primam esse subjectum tam inhæisionis, quam denominationis Generationis substantialis. *Secunda* est Magistri Bañez, Araujo, & Joannis à Sanct. Thomâ asserentium subjectum inhæisionis, & denominationis esse compositum genitum, materiam verò primam tantum esse subjectum mutationis, seu in quo exercetur Generatio, eò quòd ipsa materia prima est, quæ transmutatur, & transit de non esse formæ ad acquisitionem illius. *Tertia* tenet Generationem substantialem non subjectari in composito genito, sed in materiâ primâ nudè sumptâ: quam defendunt PP. Carmelitæ Complutenfes hîc, Disput. 2. Quæst. 5. & alii, quos ipsi referunt.

162 Hæc tamen Sententia non unâ ab omnibus defenditur viâ. Rubius enim admitrens Generationem esse actionem ab alteratione distinctam, asserit esse accidens reale, viale tamen,

& incompletum. Prædicti verò Complutenfes docentes non esse actionem distinctam ab alteratione, dicunt esse modum substantialem, qui cum non ponat in numero cum formâ substantiali, cujus est acquisitio, in materiâ primâ immediate recipitur. Magister autè Prado, licet admittat Generationem esse actionem ab alteratione distinctam, putat non esse accidens, sed modum quemdam substantialem, atque aded receptibilem in materiâ primâ nudè sumptâ.

163 Nostra Conclusio est, Generationem substantialem recipi in materiâ primâ tamquam in subjecto inhæisionis. Hæc Conclusio est Philosophi in hoc lib. textu 24. & D. Thomæ ibi lectione 10. propè finem dicente: *Quòd prima materia est maxime proprium subjectum susceptibile Generationis & Corruptionis: quia (sicut dictum est) immediate subsistit formis substantialibus, quæ per Generationem, & Corruptionem adveniunt & recedunt.* Ex quibus tale conficitur Argumentum. Subjectum inhæisionis alicujus formæ est subjectum maxime proprium illius, sed juxta Angelicum Preceptorem *prima materia est maxime proprium subjectum Generationis* ergo est etiam subjectum inhæisionis illius.

164 Clariùs id ipsum docet in 2. dist. 12. quæst. 1. art. 1. ad 5. ubi sic ait: *Ad quintum dicendum, quòd sicut in primo de Generatione dicitur, Materia est*

*immediatè subjectum Generationis, & Corruptionis. Idem repetit in 3. dist. 2 1. quæst. 1. art. 3. ad 5. dicens: Sciendum est, quòd sicut generari est compositi, ita & corrumpi, quamvis subjectum Generati nis, & Corruptionis sit materia.*

165 Secundò probatur Conclusio ratione. Illud est subjectum inhæssionis alicujus actionis, quod per illam transmutatur; sed subjectum, quod per Generationem substantialem transmutatur, est materia prima: ergo materia prima est subjectum inhæssionis Generationis substantialis. Major est Philosophi 5. Physicorum textu 12. dicentis: *Quoniam cui inest, illud mutatur.* Probatur etiam. Nam cum actio formaliter transiens identificetur cum motu, in illo subjecto erit inhæssivè, in quo motus inhæreat; sed motus est in mobili, vel in eo, quod transmutatur, ut ex dictis in 3. Physicorum supponimus; ergo illud est subjectum alicujus actionis, quod per illam transmutatur. Minor autem principalis ostenditur. Illud enim transmutatur per Generationem substantialem, quod transit à termino à quo ad terminum ejus ad quem; sed hujusmodi est materia prima, cum transeat à non esse formæ ad acquisitionem illius: ergo materia prima est, quæ per Generationem substantialem transmutatur.

166 Tertiò probatur Conclusio. Actio eductiva in illo est

inhæssivè subjecto, ex cujus potentialitate formam educit, sed Generatio substantialis est actio eductiva formæ ex potentialitate materiæ: ergo inhæssivè est in ipsâ materiâ.

167 Tertiò probatur Conclusio. Generatio substantialis est via & tendentia ad formam substantialem: ergo in eodem subjecto recipitur, in quo recipitur forma substantialis. Patet Consequentia. Nam via & tendentia ad aliquem terminum, in eodem subjecto recipitur, in quo illius terminus subjectatur: ut constat in Corruptione, quæ idè in materiâ primâ nudè sumptâ recipitur, quia non esse formæ præexistentis, ad quod tendit, in illâ subjectatur, & inest.

168 Confirmatur primò. Generatio est fieri & acquisitio formæ substantialis, sed fieri & acquisitio termini debet præcedere terminum, saltem prioritate naturæ: ergo Generatio substantialis debet præcedere formam substantialem, saltem prioritate naturæ. Sed materia prima est in potentiâ tam ad formam substantialem, quàm ad fieri illius: ergo priùs recipit Generationem, quàm formam substantialem.

169 Confirmatur secundò. Id primò recipitur in materiâ primâ, ad quod primò est in potentiâ; sed materia prima priùs est in potentiâ ad Generationem, quàm ad formam substantialem: ergo priùs recipit Generationem, quàm formam

mam substantialem; ac per consequens Generatio immediatè recipitur in materiâ primâ. Probatur Minor. Ad id enim materia prima est in potentiâ priùs, quod est in executione posterius; sed Generatio substantialis prior est in executione formâ substantiali: ergo materia prima priùs est in potentiâ ad Generationem, quàm ad formam substantialem. Probatur Minor. Nam Generatio est fieri & acquisitio formæ substantialis; sed fieri & acquisitio formæ formam ipsam naturæ saltem prioritate præcedit: siquidem fieri prius est, quàm factum esse, ut per se constat: ergo &c.

176 Confirmatur teritiò. Quia ut diximus 3. Physicorum, Quæst. unicâ, Art. 1. num. 3. 4. & 5. Generatio substâtialis est actus entis in potentiâ secundùm quòd in potentiâ; sed nõ est actus compositi geniti, cum compositum genitum sit terminus *qui*, & completus Generationis: ergo est actus materiæ in potentiâ existentis ad formam: & consequenter debet præcedere ipsam formam, & pro priori naturæ actuare materiam. Patet hæc Consequentia. Nam quod est in potentiâ ad aliquam formam, debet pro priori naturæ præcedere talem formam: ergo si materia ut actuata per Generationem relinquatur in potentiâ ad formam, Generatio prout actuans materiam pro priori naturæ formam substantialem præcedit.

171 His omnibus respõ-

det Mag. Joannes à S. Thomâ, quòd licèt materia prima sit subiectum per Generationem mutatum, non ipsa, sed compositum genitum est subiectum inhesionis illius: èd quòd actio identficatur cum termino, & mediante illo recipitur; terminus autem Generationis est compositum ex materiâ & formâ conflatum.

172 Contra tamen est primò, Nam falsum est actionè identficari cum termino ejus *ad quem*, ut communiter docetur in 3. Physicorum: ergo nulla est assignata Solutio.

173 Secundò. Quia actio non inhæret mediâte termino producto, ut prædictus Auctor intendit, sed potiùs infert passionem, quâ subiectum mutetur, & constituatur actu tendens ad formam, ut constat in alteratione, quæ, mediâ qualitate ab illâ productâ, non recipitur in composito, sed illam tamquam via, & tendentia præcedit.

174 Teritiò. Quia juxta prædictum Auctorem, materia prima est in quâ exercetur Generatio, sed exercetur in illâ tamquam in passo & principio purè receptivo: ergo in illâ subiectatur. Patet Consequentia, Nam actio in illo subiecto recipitur, in quo tamquam in passo & principio purè receptivo exercetur: ergo si Generatio substantialis in materiâ tamquam in passo & principio purè receptivo exercetur, in illâ subiectatur.

## §. II.

*Solvuntur Argumenta:*

175 **A**rguitur primò. Si Generatio substantialis recipitur in materiâ primâ, illam denominaret genitam; hoc est falsum, aliàs non esset ingenerabilis, & incorruptibilis: ergo Generatio in illâ non recipitur. Probatur Major. Nam implicat formam intrinsecè aliquod subjectum afficere, & illi suum effectum formalem non præstare; sed denominatio geniti est effectus formalis Generationis: ergo si materiâ primâ intrinsecè inhæreret, illam genitam denominaret. Major constat, Nam effectus formalis formæ nihil aliud est, quàm ipsa forma communicata subjecto: ergo implicat formam aliquod subjectum afficere, & illi suum effectum formalem non præbere.

176 Respondetur negando Majorem. Ad cujus probationem distinguo Majorem, implicat formam intrinsecè aliquod subjectum afficere, & illi suum effectum formalem adæquatam non præstare, nego Majorem, inadæquatam concedo Majorem, & distinguo Minorem, denominatio geniti est effectus formalis inadæquatus Generationis, concedo Minorem, adæquatus, nego Minorem, & Consequentiam. Ad Probationem Majoris distinguo Antecedens, effectus formalis nihil aliud est, quàm

ipsa forma communicata subjecto capaci, concedo Antecedens, incapaci, nego Antecedens, & Consequentiam.

177 Licet enim forma communicata subjecto capaci, omnem effectum formalem illi communice; secus verò accidit quando in subjecto non adest capacitas ad omnes effectus formales formæ: ut contingit in animâ rationali, quæ, quamvis sit vegetativa, sensitiva, & rationalis, capillos reddit vegetativos, non autem sensitivos, aut rationales; manus verò sensitivas constituit, quin rationales reddat, non aliâ ratione, nisi quia datur capacitas ad unum effectum, non autem ad alterum. Cùm igitur Generatio substantialis duplicem præstet denominationem, alteram mutati, alteram verò geniti, & ad primam detur capacitas in materiâ, non autem ad secundam; hinc est, quòd materia prima per Generationem substantialem denominetur mutata, non possit tamen denominari genita.

178 **A**rguitur secundò. Si Generatio substantialis recipitur immediatè in materiâ primâ, prius materia prima actuaretur per formam accidentalem, quàm per formam substantialem; hoc repugnât: ergo & illud. Consequentia legitime infertur. Minor supponitur. Major autem probatur. Nam Generatio est actio formaliter transiens realiter ab alteratione distincta; sed actio transiens



transiens est verum accidens, utpote ad Prædicamentum pertinens Actionis: ergo si immediatè reciperetur in materiâ primâ, prius materia prima actuaretur per formam accidentalem, quàm per formam substantialem.

179 Huic Argumento dupliciter potest responderi. Primò cum Mag. Prado. negando Majorem. Ad cujus probationem concessâ Majore, distinguendo Minorem, actio formaliter transiens, quæ fit cum motu successivo, est verum accidens, & ad Prædicamentum pertinens Actionis, concedo Minorem, actio instantanea, & quæ non fit cum motu successivo, subdistinguo Minorem, si immediatè terminetur ad substantiam, nego Minorem, si immediatè ad substantiam non terminetur, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Cum enim Generatio sit mutatio, & via ad formam substantialem tamquam ad terminum ejus ad quem, reductivè pertinet ad Prædicamentum Substantiæ, sicut imperfectum ad perfectum ejusdem generis. Quare ex eo, quòd materia prima prius Generationem, quàm formam substantialem recipiat, non infertur, prius per formam accidentalem, quàm substantialem actuari.

180 Secundò responderetur distinguendo Majorem, prius actuaretur per formam accidentalem incompletam, & vialem, quàm per formam substantialem,

concedo Majorem, per formam accidentalem completam, nego Majorem, & distinguo Minorem, repugnat materiam primam prius actuari per formam accidentalem vialem, & incompletam, quàm per formam substantialem, nego Minorem, per formam accidentalem completam, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Ad probationem Minoris, distinguo Majorem, est actio formaliter transiens instantanea, concedo Majorem, successiva, nego Majorem, & concessâ Minore, distinguo Consequentiam distinctione Majoris, & nego Consequentiam.

181 Quamvis enim Generatio substantialis sit verum accidens ad Prædicamentum pertinens Actionis; est tamen accidens viale, & incompletum, cujus totum esse est esse viam ad formam substantialem, quâ semel introductâ, statim evanescit, & transit. Quare sicut non implicat materiam prius recipere modum unionis (in Sententiâ illum admittente) quàm formam substantialem, eò quòd est ipsa actualis applicatio formæ ad materiam; ita non implicat Generationem, quæ est actualis, & instantanea acquisitio formæ, immediatè materiam actuare, quamvis, si accidens esset completum, repugnaret.

182 Contra primam tamen Solutionem objicies. Nam impli-

cat Generationem esse modum substantialem: ergo nulla est prima Solutio. Probatur Antecedens primo, Nam Generatio est vera & propria actio; sed actio, quæ est verè & propriè talis, pertinet ad Prædicamentum Actionis: ergo, cum tale Prædicamentum sit accidens, Generatio non erit modus substantialis, sed verum accidens ad Prædicamentum pertinens Actionis.

183. Secundo probatur Antecedens. Generatio immediate procedit à potentiâ generativâ accidentali: ergo est accidens, & non modus substantialis. Patet Consequentia, Nam actus immediate procedens ab aliquâ potentiâ, debet esse in eodem genere, in quo est illa. Unde quia in divinis potentiâ generativa, & spirativa sunt substantia, Generatio etiam & spiratio activa rationem etiam substantiæ habent: & quia in Angelis potentiæ immediate operativæ sunt accidentia, omnes illorum actiones rationem quoque accidentis sortiuntur: ergo si potentia generativa, à quâ immediate procedit Generatio, pertinet ad Prædicamentum accidentis, ipsa etiam Generatio ad Prædicamentum accidentis pertinebit.

184. Respondetur negando Antecedens. Ad cuius primam probationem concessâ Majore, distinguo Minorem, actio, quæ est verè & propriè talis, pertinet ad Prædicamentum Actionis, si sit sub-

stantialis, & directè ad substantiam terminata, nego Minorem, si sit accidentalis, & ad substantiam non terminata directè, subdistinguo Minorem, si sit formaliter transiens, concedo Minorem, si sit formaliter immanens, nego Minorem, & Consequentiam.

185. Duplex enim est actio creata: altera immanens, quæ, licet sit accidens, non est de Prædicamento Actionis, sed pertinet ad Prædicamentum Qualitatis: altera verò est formaliter transiens; & hæc divisione tantum analogâ dividitur in accidentalem, quæ solum terminatur immediate ad productionem accidentium, & in substantialem, quæ immediate tendit vel ad productionem substantiæ, vel ad physicam communicationem illius. Prima est de Prædicamento actionis, & identificatur cum motu successivo, ut in alteratione contingit: secus verò secunda, quæ, cum ad substantiam immediate terminetur, reductivè, & tamquam quid imperfectum seu modus illius pertinet ad Prædicamentum Substantiæ.

186. Ad secundam probationem Antecedentis responderetur distinguendo Antecedens, Generatio immediate procedit à potentiâ generativâ accidentali tamquam proprius actus illius secundum suam speciem consideratus, nego Antecedens, tamquam proprius actus substantiæ, in cuius virtute operatur, concedo Antecedens, & nego Consequentiam. Ad cuius pro-

probationem distinguo Antecedens, debet esse in eodem genere cum potentiâ, si actus immediatè procedens à potentiâ sit primarius, & proprius talis potentiæ, concedo Antecedens, si primarium supponat, & non sit proprius actus illius, sed alterius, in cuius virtute operatur, nego Antecedens, & Cōsequentiam.

187 Cùm enim substantia non sit immediatè operativa, ut diximus Lib. II. Physic. Quæst. III. Art. II. sed semper operetur mediis qualitatibus superadditis, & istæ, substantiæ productionem nõ attingant; consequens est, quòd Generationem præcedat altera actio accidentalis, quæ potentiæ generatiuæ virtute propriâ operanti correspondeat tamquam primus, & proprius actus illius, cum quo proportionetur, & à quo speciem desumat: & deinde subsequatur Generatio ut actus proprius substantiæ, in cuius virtute à potentiâ generatiuâ causetur.

188 Contra secundam etiam Solutionem objicies. Non minus implicat materiam primam immediatè recipere formam accidentalem vialem & incompletam, quàm completam; secundum non admittimus: ergo nec primum admittere debemus. Major probatur *primò*. Idèò materia prima non recipit immediatè formam accidentalem completam, quia priùs reciperet actum extraneum, & alieni generis, quàm intraneum & propriæ linear, qualis est forma substantia-

lis; sed hoc idem sequitur ex eo, quòd ante formam substantialem recipiat formam accidentalem incompletam & vialem: ergo &c. Minor constat. Nam accidens viale est in lineâ entis secundum quid, imò imperfectius est quocumque accidenti completo: ergo sicut ex immediatâ receptione accidentis completi sequitur, materiam primam priùs actuari formâ accidentali, quàm substantiali, id ipsum sequetur, si accidens incompletum & viale immediatè recipiat.

189 *Secundò* probatur Major. Ex eo namque probat D. Thomas formam substantialem immediatè informare materiam, quia materia priùs debet recipere actum primum & proprium specificativum, à quo accipit esse essentiæ, quàm actum secundum alterius ordinis, qui ipsam constitutam in suâ specie supponit; sed hæc ratio æquè probat de accidenti viali & incompleto, ac de completo: ergo æquè repugnat materiam primam immediatè recipere formam accidentalem incompletam & vialem, ac completam.

190 *Tertiò* probatur eadem Major. Nam æquè incapax est materia prima ad immediatam receptionem accidentis incompleti & vialis, ac ad receptionem immediatam accidentis completi: ergo sicut hoc non potest immediatè recipere, nec illud potest. Probatur Antecedens, Nam capacitas subiecti ad recipienda accidentia, in eo formaliter consistit, quòd illa possit susten-

sustentare, & in se sustinere; sed materia prima impotens est ex se accidentia sive completa, sive incompleta & vialia sustentare & sustinere: ergo &c. Probatur Minor. Nam materia prima pro priori ad formam non habet propriam existentiam, quâ in se subsistat, sed illam emendicat à formâ; sed quod non est capax ex se ad subsistendum & existendum in se, impotens est ex se ut alia sustentet: ergo materia prima incapax est ex se ad sustentanda accidentia, sive completa sint, sive vialia & incompleta.

191 Confirmatur. Nam si materia prima immediatè reciperet formam accidentalem vialem, & incompletam, illam sustentaret ut *quod*; sed implicat materiam primam nudè sumptam ut *quod* aliquod accidens, quantumvis viale & incompletum, sustentare: ergo. Probatur Minor. Materia namque prima nudè sumpta non habet esse ut *quod*, sed tantum ut *quo*, & ut pars materialis totius habentis esse ut *quod*: ergo non potest ut *quod* aliquod accidens, tam etsi viale & incompletum, sustentare.

192 Respondetur negando Maiorem. Ad cuius primam probationem distinguo Maiorem, idè materia prima non recipit immediatè formam accidentalem completam, quia priùs reciperet actum extraneum & alieni generis, quàm proprium & intraneum; quia priùs reciperet actum extraneum dantem esse ut *quod* & completum;

concedo Maiorem, ut *quo*, incompletum, viale, & per modum actualis acquisitionis substantiæ, quæ præstat esse proprium & intraneum ut *quod*, nego Maiorem, & Minorem. Ad cuius probationem distinguendû est Consequens distinctione Majoris, negandaque Consequentia.

193 Si enim materia prima immediatè reciperet formam accidentalem completam, haberet esse ut *quod* completum & permanens antecedenter ad formam substantialem, quod principiis Angelici Præceptoris adversatur. Si tamen reciperet formam accidentalem incompletam, & vialem, qualis est Generatio substantialis, solum reciperet pro priori ad formam substantialem aliquod esse ut *quo* incompletum & viale, medio quo tamquam fieri & acquisitione talis formæ reciperet ipsam ut primò tribuentem esse ut *quod*, & completum: ac per consequens salvaretur, quòd actus, quem primò recipit materia ut ipsi dantem esse completum & ut *quod*, est forma substantialis, quæ est actus intraneus illius, & ejusdem lineæ cum ipsâ; quod per immediatam receptionem accidentis completi nõ salvatur.

194 Et quidem Argumentum patitur manifestam instantiâ, *Tum* in Sententiâ modum unionis inter materiam, & formam adstruentium. *Tum* etiam in Sententiâ asserente Generatione esse modum substantialem. Nam stat optime

mè in utrâque Sententiâ formam substantialem esse actum primum & intraneum materiæ; & tamen materiam primam immediatè recipere talem modum substantialem mediantem ut *quo*, & per modum unionis, vel fieri formæ substantialis: pariter ergo, & æquè optimè stare poterit formam substantialem esse actum primum & intraneum materiæ; & tamen materiam immediatè recipere Generationem substantialem per modum viæ, & actualis tendentiæ ad formam substantialem in eodem instanti introducendam.

195 Ad secundam probationem Majoris dist. Majorem, ex eo probat D. Thomas formam substantialem immediatè informare materiam, quia prius debet recipere actum primum & proprium specificativum per exclusionem alterius mediantis ut *quod*, & ut *quod* completum, concedo Majorem, mediantis ut *quo* tanquam aliquid incompletum & vile, nego Majorem, & Minorem & Consequentiam. Licet enim actus primus & specificativus materiæ, qualis est forma substantialis, debeat esse quod primò recipitur in materiâ tanquam receptibile ut *quod*, tribuens esse specificum, & completum; non tamen requiritur, quòd immediatè in illâ recipiatur immediatione excludente aliud ut *quo* medians. Et patitur Argumentum Instantias præcedenti numero adductas. In Sententiâ namque modum unionis admitten-

te, prius recipitur talis modus in materiâ, quàm forma. In Sententiâ etiam affirmante Generationem esse modum quemdam substantialem, talis modus prius debet quàm forma actuare materiam: cujus nulla alia potest ratio designari, nisi quia uterque modus inter materiam, & formam non ut *quod*, sed tantum ut *quo* mediat.

196 Ad tertiam probationem Majoris respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem prætermisâ Majore, neganda est Minor quoad secundam partem. Ad probationem distingo Majorem, non habet existentiam pro illo priori, concedo Majorem, pro toto instanti reali, nego Majorem, & distingo Minorem, quod non est capax ex se ad existendum propriâ, vel alienâ existentia, impotens est ex se, ut alia sustentet, concedo Minorem, si capax sit existendi alienâ existentia pro eodem instanti, nego Minorem, & Consequentiam. Sicut enim ut materia prima recipiat formam substantialem non requiritur, quòd pro priori ad illam existat (siquidem existentia non requiritur ad causam materialem, sed tantum ad causam efficientem) sed sufficit, quòd connotet existentiam pro posteriori ei à formâ communicandam; ita ut Generationem, quæ est ipsum fieri formæ substantialis susten-

ret, non requiritur, quòd pro illo priori intelligatur existens, sed sufficit quòd toto instanti reali habeat existentiam.

197 Ad Confirmationem respondetur concessâ Majore, negando Minorem. Ad probationem concessô Antecedenti, neganda est Consequentia. Ut enim materia prima sit susceptivum ut *quod*, & primum subjectum alicujus accidentis incompleti & vialis, non requiritur, quòd pro quocumque priori intelligatur existens, sed sufficit, quòd existat pro toto instanti reali. Et ratio est, Quia non major requiritur existentia ut materia prima recipiat id, quòd est via & ipsum fieri formæ, quàm ut ipsam formam recipiat; ut recipiat autem formam non requiritur, quòd pro priori ad ipsam existens intelligatur, sed sufficit, quòd pro toto instanti reali existat.

198 Dices: Si materia prima immediatè reciperet Generationem, fieret compositum accidentale ex utrâque; hoc repugnat: ergo & quòd Generatio immediatè in materiâ primâ recipiatur.

199 Respondetur primò distinguendo Majorem, fieret compositum accidentale incompletum & vile, concedo Majorem, permanentes & completum, nego Majorem, & distinguo Minorem, repugnat fieri ex utrâque compositum accidentale permanentes, & completum, concedo Mino-

rem, incompletum, & vile, nego Minorem, & Consequentiam.

200 Licet enim omninò implicet materiam primam prius constituere compositum accidentale completum, & permanentes, quàm accidentale, eò quòd cum ipsa sit pura potentia in lineâ substantiæ, necessariò petit, quòd compositum permanentes & completum, quòd primò constituit, sit in eadem lineâ substantiæ; non tamen implicat, quòd in priori tantum naturæ prius in executione constituat compositum aliquod accidentale, quòd sit fieri compositi substantialis, ad cujus adventum statim evanescat, & pereat. Quia sicut prius in executione intelligitur materia actu tendens ad compositum substantiale, quàm illud in factò esse constituens; ita prius debet actuari per tendentiam ad compositum substantiale, quàm ad illud constituendum in factò esse perveniat: & quia sic tendens constituitur per Generationem, quæ est accidens incompletum & vile; prius per illam debet actuari, & ex utrâque vile compositum effici, quòd sit fieri compositi substantialis pro illo priori, & fieri tantum durans, pro posteriori autem & factò esse evanescens.

201 Secundò & meliùs forsitan respondetur negando Mai. Licet enim Generatio substantialis sit verum accidens; quia tamen est incompletum & vile cujus totum esse

esse est fieri & inchoari formæ substantialis, non affert propriam existentiam, sed existit per existentiam sui termini: ac per consequens nullum compositum constituit distinctum à composito substantiali, sed est ipsum fieri & inchoatio illius. Et instatur Argumentum in modo unionis, & Generatione substantiali admisâ ut substantiâ modali. Unio namque & Generatio substantialis nullam compositionem faciunt cum materiâ, eò quòd cum sint ipsa actualis communicatio formæ, non habent existentiam distinctam ab existentia totius. Cum igitur Generatio ut accidens sit fieri & inchoari formæ substantialis, propriâ non indigebit existentia, sed existet per existentiam totius: ac per consequens nullam faciet compositionem cum materiâ primâ.

202 Unde, propter allata fundamenta, probabiliter potest in viâ D. Thomæ defendi, Generationem substantialem, quantumvis sit accidens, immediatè in materiâ primâ subjectari. Quia tamen late latum quidem (ut ajunt) unguem vellem à doctrinâ Præceptoris Angelici deviare: Sententia verò docens aliquod accidens immediatè recipi in materiâ sæpissimè à Discipulis D. Thomæ, qui mentem illius accuratius perscrutantur, exploditur; ideò Sententiæ Magistri Prædicatoris tenentis prædictam Generationem esse modum substantialem, standum puto. Cum enim hic modus non ponat in nu-

mero cum re, cujus est modus, eò quod ad idem Prædicamentum pertinet reductivè; inconveniens nullum est, quòd immediatè in materiâ primâ recipiatur, cum qua nullum compositum substantiale constituet, quia aliud esse existentie non habet ab existentia totius: cujus oppositum in Generatione contingeret, si esset accidens, etiam viale & incompletum: nam quodlibet accidens suam habet propriam existentiam vel in-existentiam ab existentia substantie condistinctam.

ARTICULUS V.

*Verum dispositiones antecedentes concurrant ad Generationem?*

§. I.

*Quibusdam suppositis, duplex Conclusio stabilitur.*

203 **S**upponendum est primo, duplicem esse dispositionem: aliam antecedentem, quæ subjectum remotè, & præviè disponit ad formam; aliam verò concomitantem, quæ simul est cum formâ, ad quam disponit. Utriusque meminit D. Thomas 3. part. quæst. 9. art. 3. ad 2. dicens: *Quòd dispositio se habet ad perfectionem dupliciter: uno modo sicut via ducens ad perfectionem: alio modo sicut effectus à perfectione procedens.*

*Per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis.*

204 Secundò supponendum est, dispositionem ultimam & concomitantem non concurrere effectivè ad Generationem formæ, cujus est dispositio, ut docet D. Thomas quest. 28. de veritat. artic. 8. ad 5. dicens: *Quòd dispositio non facit aliquid ad formam effectivè, sed materialiter tantum, in quantum per dispositionem materia efficitur congrua ad receptionem formæ: & sic contritio facit ad gratiæ infusionem in eo, qui culpam habet. Ubi expressè loquitur de dispositione ultimâ, & concomitante, cum apponat exemplum in contritione, quæ est ultima dispositio ad gratiam: ut constat ex eodem D. Thomâ, qui de illâ loquens in Solutione ad 3. eiusdem Articuli, sic ait: *Contritio est à libero arbitrio, & à gratiâ. Secundum quod procedit à libero arbitrio, est dispositio ad gratiam simul existens cum gratiâ, sicut dispositio, quæ est necessitas, simul est cum formâ.**

205 Probatur primò hoc Suppositum ratione. Nam dispositiones concomitantes effectivè dimanant à formâ substantiali: ergo non possunt Generationem formæ substantialis effectivè causare. Patet Consequentia, Nihil enim potest esse causa effectiva suæ cause efficientis: ergo si dispositiones concomitantes tamquam à causâ effectivâ à formâ substantiali dimanant, Generationem formæ sub-

stantialis effectivè causare non possunt.

206 Secundò probatur idem Suppositum. Nam causa efficiens instrumentalis (in quo tantum causæ genere ultimæ dispositiones ad Generationem formæ concurrerent) nequit operari, saltem naturaliter, nisi ut in aliquo subjecto recepta; sed ultimæ dispositiones in nullo subjecto recipiuntur pro priori ad formam genitam substantialem: ergo nequeunt Generationem illius effectivè causare. Probatur Minor, Quia non recipiuntur in composito corrupto, cum hoc ante instans inceptionis illarum esse desierit; neque in aliquo corpore circumstante, cum illud non disponant ad formam: neque in materiâ primâ, in hac enim nullum accidens antecederet ad formam sustentatur: neque tandem in composito genito, siquidem hoc per formam substantialem constituitur, & illam præsupponit. Cum igitur nullum aliud restet subjectum pro priori ad formam, in nullo subjecto receptæ supponuntur; ac per consequens formam substantialem nequeunt effectivè causare. ¶ An verò dispositivè concurrant ad introductionem formæ substantialis? Articulo sequenti videbimus. Præsens autem Difficultas tota est de dispositionibus antecedentibus An scilicet, & quo modo concurrant ad Generationem substantialem? His igitur præsuppositis, sit



207 *Prima Conclusio.* Dispositiones antecedentes in genere causæ materialis dispositivæ concurrunt ad Generationem formæ substantialis. Probat. Id concurret in genere causæ materialis dispositivæ, quod causam materialem receptivam præparat & disponit ad receptionem alicujus formæ; sed dispositiones antecedentes præparant & disponunt materiam, ut recipiat formam substantialem, cum melius sic disposita illam recipiat, quàm si tales dispositiones non præcessissent: ergo dispositiones antecedentes in genere causæ materialis concurrunt ad Generationem formæ substantialis.

208. Confirmatur. Nam materia prima secundum se est omnino indifferens ad hanc, vel illâ formam substantialem recipiendam: ergo ut hanc possit, quàm illam recipiat, prius debet disponi & præparari.

209 Respondebis, materiam ex seipsâ esse proportionatam cum formâ substantiali; & idè non indigere dispositionibus antecedentibus. Quâ de causâ I. Physic. Quæst. VI. Art. I. negavimus modum unionis inter materiam & formam, quia nimirum materia seipsâ est proportionata cum formâ.

210 Sed contra est, nam licèt materia prima ex se sit proportionata cum formâ substantiale ut dante primum esse substantiale absolutè, non tamen est proportionata cum illâ ut tribuente

tale esse specificum, & individuale: ergo ad hujusmodi esse tribuendum requiritur dispositio antecedens.

211 Nec urget exemplum, quod de modo unionis adducitur. In Sententiâ enim illam ut necessarium admittente, nõ adstruitur, ut determinet materiam ad hanc potius, quàm ad illam formam recipiendam; nam priori ad illum determinata supponitur; sed idèd necessarius reputatur, quia est exercitium materiæ erga formam, & formæ erga materiam.

212 *Secunda Conclusio.* Dispositiones antecedentes in composito corruptæ non possunt effectivè concurrere ad Generationem formæ substantialis. Probat. Nam licèt causa efficiens principalis operetur, non requiratur, quòd actu in se existat, sed sufficit, quòd in aliquo à se relicto virtualiter perseveret; id tamè, quod instrumentaliter proxime concurret, & ut virtus alterius, nequit effectivè operari, nisi actu in se permanceat; sed dispositiones antecedentes in composito corruptæ, in instanti Generationis actualiter in seipsis non existunt: ergo effectivè ad Generationem formæ substantialis non concurrunt. Minor constat. Nam semel corrupto subjecto, accidentia in illo recepta corrumpuntur; sed in instanti Generationis subjectum præviarum dispositionum est corruptum: ergo & ipsæ dispositiones evanescent.

213 Major autem quoad secundam partem, in qua est difficultas, probatur primò. Nam actio dicit ab intrinseco actualem egressum ab agente; sed nulla actio potest actualiter egredi ab eo quod in se, vel in suo instrumento actualiter non existit: ergo ut aliquid effective instrumentaliter operetur, requiritur, quòd in seipso actualiter perseveret.

214 Secundò probatur eadem Major. Quia causa operatur per actualem influxum in effectum; sed quod vel in se, vel in suo instrumento actualiter non existit, nequit actualem influxum prestare in effectum: ergo dispositiones antecedentes, quæ in instanti Generationis non existunt, nequeunt actualiter in formam substantialem influere. Probatur Minor. Influxus enim actualis procedit ab entitate reali causæ operantis; sed quando instrumentum in se ipso actualiter non existit, nullam habet realem entitatem: ergo instrumentum actualiter in se ipso non existens nequit actualiter influere in effectum.

215 Respondet Mag. Prædo, quòd ut aliquid actualiter causet, sufficit, quòd existat formaliter, vel virtualiter. Cum autem Generatio sit terminus alterationis, talis est connexio inter utramque, quòd desinente alteratione, incipiat Generatio.

216 Contra tamen est primò. Nam alteratio nec formaliter, nec virtualiter existit in instanti

Generationis: ergo Generatio nequit ab alteratione effective procedere. Probatur Antecedens. Nam alteratio solum posset virtualiter permanere in termino primario, qualis est dispositio antecedens in composito corrupto recepta; sed hæc in instanti Generationis non existit: ergo Generatio nequit subsequi ex alteratione, ut ad dispositionem antecedentem terminatam.

217 Secundò. Non enim minus implicat aliquam actionem ex causâ in se, & in suâ virtute transactâ oriri, quàm affectum aliquem ex actione & termino ejus non existentibus resultare; sed in Sententiâ prædicti Magistri implicat formam genitam ex alteratione & termino ejus in instanti Generationis non existentibus resultare: ergo etiam implicabit Generationem ut novam actionem ex alteratione & termino ejus in instanti Generationis non existentibus oriri.

## §. II.

### *Tertia Conclusio Statuitur;*

218 **T**ertia Conclusio. Quando generans est immediatum immediatione supposito & virtutis materiæ, ex quâ forma generatur, virtus instrumentaria, quâ ad Generationem concurrat, inhæret supposito generanti: quando verò generans est distans à materiâ, ex quâ generatur forma, virtus instrumentaliter ad Gene-

nerationem cōcurrrens residet in parte proximiori materiæ, ex quâ forma generatur.

219 Explicatur Conclusio. Nam generans aliquando est præfens & immediatum per se ipsum materiæ, ex quâ forma generatur, ut quando ignis generans formam ignis ex ligno, per seipsum & immediatè est applicatus tali ligno: & in tali casu virtus proximè elicitiva Generationis est calor existens in igne generante, à quo priùs processerat alteratio ad dispositiones antecedentis terminata. Aliquando verò generans est absens & distans à materiâ, ex quâ forma generatur: ut Sol generans plantam, & homo alium hominem, cum tamen maximè uterque distet à materiâ, ex quâ tales effectus generantur: in quibus casibus virtus, quâ generans Generationem formæ proximè attingit, in generante non residet, sed in parte proximiori materiæ, ex quâ fit generatio: & idè inter dispositiones antecedentes computatur.

220 Sic explicatâ Conclusionem, probatur quoad primam partem. Nam in instanti Generationis ignis v. gratia, Generatio non potest provenire à dispositionibus antecedentibus in ligno corrupto receptis, ut præcedenti Conclusionem probavimus: ergo cum in instanti Generationis formaliter existat ignis generans, aliàs autem sit sufficienter applicatus materiæ ligni, ex quâ for-

ma ignis generatur, Generatio in illo instanti à calore existente in igne generante procedit, à quo processerat alteratio ad dispositiones prævias terminata.

221 Quoad secundam etiam partem probatur Conclusio. Quia nullum agens naturale potest operari nisi sit applicatum passo immediatione suppositi, vel immediatione virtutis: ergo quando generans non est præfens in se materiæ, ex quâ forma generatur, debet circa illam operari mediâ aliquâ virtute ab illo decisâ, quæ tali materiæ sit proximè applicata; sed non potest operari mediis dispositionibus præviis, hæ namque in instanti Generationis non existunt: ergo mediâ aliquâ ejus virtute receptâ in proximiorè parte materiæ, ex quâ fit formæ Generatio. Probatur Consequentia. Nam talis virtus, cum sit accidens, nequit esse in materiâ primâ ante formam genitam immediatè recepta: neque potest recipi in composito genito, hoc enim est effectus talis virtutis; ac per consequens illâ posterius: ergo cum nullum aliud sit subjectum, debet recipi in parte aliquâ proximiori materiæ, ex quâ forma generatur.

222 De Generatione autem viventium clarè id docuit D. Thomas 1. part. quæst. 118. art. 1. ad 3. & quæst. 3. de potentiâ, artic. 9. in corpore, & articul. 11. ad 8. in quibus locis asserit, quod virtus activa seminis non est in to-

to semine, sed in aliquibus partibus, in quibus includuntur spiritus quidam similes vaporibus simul cum quodam calore ex virtute corporum celestium derivato: & tales partes sic spirituosæ feminis agunt in alias crassiores, & corpulentiores, quæ se habent tamquam materia, ex quâ fit viventium Generatio.

123 Licet autem talis materia corpulenta variatur per diversas formas, ut embrionis & alias usque ad ultimam & perfectam, non tamen destruitur pars illa spirituosa, in quâ residet virtus activa seminalis, sed existit in ipso etiam Generationis instanti. Quare semper manet distinctio inter partes, quæ effectivè agunt, & partes, in quibus introduçitur forma viventis: forma namque genita non introduçitur in partibus illis spirituosis, in quibus est prædicta virtus activa feminis, cum ex illis fetus non formetur, sed ex crassiori, corpulentiorique materiâ feminis & sanguinis: si enim ex partibus illis spirituosis tanquam ex materiâ fetus formaretur, destrueretur virtus activa feminis in illis existens; ac per consequens non posset mediâ illâ perfici Generatio usque ad complementum & introductionem formæ perfectæ.

224 Si autem inquiras: Quid fiat de illis partibus spirituosis habentibus virtutem feminis, postquâ introducta est forma animalis? Respondet D. Thom. q. 118.

citatâ ad 4. quod evanescente spiritu & semine dissoluto, desinit illa virtus activa, quæ erat in semine, eò quod erat virtus instrumentalis, quæ cessat producto effectu: ac per consequens pars illa spirituosæ dissolvitur, & evaporatur; proindeque semper distinguitur pars agens & movens à parte motâ in quâ introduçitur forma: alia enim est pars, in quâ introduçitur forma genita, ab illâ, in quâ residet virtus Generationem eliciens: per quod salvatur, quod virtus, à quâ proximè generatio procedit, in instanti Generationis existit.

225 Contra hanc Conclusionem objicies. Quando ignis approximatus ligno, in illo introduçitur formâ ignis, non elicit Generationem medio calore recepto in parte proximiori materiæ ligni, in quo introduçitur formâ ignis: ergo tertia hæc nostra Conclusio non subsistit. Probatur Antecedens. Nam Generatio ignis solû potest proximè instrumentaliter à calore ut octo provenire, cum hic tantum sit virtus instrumentaria productiva substantiæ; sed calor ut octo nequit existere in parte proximiori materiæ, in quâ producitur formâ ignis: ergo &c. Probatur Minor, Quia calor ut octo est dispositio concomitans, & propria passio formæ genitæ ignis; sed propria passio formæ genitæ ignis non est in parte proximiori materiæ, in quâ introduçitur talis forma, sed in eadem materiâ in quâ talis forma introduçitur, ut per se constat: ergo vera est Minor.

226 Respondetur negando Antecedens. Ad probationem distinguo Majorem a calore ut octo virtualiter, concedo Majorem, entitativè & formaliter, nego Majorem, & distinguo Minorem, calor ut octo entitativè & formaliter, concedo Minorem, virtualiter, nego Minorem, & Consequentiam. Licèt enim calor in parte illà proximiorè receptus, entitativè & formaliter sit infra calorem ut octo; virtualiter tamen, prout scilicet est virtus instrumentaria ab igne generante procedens, habet vim ad attingendam formam ignis simul cum calore ejus ut octo: ac per consequens virtualiter est ipse calor ut octo; unde potest producere quidquid in calore ut octo entitativè & formaliter sumpto continetur.

227 Alia Argumenta, quæ contra hanc Conclusionem fieri solent, omittimus; ex ratione quippe, quâ illam probavimus, facilè præcluduntur.

ARTICULUS VI.

*Utrum accidentia effectivè dimanantia à forma genita disponant materiam ad receptionem ejusdem formæ?*

§. I.

*Statuitur Conclusio.*

228 **N**ostra Conclusio est. Accidentia effectivè à

formâ genita dimanantia, licèt ad illam in genere causæ efficientis subsequantur, eam tamen in genere causæ materialis dispositivæ procedunt. Conclusio est communis inter Thomistas: Et probatur primò ex D. Thomâ 3. p. quæst. 7. art. 13. ad 2. dicente: *Calor, qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis jam præexistentis.*

229 Idem docet quæst. 28. de veritate, art. 8. in fine corporis sic dicens: *Est simile in rebus naturalibus de dispositione, quæ est necessitas ad formam, quæ quodammodo præcedit formam substantialem, scilicet secundum rationem causæ materialis. Dispositio enim materialis ex parte materiæ se tenet: sed alio modo, scilicet ex parte causæ formalis, forma substantialis est prior, in quantum perficit & materiam, & accidentia materialia.*

230 Nec obest si dicas, D. Thomam non docere, dispositionem præcedere formam absolute, sed solùm cum quâdam limitatione, quod clarè insinuat illis verbis: *quodammodo præcedit formam.*

231 Non, inquam, obest. Nam cum ultime dispositiones tantùm concurrant ad formam in genere causæ materialis dispositivæ; causalitas autem in tali genere comparativè ad formalem & effectivam sit tantùm secundum quid, idèd asserit Div. Thomas, quod *quodammodo præcedit formam substantialem, quam particularem*

quodammodo statim ipse declarat, dicens: *Scilicet secundum rationem causæ materialis.*

232

Secundò probatur Conclusio ratione. Quotiescumque aliqua forma dependet ab aliquibus accidentibus in sui introductione & receptione in materiâ, talia accidentia dispositivè concurrunt ad introductionem illius in materia; sed hujusmodi sunt accidentia effectivè à formâ dimanantia: ergo dispositivè concurrunt ad receptionem formæ. Probatur Minor, Nam si accidentia dimanantia à formâ non afficerent in instanti Generationis compositum genitum immediatè, materiam verò mediatè, receptio talis formæ in materiâ esset omninò præternaturalis, & miraculosa; hoc autem non est dicendum: ergo introductio & receptio formæ substantialis in materiâ per se & necessariò dependet ab accidentibus effectivè ab ipsa dimanantibus.

233

Confirmatur primò. Nam eatenus accidentia dimanantia à formâ non possent disponere materiam ad receptionem illius, quatenus in genere causæ efficientis sunt simpliciter posteriora tali formâ; sed ex hoc capite non repugnat: ergo optimè possunt disponere ad receptionem illius. Probatur Minor. Quia non repugnat aliquid esse simpliciter prius altero in aliquo genere, & esse in alio genere secundum quid illo posteriorius: ergo ex eo, quòd forma substantialis in genere causæ efficientis simpliciter

fit prior accidentibus, non repugnat talia accidentia secundum quid, & in genere causæ materialis dispositivè formam substantialem præcedere. Probatur Antecedens tum ex communi Proloquio ex Arist. 5. Metaph. & 2. Physicorum textu 31. desumpto, quòd scilicet *Causæ adinvicem sunt causæ.* Tum etiam ex illo exemplo sæpè à D. Thomâ repetito de aère intrâte per fenestram, aliâs clausam, cujus activus ingressus licèt in genere causæ efficientis sit prior apertione fenestæ, fenestæ tamen apertio prior est illo in genere causæ materialis.

234

Confirmatur secundò. Nam ad prioritatem simpliciter non requiritur quòd aliquid ita omnibus modis sit prius, quòd in altero genere non possit esse posterius: ergo licèt forma, ut efficiens, & compositum genitum, ut subjectum immediatè receptivum accidentium, sint simpliciter priora accidentibus, poterunt hæc in genere causæ dispositivæ illa præcedere. Antecedens constat discurrendo per omnia causarum genera. Licèt enim finis sit simpliciter prior omnibus causis, eò quòd cum omnes causent propter illum, tribuit efficienti quòd agat, materiæ quòd recipiat, formæ quòd informet; secundum tamen esse reale exercitum ab illis causatur; ac per consequens omnes hæc causæ in suo quæque genere finem causant & præcedunt.

235

Rursus, *Causa efficiens*

ciens prior est in suo genere causâ materiali, quatenus materia dependet ab efficiente ipsam conservante per introductionem formæ, quam unit, vel educit; & tamen ipsa causa efficiens posterior est materiâ, cum non possit independenter ab illâ suam causalitatem exercere: ergo &c.

236 Denique, Nam materia, cum tribuat formæ entitatem, quâ eam informet, vel saltem informationem, si forma sit ineducibilis, ut anima rationalis, simpliciter est prior formâ; & tamen forma est prior illâ secundum quid: ergo pariter licet accidentia dimanantia à formâ sint simpliciter posteriora formâ, & composito, eò quòd habent suam propriam entitatem à formâ in genere causæ efficientis, & à composito in genere causæ materialis receptivæ; ipsa verò forma & compositum, tamen ab illis essentialiter non dependeat, cum supernaturaliter possint absque ipsis existere; poterunt huiusmodi accidentia esse illis posteriora secundum quid, & in genere causæ materialis dispositivæ, quatenus non possunt absque illis connaturaliter esse.

237 Tertio probatur Conclusio. Nam generans in instanti Generationis producit ultimas dispositiones à formâ dimanantes tam ut exactas à formâ, quàm ut exactas à materiâ; sed ut exactæ à formâ sunt effectus illius, & posteriores ipsâ: ergo ut exactæ à materiâ sunt priores formâ ut

causa dispositiva formæ. Patet Consequentia. Nam idèò ultimæ dispositiones ut exactæ à formâ sunt effectus illius, & posteriores tali formâ, quia ut sic exactæ dependent à formâ; sed ut exactæ à materiâ non dependent à formâ, sed potius forma est dependens ab illis, utpote exactis à materiâ, ut per eas ultimo ad receptionem ipsius formæ disponatur: ergo dispositiones ultimæ ut exactæ à materiâ receptionem formæ procedunt, & ad illam disponunt. Major autem probatur. Nam sicut forma exigit dispositiones ultimas, ut materialiter disponat materiam, ita materia ut sigillata & determinata per dispositiones antecedentes postulat accidentia, quibus ultimo disponatur, ut connaturaliter recipiat formam totalem: ergo sicut generans in instanti Generationis producit ultimas dispositiones ut exactas à formâ; ita eas producit ut petitas à materiâ.

238 Ut autem huc usque dicta melius capiantur, & Argumenta contraria facilius evadentur, advertendum est, prioritatem naturæ non esse prioritatem *in quo*, id est, in quo fit unum sine altero; sed esse tantum prioritatem à *quo*, vel *quia*, hoc est, quòd idèò sit unum, quia est aliud, & ab illo dependet. Quando ergo dicimus, quòd accidentia sunt priora formâ, non est sensus, quòd talia accidentia sint in aliquo instanti reali sine formâ; sed quòd idèò forma connaturaliter recipitur in materiâ,

xiâ, quia talia accidentia sunt in materiâ, saltem tamquam in subiecto remoto, vel quòd receptio formæ dependet ab illis.

239 Ex quibus infertur, quòd licèt dependentia effectuum à suis causis, & causarum inter se sit realis; instantia tamen, in quibus intelligimus tales prioritates, & dependentias, non sunt distincta instantia realia, sed solùm rationis cum fundamento in re ab intellectu multiplicata. Unde in eodem ind. visibili instanti reali dividimus plura instantia rationis, & cuilibet ex quatuor causis suum proprium instans tribuimus, & in illorum quolibet illud tantùm præcisivè cognoscimus, quod pertinet ad tale genus per modum causæ, causalitatis, aut effectûs: non tamen debemus negare ea, quæ pertinent ad alia causarum genera, in quibus, quod aliàs est prius, solet esse posterius.

## §. II.

### *Solvuntur Argumenta.*

240 **A**rguitur primò. Accidentia dimanantia à forma præsupponunt ipsam formam receptam in materiâ: ergo non possunt disponere ad receptionem illius. Consequentia constat. Antecedens verò probatur. Nam talia accidentia præsupponunt compositum, ex cuius potentialitate educuntur: ergo etiam præsupponunt formam ut partem

illud constituentem intrinsicè.

241 Respondetur distinguendo Antecedens, præsupponunt formam receptam in materiâ quoad id, quod receptio formæ essentialiter importat, concedo Antecedens, quod id, quod connaturaliter exigit, nego Antecedens. Ad cuius probationem distinguo Antecedens, accidentia præsupponunt compositum, si tam ipsa, quàm compositum considerentur secundum ea, quæ essentialiter important, concedo Antecedens, si compositum consideretur secundum ea, quæ connaturaliter exigit, & accidentia ut præcisè exacta à materiâ pro introductione formæ, nego Antecedens, & sub eadem distinctione Consequentis, nego Consequentiam.

142 Licèt enim accidentia à formâ dimanantia supponant formam essentialiter receptam in materiâ, eò quòd ut essentialiter recipiatur non dependet ab illis, cum miraculosè possint absque illis esse in materiâ recepta: ac per consequens sub istâ consideratione supponant compositum essentialiter constitutum tamquam proprium subiectum & causam materiale receptivam illorum; si tamen receptio formæ, & compositum per eam constitutum considerentur secundum ea, quæ connaturaliter exigunt, cum sub istâ consideratione non intelligantur accidentia ut effectus formæ, nec ut recepta in composito, sed ut ab agente causata secundum quòd à materiâ



tantum exiguntur; consequens fit, quod receptionem formæ connaturalis præcedant, & ad illam dispositivè concurrant.

243 Hujus est instantia manifesta in materiâ & formâ coexistentibus ad existentiam compositi: quæ si considerentur ut partes constituentes compositum susceptivum existentia, priores sunt illo simpliciter, cum ejus existentia ab illis necessariò dependeat. Si tamen considerentur ut coexistentes per existentiam totius, sunt illo posteriores, quia dependent à toto in existendo.

244 Sed contra est. Nam antequàm aliquid sit, causare nequit; sed talia accidentia ante receptionem formæ, & compositionem compositi non sunt: ergo nequeunt receptionem formæ dispositivè causare. Major, & Consequentia constant, Minor autem probatur. Nihil enim habet esse ante causalitatem & influxum sue causæ efficientis; sed causa efficiens, saltem per emanationem, talium accidentium, est forma totum ut in materiâ recepta constituens: ergo talia accidentia non habent esse ante receptionem formæ & constitutionem compositi.

245 Respondetur concessâ Majore, distinguendo Minorem, non habent esse ante receptionem formæ & constitutionem compositi, si receptio & constitutio considerentur secundum ea, quæ essentialiter postulant, concedo Minorem, secundum ea, quæ connatu-

raliter exigunt, nego Minorem & Consequentiam. Ad probationem Minoris concessâ Majore, distinguo Minorem, est forma ut recepta quoad sua essentialia, concedo Minorem, est forma connaturaliter recepta, nego Minorem, & Consequentiam. Si enim consideretur forma ut essentialiter recepta in materiâ, prior est prioritate tantum nature ipsi accidentibus, cum prout sic ab illâ dependant & causentur. Si tamen consideretur ut connaturaliter recepta in materiâ, ab accidentibus necessariò dependet: ac per consequens sub tali consideratione per cognitionem purè præcisivam intelliguntur formam sic connaturaliter receptam præcedere. Nam licet accidentia reverà suum esse habeant à formâ, in illo tamen signo rationis non concipiuntur ut effectus formæ, sed ut connaturaliter exacta à materiâ pro connaturali formæ receptione.

246 Dices. Pro priori ad accidentia intelligitur forma connaturaliter recepta in materiâ: ergo talia accidentia non disponunt ad connaturalem formæ receptionem. Probatur Antecedens, Nam pro priori ad accidentia intelligitur forma ut causa connaturaliter illorum effectiva: ergo etiam intelligitur ut connaturaliter recepta in materiâ. Patet Consequentia. Sicut enim ut forma causet, quod sit recepta requiritur, ita ut connaturaliter causet, exposcitur, quod connaturaliter sit recepta: ergo.

247 Respondetur negando Antecedens. Ad cuius probationem concessio Antecedenti, distinguo Consequens, ut connaturaliter recepta connaturalitate debitâ pro illo priori causalitatis effectivæ formæ circa accidentia, concedo Consequentiam, connaturalitate debitâ formæ pro toto instanti reali, nego Consequentiam. Ad cuius probationem distinguendum est Antecedens eâdem distinctione, negandaque Consequentia.

248 Sicut enim forma pro priori ad accidentia est causa effectiva connaturalis illorum, ita pro illo priori debet intelligi connaturaliter recepta in materiâ connaturalitate sibi debitâ pro illo priori ad exercendum munus causæ effectivæ: & quia ad connaturaliter exercendum tale munus tantum requiritur, quod forma pro priori, à quo causat, intelligatur existens, & ut ens in actu, in quo ab accidentibus non dependet; consequens est, quod pro illo priori intelligatur connaturaliter recepta in materiâ connaturalitate sibi debitâ pro illo priori, non tamen connaturalitate sibi debitâ absolute, & pro toto instanti reali: ut enim hoc habeat, necessariò ab accidentibus dependet. Cuius signum est, quod, illis impediis, ne pro toto instanti materiam afficerent, receptio formæ esset omninò præternaturalis & miraculosa.

249 **A**rguitur secundò. Accidètia pro illo priori, quo disponere dicuntur ad re-

ceptionem formæ, vel sunt recepta in materiâ, vel non? Non primùm, aliàs, cum pro illo priori præcedant formam, immediatè recipere in materiâ; si autem secundùm asseratur: Ergo pro illo priori nequeunt disponere materiam ad receptionem formæ. Patet Consequentia. Nullum enim accidens potest suum effectum præstare alicui subjecto, quin illud intrinsecè informet: ergo si accidentia pro priori ad formam non intelliguntur recepta in materiâ, non possunt illam ad receptionem formæ disponere.

250 Respondetur negando suppositum Majoris. Prioritas enim causalitatis non est prioritas essendi, vel *in quo*: ac per consequens pro illo priori, quo accidentia disponunt, nec recepta sunt, nec non recepta. Vel concessâ Majore quoad secundam partem, neganda est quoad primam. Ad cuius probationem concessio Antecedenti, nego Consequentiam. Ad probationem concessio etiam Antecedenti, neganda est similiter Consequentia.

251 Ut enim accidentia pro aliquo priori disponant materiam ad receptionem formæ, sufficit, quod in toto instanti reali sint immediatè recepta in toto composito, & mediatè in materiâ primâ: minimè tamen exposcitur, quod pro illo priori recepta intelligantur. Nam cum accidentia ut recepta in materiâ sint effectus materiæ, & ut ipsam disponunt, ipsa sit effectus

Etus illorum ; non debent pro illo priori intelligi ut in materiâ recepta : aliâs prioritas intelligendi ipsam ut causam , non esset prioritas, sed potius posterioritas intelligendi ipsam ut effectum. Cum hoc tamen stat, quòd pro illo priori concipiuntur ut intrinsecè informantia compositum , & materiam in illo inclusam.

252 Sed replicabis primò. Implicat accidentia pro priori ad formam intrinsecè informare materiam , quin pro eodem priori intelligantur intrinsecè recepta in materiâ ; sed concedimus primum: ergo tenemur fateri secundum. Minor & Consequentia constant. Major autem probatur. Nam forma accidentalis eatenus aliquod subjectum intrinsecè informat, quatenus in illo intrinsecè inhæret; sed intrinsecè non inhæret, nisi intrinsecè recipiatur : ergo si accidentia pro priori ad formam mediâtè intrinsecè materiam informant , pro priori ad formam intelliguntur recepta in materiâ.

253 Secundò. Nam ut accidentia intrinsecè informant , requiritur quòd habeant esse; sed esse accidentium est inesse : ergo nequeunt informare materiam, nisi in illâ intrinsecè recepta intelligâtur.

254 Ad primam ex his Objectionibus respondetur primò negando Majorem. Ad cuius probationem distinguo Majorem, quatenus in illo intrinsecè inhæret , ly *quatenus* reduplicante rationem formalem causandi , nego Majo-

rem, reduplicante conditionem ad causandum, concedo Majorem, & Minorem , & nego Consequentiam. In illo enim priori , in quo intelligitur aliqua causa ut actu causans , præsertim si non sit efficiens , solum debet concipi id, quod in illâ est ratio formalis causandi , non tamen id, quod ut conditio solum requiritur ad causandum. Cùm autem in causâ dispositivâ, vel formali, ut conditio tantum inhærentia ad causandum requiratur ; hinc est , quòd in illo priori in quo intelliguntur accidentia disponere materiam ad receptionem formæ , non debeant intelligi ut intrinsecè illi inhærentia , sed sufficit, quòd pro toto instanti in materiâ recipiantur.

255 Secundò respondeatur , aliter eandem Majorem distinguendo , quatenus in illo intrinsecè inhæret pro toto instanti reali, concedo Majorem, pro quocumque priori , nego Majorem, & concessâ Minore , nego Consequentiam. Licet enim ut aliqua forma accidentalis informet , requiratur, quòd pro toto instanti reali intelligatur inhærens , seu recepta in subjecto , quod informat; non tamen exposcitur, quòd pro illo eodem priori , quo intelligitur informans , concipiatur etiam ut inhærens. Et ratio est , Nam cùm inhærentia formæ in subjecto dicat dependentiam ab illo , & sit effectus illius : forma verò ut informans comparatur ad subjectum ut vera illius causa ; atque aded ut

secundum talem rationem est independentens ab illo, non debet sub reduplicatione informantis concipi prout inhaerens, vel prout in tali subjecto recepta.

256 Instantia est in forma substantiali, quae, quia ut informans est vera causa materiae, & ut in illa recepta effectus materialis illius; pro priori, quo intelligitur ut informans, non intelligitur ut recepta.

257 Ad secundam Objectionem respondetur distinguendo Majorem, quod habeant esse pro toto instanti reali, concedo Majorem, pro priori, quo causant, nego Majorem, & concessa Minore, distinguo Consequens distinctione Majoris, & nego Consequentiam. Sicut enim ut materia sit causa materialis formae, non requiritur, quod pro priori, quo illam causat, intelligatur existens, sed satis est, quod connotet existentiam pro toto instanti reali a forma emendicandam; ita pariter ut accidentia in genere causae materialis dispositive informant materiam, ipsam praeparando ad receptionem formae, non requiritur, quod pro priori, quo illam informando disponunt, cum suo inesse, vel inexistentia intelligantur, sed sufficit, quod pro toto instanti reali inexistant, vel inhaereant.

258 Arguitur tertio. Si accidentia effectivè a forma dimanantia causarent ipsam dispositive, sequeretur, quod ipsa effectivè causarent;

hoc repugnat; ergo & illud, ex quo sequitur. Probatur Sequela. Quod enim effectivè producit ultimam dispositionem ad aliquam formam, ipsam etiam formam effectivè producit; sed forma substantialis effectivè producit accidentia, quae sunt ultimae dispositiones ad ipsam; ergo seipsam etiam effectivè producit.

259 Respondetur negando Sequelam. Ad cujus probationem distinguo Majorem, ipsam formam effectivè producit, si est nam, dispositionem ad ipsam per veram attingat efficientiam, concedo Majorem, si per puram tantum emanationem, nego Majorem, & distinguo Minorem, effectivè producit accidentia per puram emanationem, concedo Minorem, per rigorosam efficientiam, nego Minorem, & Consequentiam. Ad veram enim rationem causae & effectus necessariò requiritur realis distinctio inter utrumque. Quando autem illud, quod effectivè attingit ultimam dispositionem, per puram tantum emanationem illam producit, non est realis distinctio inter causam effectivè attingentem ultimam dispositionem, & formam, ad quam tendit talis ultima dispositio. Cujus oppositum contingit, quando causa effectiva ultimae dispositionis ad formam rigorosum munus erga illam causae efficientis exercet. Forma autem substantialis non causat ultimam dispositionem ad ipsam per veram & rigorosam efficientiam;

Nam, sed per puram tantum emanationem: unde non sequitur, quod seipsam effectivè producat.

260. **A**rguitur quartò. Implicat aliquid esse veram causam suæ causæ efficientis; sed ultimæ dispositiones effectivè dimanant à formâ: ergo nequeunt esse causæ dispositivæ talis formæ. Probatur Major, Nam quod causatur ab aliquo, ab illo in suo esse & existentia dependet; sed causa efficiens, quæ semper operatur ut existens, nequit à suo effectu in esse, & existentia dependere, aliàs quando operaretur, non haberet existentiam: ergo implicat aliquid esse veram causam suæ causæ efficientis.

261. Respondetur distinguendo Majorem, implicat aliquid esse veram causam efficientem suæ causæ efficientis, concedo Majorem, esse veram causam dispositivam; nego Majorem. Ad cujus probationem distinguo Majorem, quod causatur ab aliquo in genere causæ efficientis, concedo Majorem, in genere causæ dispositivæ, nego Majorem, & concessâ Minore, nego Consequentiam. Implicatio enim in eo tantum formaliter consistit, quod aliquid sit causa efficiens suæ causæ efficientis. Quia cum causa efficiens communicat esse & existentiam suo effectui; consequens est, quod eâ parte, quæ esset effectus sui effectus, habeat ab illo existentiam: ex illâ verò parte, quæ esset causa illius, supponeretur ut existens, & in actu;

quæ tamen implicatio non inferitur ex eo, quod causetur dispositivè à suo effectu, ut per se constat.

262. Dices: Implicat aliquid esse causam adhuc dispositivam suæ causæ efficientis: ergo nulla est Solutio. Probatur Antecedens. Implicat quod causa efficiens non supponatur existens ante suum effectum; sed si dispositivè à suo effectu causaretur, non supponeretur existens: ergo. Probatur Minor. Eatenus enim constituitur aliquid sub existentia, quatenus ponitur extra omnes suas causas; sed si causa efficiens dispositivè à suo effectu causaretur, priori, quo causaretur ab illo, non supponeretur extra omnes suas causas, siquidem extra causam dispositivam non supponeretur: ergo non supponeretur existens.

263. Respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem distinguo Majorem, extra omnes causas sui proprii generis, concedo Majorè, alieni, nego Majorè; & distinguo Minorem, non supponeretur extra omnes causas alieni generis, concedo Minorem, proprii, nego Minorem, & Consequentia.

264. Cum enim existentia compositi substantialis sit ultimum complementum in lineâ substantiæ; sicut debet simpliciter quodcumque esse accidentale & alterius generis antecedere, ita debet ad causalitatem dispositivam cujuslibet accidentis præsupponi. Unde pro illo priori, quo forma ut efficiens, & compositum ut cau-

sa materialis causant ultimas dispositiones, jam ut existentia supponuntur: tunc autem tales dispositiones solum intelliguntur ut receptæ in composito, & ut ab agente ad exigentiam formæ causatæ; non tamen requiritur, quod forma & compositum sic causantia, extra omnia causarum genera, etiam accidentis, supponantur: nam dependentia totius ab accidenti solum est dependentia ab aliquo ut in hærente, & innitente in re, quæ prius simpliciter existens supponatur: & ideo accidentia non existere, sed inexistere dicuntur, id est, sunt in re prius existente.

265 Quia verò forma & compositum, quæ sic existentia supponuntur, possunt considerari secundum ea, quæ connaturaliter exigunt, & in tali consideratione dependent ab ultimis dispositionibus non ut receptis, aut exactis à formâ ( prout sic enim dispositiones sunt effectus formæ & compositi ) sed ut causatis ab agente attentâ solum exigentiâ materiæ; sub istâ consideratione, & reduplicatione compositum & forma sunt effectus dispositionum, & illis secundum quid posteriora.

266 Sed instabis. Si ultimæ dispositiones essent causa dispositiva suæ causæ efficientis, intelligerentur ut habentes esse prius illâ, & ut illud non habentes; hoc repugnat: ergo & illud, ex quo sequitur. Probatur Ma-

ior quoad primam partem. Nam quælibet causa, præter finalem, intelligitur habens esse pro priori ad effectum, quem causat: ergo si ultimæ dispositiones essent causæ effectivæ suæ causæ efficientis, pro priori ad illam intelligerentur ut habentes esse. Quoad secundam etiam partem probatur eadem Major. Implicat enim quod aliquid habeat esse ante concursum suæ causæ efficientis, aliàs tale esse esset improductum & increatum: ergo si ultimæ dispositiones essent causæ dispositivæ suæ causæ efficientis, pro priori ad ipsam intelligerentur non habentes existentiam.

267 Pro solutione hujus Objectionis maxime advertendum est, quod quælibet causa ita est prima in suo genere, quod in illo non habeat alteram priorem. Unde quotiescumque causæ, diversi generis considerantur reduplicativè ut causæ, non debet inter illas fieri comparatio per modum prioris, & posterioris: eò quod causæ reduplicativè ut causæ, nullam inter se dicunt dependentiam; posterioritas autem in dependentiâ consistit. Si tamen id, quod in uno genere est causa, ad causam alterius generis ut effectus comparetur, tunc ut posterius concipietur respectu causæ illius generis, à quo dependet.

268 Sit exemplum in materia & formâ, quarum prima considerata ut causa materialis, secunda verò ut formalis, nullam ad,

admittunt inter se comparationem prioris, & posterioris, cum quælibet in suo genere ita sit prima, & independens ab aliâ, quod ad suam causalitatem exercendam pro priori, quo causat, non indigeat adjuvamine alterius ut causantis. Si tamen consideretur forma non ut informas ( ut sic enim potius est causa materiæ ) sed ut effectus materiæ; ac proinde ut in materiâ receptâ; sub tali reduplicatione posterior est ipsâ materiâ, & ab illâ in genere causæ materialis dependens; materia autem sub tali consideratione prior est & independens à formâ. E contra verò considerata materia non ut recipiens ( ut sic enim est causa formæ ) sed ut informata & actuata per formam; sub tali consideratione est effectus formæ; posteriorque & dependens ab illâ in genere causæ formalis; forma verò prior & independens in suo genere à materiâ. His ergo animad-

269 Respondetur distinguendo Majorem quoad primam partem; si ultimæ dispositiones essent causæ dispositivæ suæ causæ efficientis; præsupponerentur ut habentes esse prius illâ, si tales dispositiones considerentur reduplicativè ut causæ dispositivæ; & causa efficiens illarum consideretur reduplicativè ut causa efficiens, nego suppositum Majoris: supponitur enim quod possit fieri comparatio prioris, & po-

sterioris inter causas considerata sub reduplicatione causarum: sic enim consideratæ dispositiones nec intelliguntur habentes esse ante formam ut causam illarum efficientem, nec ut non habentes esse ante illam, sed à prioritate & posterioritate respectu formæ præscindunt. Si ultimæ dispositiones considerentur ut causæ dispositivæ; & causa efficiens illarum, qualis est forma, non sub reduplicatione efficientis, sed ut connaturaliter recepta in materiâ, ac per consequens ut effectus illarum in genere causæ dispositivæ, sub distinguo Majorem, intelligerentur dispositiones ut habentes esse ante suam causam efficientem, per cognitionem purè præcisivam, concedo Majorem, negativam, nego Majorem. Nec amplius convincit probatio illius. Ex quo patet negandam esse secundam partem Majoris. Ad cujus probationem distinguo Antecedens, implicat quod aliquid intelligatur ut habens esse in genere causæ efficientis ante concursum suæ causæ efficientis, concedo Antecedens, in genere causæ materialis, subdistinguo Antecedens, per cognitionem negativam, concedo Antecedens, purè præcisivam, nego Antecedens, & Consequentiam.

270 Ultima namque dispositiones dupliciter possunt ad formam substantialem comparari: vel ut effectus illius in genere causæ efficientis; vel ut cau-

ſæ ipsius formæ in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ. Primo modo conſideratæ non poſſunt intelligi ut habentes eſſe ante formam ut cauſam efficientem illarum, ſed prout ſic ſemper concipiuntur ut poſteriores, & ut habentes eſſe productum in tali genere à formâ. Si verò ſecundo modo accipiuntur, prout nimirum ſunt cauſæ diſpoſitivæ formæ; ſicut ſub tali reduplicatiõne non concipiuntur ut effectus formæ, ita non concipiuntur ut habentes eſſe productum à formâ, ſed ut omninò præſcidentes ab eo, quòd tale eſſe ab illâ habuerint, vel non. Quare licet in illo priori, quo diſpoſitivè cauſant, non poſſit negari, quòd illud eſſe, quod habent, ſit productum, & poſterius in alio genere cauſæ, ſcilicet efficientis, ipſâ formâ, illiusque concurſu; poteſt tamen intelligi purè præſiſivè ut abſtrahens ab hoc, quòd ſit productum à formâ: ac per conſequens ut prius & præſuppoſitum in tali genere ad eſſe ſuæ cauſæ efficientis ſpecificativè ſumptæ, non tamen ſub reduplicatiõne efficientis. Ex quo non ſequitur, quòd tale eſſe ſit improductum & increatum, ſed quòd in illo priori non concipiatur ſub reduplicatiõne producti, ſed ſub expreſſione diſpoſitivè cauſantis.

271

**A**rguitur quintò. Implet idem eſſe prius, & poſterius reſpectu ejuſdem in eodem genere cauſæ; ſed

ſi ultimæ diſpoſitiones eſſent cauſæ diſpoſitivæ ad receptionem formæ, ſimul eſſent priores, & poſteriores illâ in eodem genere cauſæ: ergo non poſſunt eſſe cauſæ diſpoſitivæ ad receptionem formæ. Major, & Conſequentia conſtant. Minor autem probatur. Nam eâ parte, quâ tales diſpoſitiones recipiuntur immediatè in composito conſtituto per formam, erunt poſteriores formâ in genere cauſæ materialis: eâ verò parte, quâ tales diſpoſitiones ſe tenent ex parte materiæ, illam diſponentes ad receptionem formæ, erunt in eodem genere cauſæ materialis priores ipſâ formâ: ergo ſimul eſſent priores, & poſteriores in eodem genere cauſæ.

272

Reſpondetur diſtinguendo Majorem, implet idem eſſe prius & poſterius in eodem genere cauſæ proximo, concedo Majorem, in eodem genere cauſæ remoto, nego Majorem, & diſtinguo Minorem, eſſent priores & poſteriores formâ in eodem genere cauſæ remoto, concedo Minorem, proximo, nego Minorem, & Conſequentiam. Genus enim cauſæ materialis ut ſic in duplex genus proximum materialis cauſæ dividitur, alterum ſcilicet materialis cauſæ receptivæ, alterum materialis cauſæ diſpoſitivæ: in quorum primo diſpoſitiones ſunt poſteriores formâ, & composito, in ſecundo verò priores. Nullum eſt autem inconſevens, quòd aliquid ſit prius,



prius, & posterius respectu ejusdem in eodem genere causæ remoto, quale est genus causæ materialis ut sic.

273 Quomodo licet finis cui & finis cujus gratia sint duo genera proxima contenta sub fine ut sic tamquam sub genere remoto; potest tamen aliquid esse prius in genere finis cui, & posterius in genere finis cujus gratia. Quocirca Incarnatio Verbi Divini in probabili Sententia Thomistarum fuit prior in genere finis cujus gratia genere humano ad gloriam ordinato, ipsum verò genus humanum in genere finis cui fuit prius Incarnatione Verbi: eò quòd hæc fuit volita in utilitatem illius.

274 **A**rguitur sexto. In tantum aliquid ad receptionem alicujus formæ disponit, in quantum determinat agens ad introductionem illius; sed ultimæ dispositiones dimanantes à formâ non determinant agens ad introductionem illius: ergo non disponunt materiam ad receptionem formæ. Major, & Consequentia constant. Minor autem probatur Illud enim determinat agens ad introductionem alterius, à quo agens suam inchoat actionem; sed eo ipso, quòd ultimæ dispositiones dimanant à formâ, agens suam inchoat actionem ab introductione formæ, & mediâ illâ attingit dispositiones ut terminum se-

cundarium: ergo ultimæ dispositiones non determinant agens ad introductionem formæ.

275 Respondetur concessâ Majore, distinguendo Minorem, non determinant agens ut exactæ à formâ, concedo Minorem, ut exactæ à materiâ, nego Minorem, & Consequentiam. Ad probationem Minoris distinguo Majorem, illud determinat agens in genere causæ efficientis ad introductionem alterius à quo suam inchoat actionem, concedo Majorem, in genere causæ materialis, nego Majorem, & concessâ Minore, nego Consequentiam.

276 Ex eo namque quòd agens aut generans suam inchoat actionem ab introductione formæ, & mediâ illâ effectivè dispositiones attingat, solum sequitur, quòd quotiescumque forma & accidentia concipiuntur attingi à generante, prius attingatur forma tamquam terminus ejus primarius determinans illud in genere causæ efficientis ad attingendum accidentia secundariò. Quia verò talia accidentia possunt considerari ut causata ab agente secundum quòd præcisè exiguntur à materiâ, præscindendo, an simul etiam causentur prout exiguntur à formâ; idèò sicut sub tali ratione in genere causæ dispositivæ formam præcedunt, ita prout sic acceptæ, ut determinantia ipsum generans ad introductionem formæ concipiuntur.

piuntur : ac per consequens forma, quæ in genere causæ efficientis est prior, in genere causæ materialis dispositivæ est posterior.

277 **A**rguitur septimò. Dispositio in illo subiecto recipitur, quod per illam disponitur; sed dispositiones dimanantes à formâ non in materiâ, sed in composito genito recipiuntur: ergo dispositiones dimanantes à formâ non disponunt materiâ ad receptionem formæ.

278 Respondetur negando Majorem. Nam ut docet Div. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 3. quæstiunculâ 3. ad 3. *Non oportet in eodem esse dis-*

*positionem, & perfectionem in rebus adinvicem ordinatis: quia dispositio facta in priori ordinatur ad perfectionem factam in posteriori: sicut motus imaginationis est dispositio ad perfectionem intellectus: & similiter motus in intellectu factus potest esse dispositio ad motum affectus.* Sic similiter dispositiones antecedentes receptæ in composito corrupto disponunt remotè materiâ ad receptionem formæ: dispositiones verò concomitantes immediatè receptæ in composito genito, & mediatè in materiâ primâ ipsam ad receptionem ejusdem formæ proximè & ultimatè disponunt.





QVÆSTIO III.

DE CORRPTIONE SVBSTITIALI.

ARTICVLVS I.

*Qualiter Corruptio in ratione mutationis & actionis differat à Generatione substantiali?*

§. I.

*Quibusdam suppositis, quadruplex Conclusio statuitur.*

279. **S**upponendum est primo dari Corruptionem substantialem. Quod constat tum experientia. Tum etiam, Quia materia prima non potest simul habere duplicem formam substantialem: ergo cum per Generationem substantialem acquirat unam; necessarium est quod deperdat alteram; & consequenter quod compositum præexistens substantialiter corrumpatur. Tum denique; Nam materia sublunaris recipit amissibiliter formam substantialem: ergo aliquando eam amittit, quod est dari substantialem Corruptionem.

280

Secundò supponendum est; quod sicut motus strictè

sumptus duplicem habet conditionem; alteram ex parte subiecti, nimirum quod sit ens in actu, hoc est informatum formâ substantiali; alteram ex parte termini, quod scilicet inter terminos positivè contrarios exerceatur; ita mutatio ut à motu successivo distincta duplicem petit conditionem illis oppositam; prima est, quod subjectum illius sit ens in potentia; secunda, quod versetur inter terminos oppositos privativè. Ex quo inferitur, Corruptionem substantialem esse mutationem à motu successivo distinctam; eò quod in materiâ primâ tamquam in ente in potentia recipitur, & ab esse formæ tamquam à termino à quo ad non esse illius tamquam ad terminum ad quem facit transire materiam.

281

Tertiò supponendum est; Corruptionem substantialem juxta Philosophum 5. Phy-

ficorum, & Div. Thomam ibidem lectione 2. sic optimè defini: *Est mutatio ex subjecto in non subjectum.* In quâ definitione ly *subjectum* non accipitur pro supposito vel substantiâ formam aliquam sustinente. Ut enim loco citato explicat Div. Thomas, *Omne id, quod affirmativè significatur, dicitur hic subjectum.* proindeque *non subjectum*, quod negatur. His igitur præsuppositis, sit

282 *Prima Conclusio.*

Corruptio substantialis est mutatio realiter à Generatione substantiali distincta. Probatur. Nam ubi est diversus terminus à quo, & ad quem, ibi est diversa mutatio; sed in Generatione & Corruptione substantiali est diversus terminus à quo, & ad quem: ergo sunt diversæ mutationes. Probatur Minor. Nam Generatio substantialis est transitus à non esse formæ ad esse formæ; Corruptio verò est transitus ab esse formæ ad non esse illius; sed hujusmodi termini distincti sunt, ut per se constat: ergo &c.

283 *Secunda Conclusio.* Corruptio substantialis est realis mutatio, non positiva & per modum entis, sed remota, & per modum privationis à parte rei inventæ. Probatur hæc Conclusio quoad primam partem, Illa namque mutatio est positiva, cujus terminus *ad quem* est positivus, sed terminus *ad quem* Corruptionis non est positivus, sed

privativus, cum sit non esse formæ præexistentis: ergo Corruptio substantialis non est realis mutatio positiva.

284 Quoad secundam etiam partem probatur. Quia Corruptio substantialis est remotio formæ substantialis à materiâ; sed hujusmodi remotio à parte rei invenitur: ergo Corruptio substantialis est realis mutatio per modum remotionis à parte rei inventæ.

285 *Tertia Conclusio:*

Corruptio substantialis non est formaliter actio, adhuc mediata, est tamen actio virtualiter. Pro explicatione hujus Conclusionis notandum est, dupliciter posse aliquam actionem mediata attingere aliquem terminum. Uno modo, quia principaliter attingit unum terminum, & continuando eundem influxum extenditur ad attingendum alterum minus principalem sub priori contentum. Quemadmodum essentia immediate à generante producit, cujus actio mediata ad passionem extenditur.

286 Alio modo potest actio mediata attingere aliquem terminum, ita nimirum, quod producto termino principali, cesset influxus actionis, & mediante influxu tantum formali termini principalis, fiat expulsio alterius incompossibilis cum formâ principaliter productâ. Quod autem sic facit aliquid cum alio incompossibile, dicitur *virtualiter* illud esse.

effectivè corrumpere. Dicimus ergo, quòd Corruptio substantialis non est actio primo modo, sed secundo.

287 Probatur quoad primam partem. Nam influxus activus, etiam mediatus, est verus influxus, veraque productio sui termini; sed Corruptio substantialis non est hujusmodi, cum non tribuat esse suo termino, sed tantum ad auferendum esse formæ præexistentis terminatur: ergo Corruptio substantialis non est actio formaliter, adhuc mediata.

288 Quoad secundam partem etiam probatur. Quod enim facit aliquid formaliter impossibile cum altero, virtualiter illud effectivè corrumpit; sed generans producit formam impossibilem cum formâ præexistente, quæ corrumpitur: ergo virtualiter illam effectivè corrumpit.

289 *Quarta Conclusio.* Generatio & Corruptio sunt unica & simplex actio duplicem includens mutationem superius explicatam, Probatur. Nam ad Generationem unius, & Corruptionem alterius sufficit actio introductiva formæ habentis necessariò adnexam privationem alterius formæ; sed actio generativa est introductiva formæ habentis necessariò adnexam privationem formæ corruptæ; ergo non requiritur duplex actio, quarum altera ad formam genitam, & altera ad non esse formæ præexistentis terminetur, sed unica

tantum erit sufficiens ad utrumque. 290 Ex his constat, qualiter Corruptio, & adnihilatio distinguantur. Hæc enim fit medio aliquo termino formaliter impossibili cum formâ corruptâ: illa verò non fit medio aliquo impossibili cum formâ adnihilatâ, sed per puram tantum suspensionem concursus conservantis.

291 Contra hanc Conclusionem objicies primo. Generatio & Corruptio sunt duæ mutationes: ergo sunt etiam duæ actiones. Antecedens est nostra prima Conclusio. Consequentia verò probatur. Ut enim diximus Lib. III. Physicorum Quæst. unica, Art. 1. Actio & Motus realiter identificantur: ergo si Generatio & Corruptio sunt diversæ mutationes, non possunt non esse etiam diversæ actiones.

292 Respondetur concessio Antecedenti, negando Consequentiam. Ad cujus probationem concessio etiam Antecedenti, neganda est Consequentia, quæ ex illo non inferitur. Citato enim loco non diximus actionem identificari cum quâlibet mutatione, sed cum motu, qui est entitas positiva, cum sit *Actus entis in potentia secundum quòd in potentia*. Unde ex eo, quòd Generatio & Corruptio sint eadem realiter actio, rectè inferitur esse unicum motum; esse tamen unicam mutationem non colligitur.

293 Dices. Non minùs implicat Generationem & corrup-

tionem esse unicam actionem & motum, quàm esse unicam & eandem mutationem, sed admittimus primum; ergo tenemur fateri secundum. Probat<sup>ur</sup> Major. Idèd namque Generatio & Corruptio sunt idem motus & actio, quia unica simplex actio sufficit primariò introducere formam positivam, & secundariò destruere formam oppositam; sed eadem etiam mutatio potest esse transitus primariò ad formam genitam positivam, & secundariò ad non esse formæ corruptæ; ergo vel repugnat utrumque, vel neutrum.

294 Respondetur negando Majorem. Ad cujus probationem concessa Majore, neganda est Minor. Et ratio est. Nam cum motus dicat aliquid positivum per modum influxus; non repugnet autem eandem numero actionem plures terminos ordinatè & consecutivè se habentes attingere, èd quòd actio potest esse unica realiter & virtualiter multiplex, sicut & virtus productiva; ad attingendam formam genitam primariò, & non esse formæ illi oppositæ secundariò, unicus sufficit motus & actio. Ratio autem mutationis tantùm consistit in puro transitu, non verò in influxu inter aliquos terminos. Cum igitur Generatio sit transitus de non esse ad esse formæ genitæ, & Corruptio ab esse ad non esse formæ præexistentis, non sunt unica tantùm mutatio, sed duplex.

295 *Secundò contra eam-*

dem Conclusionem objicies. Generatio est actio realis positiva, Corruptio verò est pura privatio & remotio, formæ præexistentis; sed positivum & privativum identificari omninò non possunt: ergo Generatio & Corruptio non sunt unica & simplex actio.

296 Respondetur concessa Majore, distinguendo Minorem, positivum & privativum, dicens privationem positivi identificari omninò non possunt, concedo Minorem, illius privationem non dicens, nego Minorem; & Consequentiam. Licet enim privatio lucis v.g. identificari non possit cum ipsa luce, èd quòd lux; & privatio lucis opponuntur; privatio tamen tenebrarum luci non opponitur, sed cum ipsa identificatur. Quemadmodum in essentiâ hominis non solum positivum rationalitatis includitur, sed etiam privativum inhabilitatis involvitur. Pariter est discurrendum in præsentì; quòd scilicet ipsamet entitas positiva formæ genitæ, identificat secum privationem formæ corruptæ.

297 Tertiò objicies. Si Generatio & Corruptio essent distinctæ mutationes, maximè propter diversitatem terminorum; sed stare potest diversitas terminorum cum unitate mutationis: ergo Generatio & Corruptio non sunt distinctæ mutationes. Probat<sup>ur</sup> Minor. Cum aer enim illuminatur, dantur quatuor termini contradictoriè oppositi, transitus scilicet de non esse lucis ad esse lucis, & tran-

situs

fitus de esse tenebrarum ad non esse tenebrarum, & tamen duplici hoc transitu non obstante, unica tantum est mutatio: ergo cum unitate mutationis stare potest diversitas terminorum.

298 Respondetur negando Majorem. ad cujus probationem distinguo Majorem, sunt quatuor termini ex modo significandi, concedo Majorem, ex parte rei significatæ, nego Majorem, & concessã Minore, nego Consequentiam. Licet enim esse tenebrarum, & non esse lucis; & esse lucis, & non esse tenebrarum quoad modum significandi distinguantur; re tamen verã non differunt: idem enim omninò est quoad rem significatam esse tenebrarum, ac non esse lucis; & esse lucis, ac non esse tenebrarum: ac proinde idem est in re, fieri transitum de non esse lucis ad esse lucis, ac de esse tenebrarum ad non esse tenebrarum pertransiri. In Generatione autem & Corruptione oppositum oppositã de causã contingit: siquidem terminus à quo & ad quem utriusque non solum ex modo significandi, sed etiam ex parte rei significatæ distinguitur. Nam terminus à quo Generationis est non esse formæ genitæ, & terminus ad quem est positivum talis formæ: terminus vero à quo Corruptionis est entitas positiva formæ præexistentis, terminus vero ad quem est non esse illius: quos terminos ex parte rei significatæ distinguere, per se constat.

§. II.

*Tres alie Difficultates breviter resolvuntur.*

299 **S**Olet hic etiam disputari, Qualiter Generatio unius sit Corruptio alterius? Ad quod breviter respondetur, quòd si de Generatione & Corruptione loquamur in ratione actionis & motus, Generatio unius est idemticè Corruptio alterius. Si de illis tamen in ratione mutationis sit sermo, Generatio unius est Corruptio alterius non formaliter, sed per concomitantiam, consecutivè, vel causaliter. Utrumque docuit D. Thomas quæst 28. de Verit. art 6. ad ultimum per hæc verba: *Ad 5. dicendum, quòd Generatio unius dicitur esse à Philosopho Corruptio alterius per concomitantiam, quia de necessitate sunt simul, vel propter unitatem motus, qui ad has duas mutationes terminatur.*

300 Prima pars probatur ex dictis §. præcedenti. Nam actio positiva, quæ primariò & formaliter attingit aliquam formam, virtualiter expellit formam illi oppositam; sed Generatio est actio positiva primariò & formaliter attingens formam impossibilem cum formã corrumpendã: ergo Generatio unius in ratione actionis & motus est idemticè Corruptio alterius

301 Quoad secundam partem probatur etiam, advertendò

in primis aliquando contingere Generationem unius absque Corruptione alterius, eò quòd Generationi non est essentialiter adnexa Corruptio. Si verò ad Generationem unius supponatur in materia altera forma, tunc Generatio unius erit Corruptio alterius: in quo sensu procedit nostra Conclusio. Cujus secunda pars sic intellecta manifestè hâc ratione convincitur. Cum enim omninò repugnet materiam primam simul informari duplici formâ, omninò etiam repugnabit, formam genitam introduci, & præexistentem non expelli: ergo Generatio unius & Corruptio alterius in ratione mutationis concomitanter, causaliter, vel consecutivè se habent.

302 Solet etiam hîc inquiri; Quem ordinem prioris & posterioris servant inter se Generatio & Corruptio? Respondetur, Generationem esse priorem Corruptione in genere causæ formalis, efficientis, & finalis, Corruptionem verò esse priorem Generatione in genere causæ materialis. Conclusio est D. Thomæ pluribus in locis, præsertim 1. 2. quæst. 113. art. 8. ad 1. sic dicentis: *Ex parte Solis prius est illuminare, quàm tenebras removere: ex parte autem aëris illuminandi prius est purgari à tenebris, quàm consequi lumen ordine natura, licet utrumque sit simul tempore.*

303 Ratione etiam probatur quoad primam partem. Quia exclusio formæ præexistentis est

effectus formalis secundarius ad introductionem formæ genitæ subsecutus: ergo introductio & Generatio formæ unius antecedit in genere causæ formalis Corruptionem alterius.

304 Quoad secundam partem probatur. Nam generans non aliter expellit formam præexistentem, nisi mediâ Generatione introductivâ formæ advenientis, sed id, medio quo agens aliquid operatur, ad genus efficientis causæ reducitur, & in tali genere est prius: ergo Generatio unius formæ prior est in genere causæ efficientis Corruptione alterius.

305 Quoad tertiam partem probatur. Nam finis est propter quem aliquid fit; sed Corruptio formæ præexistentis non intenditur per se a generante, sed propter introductionem formæ advenientis: ergo Generatio unius in genere causæ finalis præcedit Corruptionem alterius.

306 Quoad ultimam denique partem probatur Conclusio. Quidquid enim ex parte materiæ se tenet ut illam disponens ad introductionem alicujus formæ, in genere causæ materialis præcedit talem introductionem; sed hujusmodi est Corruptio formæ præexistentis respectu introductionis formæ genitæ: ergo Corruptio formæ præexistentis præcedit introductionem formæ genitæ in genere causæ materialis. Major, & Consequentia constant.

307 Minor autem probatur.



tur primò ex D. Thomâ quæst. 28. de Veritate, art. 7. in corpore per hæc verba: *Dicendum, quòd quandocumque à materiâ una forma expellitur, & alia inducitur, expulsio formæ præcedentis est prior naturaliter in ratione causæ materialis: omnis enim dispositio ad formam, reducitur ad causam materialem: denudatio autem materiæ à forma contraria, est quædam dispositio ad formæ susceptionem.*

308 Secundò probatur Minor. Materia namque prima per unam formam substantialem actiua est impedita, dum illam habet, ad susceptionem alterius; sed per remotionem impedimentorum ad formæ introductionem obstantium disponitur materia ad receptionem talis formæ: ergo Corruptio formæ præexistentis per modum dispositionis se habet ex parte materiæ ad Generationem, & introductionem formæ genitæ.

309 Confirmatur exemplo aëris aperientis fenestram & per illam ingredientis, cujus actiua ingressio ex parte agentis, qualis est aër, prior est apertione fenestæ, eò quòd fenestra activè aperitur ab aëre: ex parte tamen fenestæ prior est passiva illius apertio, quàm ingressio aëris; siquidem fenestra non nisi ut aperta præbet aditum ad aëris activum ingressum.

310 Dices cum P. Suarez, quòd licèt apertio fenestæ

sit ab aëre impellente; ipse tamen aër ut impellens nequit esse effectus apertionis fenestæ in genere causæ materialis. Cum enim in instanti, quo aër accedens ad fenestram, eique imprimit suum impulsum, nondum sit in fenestæ locum introductus, apertio fenestæ tunc non adest, sed immediatè post subsequitur. Cum autem mutua prioritas & posterioritas aliquorum, eorum exigat simultatem in eadem duratione; consequens est, quòd aër impellens ad apertionem fenestæ nequeat esse effectus illius in genere causæ materialis.

311 Sed contra est. Licèt enim in illo priori instanti, quo aër accedens ad fenestram, & illi suum impulsum imprimit, non sit passiva motio & apertio fenestæ; in toto tamen illo tempore quo aër successivè per illam ingreditur, ipsa etiam aperitur: proindeque in eadem duratione sunt motus activus aëris, & passiva apertio fenestæ ex motu aëris ingredientis causata; sed talis aëris motus & ingressus aequaliter dependet ab apertione fenestæ, cum non minùs hæc causalis sit vera. Ideò aër ingreditur, quia fenestra aperitur, quàm hæc, Ideò fenestra aperitur, quia aër ingreditur: ergo apertio fenestæ in genere causæ materialis ingressum aëris antecedit.

312 Contra hanc Conclusionem objicies primò. Formæ corruptenda expellitur à materiâ ratione

tione impossibilitatis, quam dicit cum formâ genita: ergo ideò corruptitur, quia alia generatur: ergo Generatio unius formæ semper præcedit Corruptionem alterius.

313 Respondetur concessio Antecedenti, distinguendo primum Consequens, quia alia generatur, ly *quia* dicente causalitatem formalem, efficientem, & finalem, concedo Consequentiam, dicente causalitatem materialem, nego Consequentiam. Eodem modo distinguendum est secundum Consequens, negandaque Consequentia. Licet enim tota ratio expulsionis formæ præexistentis sit introductio formæ genitæ; ex hoc tamen tantum sequitur, quod forma introducta sit prior formâ expulsâ in genere causæ formalis, efficientis, & finalis, ut supra probatum est; minime verò colligitur, expulsionem formæ præexistentis, prout ex parte materiæ se tenet formam genitam in genere causæ materialis dispositivæ non præcedere: dispositio enim ad formam in hoc genere causæ præcedit formam.

314 *Secundò* contra eandem Conclusionem obijcies. Expulsio formæ præexistentis est effectus formalis secundarius formæ genitæ; sed effectus formalis secundarius formæ nequit esse prior ipsâ formâ: ergo Corruptio formæ præexistentis non est prior formâ genitâ.

315 Respondetur concessio Majore, distinguendo Minorem,

nequit esse prior in genere causæ formalis, concedo Minorem, materialis, nego Minorem, & Consequentiam. Licet enim expulsio formæ corruptæ sit effectus formalis secundarius formæ genitæ; ex hoc tamen tantum sequitur, quod in hoc genere, & sub reduplicatione effectus illius non sit prior formâ genitâ. Quia verò eadem ipsa expulsio potest considerari ex parte materiæ, ut eam præparans & disponens ad introductionem formæ genitæ; sub hac consideratione est prior in genere causæ materialis dispositivæ formâ genitâ. Videantur ea, quæ ex D. Thomâ *num.* 302. & 307. supra adduximus.

316 Disputari etiam hinc solet, An Corruptio sit per se intenta à naturâ? Cui Quæsitio ut respondeamus, Notandum est primò, quod intentio propriè dicta *Est actus voluntatis tendentis in finem* & ideò in creaturis tantum rationalibus invenitur. Quia tamen talis intentio voluntatis est quædam ipsius inclinatio, ex apprehensione rei per modum finis propositæ consecuta; nomen intentionis translatum est ad significandam inclinationem cujuscumque formæ naturalis, vel virtutis activæ, Unde illud dicitur esse secundum intentionem alicujus agentis, quod est juxta inclinationem illius.

317 *Secundò* Notandum est, duplicem esse naturam, alteram particularem, alteram verò universalem. Natura particularis est *virtus activa* alicujus singularis agen-

agentis: & hæc semper respicit bonum particulare. Natura universalis est virtus activa alicujus principii universalis, v. g. alicujus corporis cœlestis, vel substantiæ superioris: & hæc universale bonum intendit. His igitur prænotatis,

318 Respondetur, corruptionem nullo modo per se intendi à naturâ particulari, bene tamen à naturâ, vel agente universali, non quidem per se primò, sed tantùm per se secundò. Probatur quoad primam partem. Natura enim universalis universale bonum intendit, natura autem particularis particulare bonum tantùm respicit, sed ad bonum naturæ particularis non pertinet per se corruptio alterius, cum agens particulare solum intendat producere formam ex sui privatione, cui per accidens Corruptio præexistens adjungitur: ergo Corruptio non per se intenditur à naturâ particulari.

319 Quoad secundam partem probatur. Cum enim ordo & pulchritudo Universi in varietate & diversitate consistat, illa cadent sub intentione naturæ universalis, quæ ad talem varietatem, diversitatemque conducant; sed hujusmodi sunt Corruptiones, Corruptio namque unius conducit ad Generationem alterius: ergo Corruptio est per se intenta à naturâ, vel agente universali. At nequit esse de primâ intentione, cum Corruptio non sit per se bona, sicut nec ens: ergo cadit sub secundariâ il-

lius intentione quatenus conducit & ordinatur ad Generationem & ostensionem boni. Sic docet D. Thomas quæst. 1. de modo art. 3. ad 18. ubi sic ait: *Dicendum quòd corruptio dicitur mutatio naturalis, non secundum naturam particularem ejus, quod corrumpitur: sed secundum naturam universalem, quæ movet ad Generationem, vel Corruptionem: ad Generationem quidem propter se: ad Corruptionem autem in quantum Generatio sine Corruptione esse non potest.*

320 Dices: Corruptio non solum per accidens se habet respectu agentis particularis, sed etiam respectu agentis universalis: ergo Corruptio per se secundò ab agente universali non intenditur. Probatur Antecedens ex D. Thomâ 1. p. quæst. 49. art. 2. in corpore sic dicente: *Deus in rebus causando bonum Ordinis Univerſi, ex consequenti & quasi per accidens causat Corruptiones rerum: ergo Corruptio per accidens se habet etiam respectu agentis universalis.*

321 Respondetur primò negando Antecedens. Ad cuius probationem dicendum est Angelicum Præceptorem tantùm intendere Corruptiones rerum non esse de primariâ intentione agentis universalis, non tamen de illius secundariâ intentione non esse: unde non dixit *per accidens absolute, sed quasi per accidens.*

322 Secundò potest respon-

ponderi, quòd Corruptio secundum se sumpta & quoad intrinsecam, per accidens se habet respectu agentis particularis & universalis, eò quòd sic accepta est privatio, & habet rationem mali; malum autem nequit esse per se intentum, aut volitum. Si tamen consideretur extrinsecè, quatenus nimirum conducit ad bonum, per se, saltem secundariò, intendi potest.

## ARTICVLVS II.

*Verùm in Corruptione Substantiali detur resolutio usque ad materiam primam.*

## S. I.

*Titulus explicatur, & prima Conclusio statuitur.*

323 **F**ieri resolutionem usque ad materiam primam, nihil aliud est, quàm quòd nil eorum, quæ erant in corrupto, præter materiam primam, perseveret in genito. Quare resolutionem non fieri usque ad materiam primam, ex tribus tantùm capitibus potest provenire. Vel quia perseverat aliqua forma substantialis, quæ prius existerat in materia: vel quia manet quantitas, quæ prius inerat: vel denique, quia aliquod aliud accidens, quod erat in corrupto, perseveret in genito. De quibus omnibus in hac Difficultate tractabimus. Sit ergo,

324 *Prima Conclusio: In* Corruptione substantiali destruitur quæcumque forma substantialis prius in materia præexistens. Hæc Conclusio est D. Thomæ pluribus in locis, præsertim in hoc Libro, lectione 10. per hæc verba: *Patet falsam esse opinionem, quæ tradit Avicembrou in Libro fontis vite, quòd in materia est ordo formarum, ita quòd primò advenit materia forma, secundum quam est substantia, & postea alia, secundum quam est corpus, & postea alia secundum quam est animatum corpus, & sic de aliis.*

325 Probatur primò hæc Conclusio ratione ex D. Thomâ citato loco desumptâ. Nam si ad Generationem novæ formæ substantialis non destrueretur quævis alia forma substantialis in materia primâ præexistens, materia prima duplici simul formâ substantiali informaretur; hoc repugnat: ergo in Corruptione substantiali nulla præexistens substantialis forma relinquitur. Probatur Minor. Quia Generatio substantialis per se primò tendit ad constituendum unum per se substantiale ex materiâ primâ, & formâ genitâ substantiali; sed si forma præexistens substantialis non destruitur, ex materiâ primâ, & formâ genitâ non potest fieri unum per se substantiale ergo, &c. Probatur Minor, Nam quidquid advenit enti in actu, non substantialiter & per se, sed accidentaliter advenit; sed si forma substantialis præexistens non destrueretur, forma sub-

substantialis de novo genita adveniret materiæ in actu constitutæ: ergo non per se & substantialiter, sed accidentaliter tantum adveniret.

326 Huic Rationi respondet Scotus; ex illâ rectè concludi materiâ primâ non posse simul duplici formâ substantiali informari; quarum utraque sit completa; secus verò si una sit incompleta & vialis; forma autem corporeitatis cœva materiæ est vialis & incompleta.

327 Sed contra est. Dato enim & non concessio, compositum corporeitatis præstari à formâ realiter distinctâ ab animâ sensitivâ, talis forma corporeitatis erit completa, non tamen incompleta & vialis: ergo ex illâ & formâ sensitivâ non poterit coalescere unum per se substantiale. Probatur Antecedens. Illa est enim forma completa, quæ seipsâ & absque indigentia alterius in suâ lineâ, completè constituit aliquod compositum substantiale; sed talis forma corporeitatis seipsâ, & absque indigentia alterius completè constitueret compositum corporis: ergo &c. Probatur Minor. Nam ideò forma animalis completè constitueret compositum substantiale animalis, quia forma animalis est principium formale adæquatum constituendi tale compositum; sed etiam forma corporeitatis est principium unicum formale & adæquatum constituendi compositum substantiale corporis: ergo seipsâ posset illud constituere.

328 Respondent Scotus, quòd forma completa substantialis est illa, quæ seipsâ & absque indigentia alterius, completè constituit aliquod compositum substantiale completum, & ad compositionem alterius non ordinatum. Forma autem corporeitatis, etsi seipsâ, & absque indigentia alterius completè constituat compositum corporis; tale tamen compositum non est completum in lineâ substantiæ, sed ulteriùs ordinabile ad constituendum compositum animatum.

329 Contra tamen est primò. Licet enim corpus per formam corporeitatis constitutum nõ sit in lineâ rationalitatis, aut irrationalitatis completum; est tamen in lineâ substantiæ corporeæ organicæ integrè constitutum, cum nihil ei desit ad speciem corporis organici pertinens: ergo quævis alia perfectio substantialis adveniens, ad quam sit ordinabile, non posset ingredi ad constituendum cum tali corpore aliud compositum substantiale, quod sit unum per se. Probatur Consequentia. Quamvis enim forma embrionis sit incompleta, & ad perfectam formam animalis ordinata; quia tamen per illam constituitur compositum substantiale completum in lineâ embrionis, etsi incompletum in lineâ animalis, minimè potest ex formâ embrionis, & ex formâ animalis unum per se substantiale constari, vel ad adventum formæ animalis omninò evanescit forma embrionis.

330 Secundò & efficacius impugnatur prædicta Solutio. Juxta illam namque æquè probabiliter potest dici formam animalis in homine esse realiter distinctam à formâ rationali; hoc autem non admittitur à Contrariis: ergo nec illud admitti debet, ex quo infertur. Probatur Major. Nam idèò Auctores hujus Solutionis admittunt in composito humano formam corporeitatis à formâ rationali distinctam, quia compositum corporis per illam constitutum, etsi completum in lineâ corporis, est tamen ordinabile ad formam rationalem, cum quâ unum per se hominis substantiale constituat; sed si forma animalis esset realiter à formâ rationali distincta, esset etiam ordinabilis ad unum per se substantiale cum formâ rationali componendum: ergo æquè probabiliter dici posset formam animalis esse realiter distinctam à formâ rationali, ac formam embrionis.

331 Tertiò rejicitur tradita Solutio. Ab unicâ enim & indivisibili formâ sensitivâ, præsertim si non sit spiritualis, qualis est animâ rationalis, præstari potest conceptus corporis, & conceptus animalis: ergo ad talem conceptum præstandum frustrâ fingitur talis forma. Probatur Antecedens. Nam forma sensitiva, v.g. leonis seipsâ præbet conceptum substantiæ, & conceptum sensitivi: ergo seipsâ præstare poterit conceptum corporeitatis. Antecedens negari non

potest. Consequentia verò probatur. Implicat enim aliquam formam tribuere conceptum infimum, & supremum, conceptu intermedio non tributo; sed inter conceptum sensitivi, & conceptum substantiæ necessariò mediat conceptus corporis: ergo si anima sensitiva leonis præbet illi conceptum substantiæ, & sensitivi, conceptum etiam corporis præbet.

332 Sed respondet aliquis Scotista, quòd licet inter conceptum substantiæ, & conceptum sensitivi mediet conceptus corporis metaphysici, non tamen mediat conceptus corporis organici; ad hunc autem conceptumtribuendum necessarium est admittere in viventibus, præter animam sensitivam, formam corporeitatis realiter ab illâ distinctam.

333 Sed contra est. Nam inter conceptum sensitivi, & conceptum substantiæ mediat conceptus corporeitatis, ut concedit hæc Solutio; sed hic conceptus non potest non esse corporeitatis organice: ergo conceptus corporeitatis organice à formâ sensitivâ præstatur. Probatur Minor. Quia conceptus præstitus à formâ sensitivâ, realiter cum illâ identificatur; sed conceptus realiter identificatus cû formâ sensitivâ, non potest non esse conceptus corporis organici, eò quòd est conceptus corporis viventis; conceptus autem corporis viventis idem est, ac conceptus corporis organici, per esse quippè organicum à corpore inanimato seu non

non vivente distinguitur : ergo conceptus ille à formâ sensitivâ præstatur.

334 Confirmatur. Forma inanimata ignis, v. g. seipsâ præstat conceptum corporis proprium compositi inanimati : ergo pariter forma animata seipsâ præstabit conceptum corporis proprium compositi animati. Patet Consequentia, Idèd nâque conceptus corporis proprius compositi inanimati à formâ inanimatâ præstatur, quia in ejus virtute continetur; sed conceptus corporis organici continetur in virtute formæ animatæ: ergo &c. Probatur Minor. Nam si forma leonis v. g. uniretur materiæ, seclusâ formâ corporeitatis à Scoto confictâ, constitueret compositum corporeum organicum: ergo signum est talem conceptû corporis in illâ præcontineri. Probatur Antecedens. Constitueret compositum corporeum vivens vitâ sensitivâ: ergo corpus etiam organicum constitueret. Antecedens constat.

335 Consequentia verò probatur primò. Nam corpus organicum est illud, *Cujus partes sunt diversæ rationis*; sed corpus vivens constat partibus diversæ rationis, per illas enim à non vivente distinguitur : ergo si constitueret compositum corporeum vivens, constitueret & organicum.

336 Secundò probatur Consequentia. Corpus vivens vitâ sensitivâ necessariò fundat, & petit potentias sensitivas; sed potentia sensitivæ peunt partes or-

gicas: ergo idem, quod prius.

337 Tertio probatur Consequentia. Conceptus corporis nequit in actu secundo produci nisi ut contractus ad speciem corporis organici, vel non organici; sed forma constituens corpus vivens vitâ sensitivâ nequit tribuere conceptû corporis contracti ad speciem corporis non organici, aliàs inanimatum corpus constitueret, ergo tribuit conceptum corporis organici. Probatur Maj. Nâ implicat produci naturam genericam, nisi ut contractam ad aliquam speciem; sed conceptus corporis ut sic est ratio generica: ergo non potest esse in rerû naturâ, nisi ad speciem corporis organici, vel non organici contractatur.

§. II.

*Argumentis contra præcedentem Conclusionem occurritur.*

338 **A**rguitur primò contra præcedentem Conclusionem. Ad Generationem necessariò requiritur, quòd generans & passû sint similia in ratione corporis, agens enim corporeum nequit in spirituale passum operari; sed si in instanti Generationis non perseverat in materiâ primâ formâ corporeitatis, agens, & passum non sunt similia : ergo in Corruptione substantiali materia prima non denudatur à formâ corporeitatis.

339 Responderetur distinguendo Majorem, debent esse simi-

na in ratione corporis in ipso Generationis instanti, nego Majorem, antecedenter ad illud, subdistinguo Majorem, debent esse similia in ratione corporis proveniente à formâ tribuente conceptum atomum substantialem, concedo Major. proveniente à formâ corporeitatis realiter distinctâ à formâ præbente ultimum conceptum substantialem, nego Maj. & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

340 Ad Generationem enim non petitur, quòd si generans in instanti Generationis habet formam corporeitatis, passum pro illo instanti formâ etiam corporis actuatur, cum eadem materia non possit simul actuari duplici formâ substantiali, qualiter proculdubio actuaretur, si in illo instanti præcedens forma corporis permaneret. Requiritur tamen, quòd in tempore immediatè antecedenti passum sit simile generanti in ratione corporis proveniente à formâ tribuente ultimum conceptum substantialem composito corrupto, non verò in ratione corporis præstitâ à formâ corporeitatis realiter à formâ distinctâ, quæ prædicto composito ultimum conceptum specificum præstet.

341 Dices: Generans debet esse simile in ratione corporis præstitâ à formâ realiter distinctâ ab eâ, quæ ultimum conceptum specificum tribuit: ergo nulla est Solutio. Probatur Antecedens. Si namque conceptus corporis, in quo assimilatur generanti, à for-

mâ tribuente ultimum conceptum specificum proveniret, per introductionem formæ genitæ non destrueretur forma præexistens; hoc est falsum: ergo &c. Probatur Major. Quia per Generationem solum destruitur forma, in quâ passum erat dissimile generanti; sed non erat dissimile in ratione corporis: ergo per Generationem non destruitur forma conceptum corporis præstans; atque adeò nec forma, quæ ultimum conceptum specificum tribuebat. Probatur Major. Nam Generatio solum tendit ad assimilandum passum generanti in iis, in quibus antè erant dissimilia: ergo per Generationem illa tantum forma destruitur, in quâ passum generanti non assimilatur. Antecedens constat ex illo communi Proloquio, quòd scilicet, *Simile non agit in simile.*

342 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem nego Majorem. Ad probationem distinguo Antecedens, solum tendit ad assimilandum passum generanti in iis, in quibus antè erant dissimilia, solum tendit ex primariâ intentione, concedo Antecedens, secundariâ, nego Antecedens, & Consequentiam. Ad probationem Antecedentis distinguendum est eodem modo Antecedens, negandaque Consequentia. Licet enim ignis v.g. ex primariâ intentione solum intendat introducere formam ignis, in quâ genitum assimilatur generanti; quia tamen nequit talem formam com-



communicare non communicatis gradibus superioribus cum illâ identificatis; hinc est, quòd secundariò assimilet etiam sibi passum in prædicatis, in quibus antecedenter conveniebat, & consequenter in conceptu corporis.

343 Nec obest Proloquium, quod in contrarium adducitur. Ignis enim v. gratia non agit in lignum secundum quòd formaliter & reduplicativè est sibi simile in ratione corporis, sed ut sibi dissimile in ratione talis corporis. Quia verò nequit expellere à materiâ ligni rationem talis corporis, quin etiam expellat rationem communem corporis cum illâ identificatam; idèò utramque simul, rationem scilicet communem corporis, & rationem talis corporis per Generationem expellit, introducendo similem rationem corporis identificatam cum conceptu differentiali formæ genitæ dissimilem conceptui differentiali formæ substantialis expulsi.

344 Replicabis. Gradus corporis non identificatur cum formâ ultimum gradum specificum tribuente: ergo per Generationem forma corporeitatis non expellitur. Probatum Antecedens primò ex D. Thomâ in 1. dist. 8. art. 2. in corpore dicente, quòd *Prima forma, quæ recipitur in materia, est corporeitas, à qua nunquam denudatur, ut dicit Comment. in 1. Physicorum;* sed materia prima denudatur à formâ præstante ultimum concep-

tum specificum: ergo gradus corporis non identificatur cum formâ ultimum gradum specificum tribuente.

345 Secundò probatur Antecedens. Nam si eadem esset omninò forma tribuens esse corporeum, & esse specificum ignis, eadem etiam omninò esset ratio corporis, & ratio ignis; sed hoc manifestè est falsum, cum plura corpora sint, quæ non sunt ignis: ergo gradus corporis non identificatur cum formâ ultimum gradum specificum tribuente.

346 Tertio probatur Antecedens. Nam ad multiplicationem prædicatorum essentialium, debent etiam multiplicari formæ illa præstantes: ergo ad tribuendum prædicatum quidditativum corporis assignata est forma corporeitatis realiter distincta à formâ præstante prædicatum atomum essentiali. Probatum Antecedens tum ex Philosopho 2. metaph. cap. 2. docente, in causis formalibus non esse processum in infinitum, quia processus iste nequit in prædicatis quidditativis dari. Ubi ex impossibilitate processûs in infinitum in prædicatis essentialibus inferri impossibilitatem ejusdem processûs in causis formalibus; sed hæc illatio non esset legitima, nisi ex multiplicatione prædicatorum essentialium, multiplicatio formarum, à quibus proveniant, inferatur: ergo &c.

347 Tum etiam. Nam idem Philosophus 7. Metaph. cap. 10.

asserit, definitionē hominis habere proprietates, quibus correspondent proprietates rei: ergo huic definitioni *Animal rationale* distinctæ realiter proprietates formales correspondent, quarum una præstet conceptum animalis, alia verò conceptum rationalis. Patet Consequentia. Nam si partes illius definitionis *Animal rationale* ab eadem formâ rationali procederent, non corresponderent illis distinctæ proprietates rei, sed essent unica & simplex entitas carens prædicatorum formalium compositione.

348 **Quartò** probatur idem Antecedens. Nam forma præstans ultimum gradum specificum realiter distinguitur à formâ conceptum corporis tribuente: ergo huiusmodi conceptus ab unicâ & indivisibili formâ non præstantur. Probatur Antecedens. Illæ formæ, à quibus diversæ proprietates emanant, realiter distinguuntur; sed à formâ ultimum gradum specificum tribuente, diversæ proprietates emanant, ac à formâ corporeum esse præstante: ergo &c.

349 Respondetur negando Antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum est, mentem Angelici Præceptoris in illo Testimonio tantum esse, quòd quælibet forma prius prioritate virtuali tribuit esse corporeum, quàm esse specificum atomum. Prius enim à nobis intelligitur cum fundamento in re præstari à for-

mâ conceptum superioris magisque communem, quàm inferiorē & magis determinatum. Quando verò ait, quòd materia numquam à formâ corporeitatis denudatur, non est hoc ita intelligendum, quòd idem esse corporeum, quod habuit à primo suæ creationis instanti, omni tempore perseveret: sed quòd, amisso esse corporeo à præexistente formâ ipsi communicato, statim per adventum novæ formæ acquirat novum esse corporeum, ita ut nullum sit instans reale, in quo ab omni esse corporeo denudentur: eo sanè modo, quo ipsa materia prima numquam omni existentia denudatur, eò quòd in eodem instanti, quo unam deperdit, alteram acquirit.

350 Ad secundam probationem Antecedentis respondetur, quòd sicut forma tribuens esse corporeum, & esse specificum ignis eadem est entitativè & formaliter, diversa tamen virtualiter; ita conceptus corporis, & conceptus specificus ignis idem etiam est entitativè & formaliter, cum diversitate tamen virtuali: quod sufficit, ut corpus non sit ignis: ly enim *ut corpus* reduplicat rationem formalem, secundum quam corpus virtualiter distinguitur ab ultimo conceptu specifico ignis. Quæ autem idemticè & formaliter sunt idem, non possunt adinvicem prædicari, reduplicatâ ratione formali, secundum quam virtualiter distinguuntur, ut con-

stat in actione, & passione, quæ idemticè sunt idem; & tamen ratio actionis non est ratio passionis.

351 Ad tertiam probationem respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem dist. Minorem, hæc illatio non esset legitima, nisi ex multiplicatione prædicatorum essentialium inferiorum, multiplicatio formarum inferatur, concedo Minorem, ex multiplicatione prædicatorum essentialium superiorum, nego Minorem & Consequentiam. Illatio namque illa Philosophi, in quâ ex negatione plurium, seu infinitorum prædicatorum essentialium intulit negationem plurium, seu infinitarum formarum, legitima est: quia cum quævis forma præbeat unum saltem prædicatum essentialia; si prædicata plura, vel infinita non essent, nec formæ illa tribuentes plures essent, aut infinitæ.

352 Nec ex hoc licet inferre, quòd ex multiplicatione prædicatorum essentialium similis etiam colligenda sit multiplicatio formarum. Cum enim in essentialiter subordinatis, qualiter gradus inferiores & superiores subordinari debent, qui præstat quod magis est, seu conceptum perfectiorem, præstare etiam potest quod est minus, seu conceptum imperfectiorem: ut constat in albedine, quæ ex eo, quòd tribuat esse album, seipsâ præbet esse coloratum: & in calore, qui tri-

buit esse calidum ut octo, tribuit etiam esse calidum ut quinque sub calido ut octo contentum; consequens est, quòd unica simplicissima forma conceptum ultimum specificum conferens, omnes alios superiores, imperfectioresque in eodem supposito receptos seipsâ communicet.

353 Ad auctoritatem Philosophi ex 7. Metaph. respondetur, quòd ibi loquitur de definitione, quæ traditur per partes physicas, qualis est hæc: *Homo est constans corpore, & anima;* cui definitioni diversæ partes rei correspondent, quales sunt anima, & corpus. ¶ Vel dicatur, ibi Aristotelem tantum velle, quòd partibus definitionis respondeant partes rei, sive realiter distinctæ, ut in definitione physicâ, sive virtualiter diversæ, ut in definitione metaphysicâ contingit.

354 Ad quartam probationem respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem distinguo Majorem, illæ formæ, à quibus diversæ proprietates adæquatæ emanant, realiter distinguuntur, concedo Majorem, inadæquatæ, nego Majorem, & distinguo Minorem, emanant diversæ proprietates inadæquatæ, concedo Minorem, adæquatæ nego Min. & Consequentiam. Sicut enim eadem indivisibilis forma præstat diversæ prædicata inadæquata, ita ab illâ diversæ proprietates inadæquatæ dimanant: quæ omnes unicam &

indivisibilem formam respiciunt, à quâ profuunt. Unde sicut tales proprietates inadæquatæ sunt respectu formæ, adæquatæ tamen secundum totam suam virtualitatem acceptæ; ita ex illarum diversitate diversitas formarum non infertur, sed unica sufficit forma, quæ sit eadem formaliter, & multiplex virtualiter & æquivalenter.

355 **A**Rguitur secundò. Corpus Christi Domini in triduo mortis fuit idem numero, ac antea erat, & ideo verum erat tunc dicere: Hoc corpus fuit natum ex Maria Virgine; sed idemitas hæc salvari nequit, si gradus corporis à formâ dante ultimum gradum specificum provenit: ergo forma corporeitatis est inseparabilis à materiâ, ipsique coæva. Probatur Minor. Nam in triduo mortis per introductionem formæ cadaveris expulsa fuit forma rationalis, quæ præstabat esse specificum: ergo tunc idem numero corpus Christi non permansit. Patet Consequentia. Quia variata formâ tribuente esse corporeum, non potest idem numero corpus permanere; sed in illo triduo subrogatur forma cadaveris loco animæ rationalis, quæ in nostrâ Sententiâ cum esse specifico, gradum etiâ corporis tribuebat: ergo non potuit idem numero corpus permanere.

356 Respondetur negando Minorem. Ad cuius probationem concesso Antecedenti, negan-

da est Consequentia. Ad probationem distinguo Majorem, variatâ formâ dante esse corporeum, non potest idem numero corpus permanere, si materia cum eadem existentia & subsistentia non permaneat, concedo Majorem, aliter, nego Majorem, & concessâ Minor, nego Consequentiam. Ratio est, Cum enim ad multiplicationem nominis substantivi (quale est corpus) non solum requiratur multiplicatio formæ, sed etiâ multiplicatio suppositi, ut docetur in Summulis; in triduo autem mortis Christi, variatâ formâ dante esse corporeum, eadem materia Christi permanserit ut dicens ordinem ad animam rationalem expulsam, simul cum eadem existentia & subsistentia Verbi, per quam antea existerat; consequens est, quod idem numero corpus Christi permanceat.

357 Solutio hæc desumitur ex D. Thomâ 3. p. quæst. 50. ar. 5. in corpore sic dicente: *Simpliciter idem est quod absolute: sicut simpliciter dicitur, quod nullo addito dicitur, ut Philosophus dicit. Et hoc modo corpus Christi mortuum, & vivum simpliciter fuit idem numero: dicitur enim aliquid esse idem numero simpliciter, quia est supposito idem. Corpus autem Christi vivum & mortuum fuit supposito idem, quia non habuit aliam hypostasim vivum & mortuum, præter hypostasim Verbi Dei.*

358 Dices. Quæ differunt specie, differunt numero; sed cor-

pus Christi vivum & mortuum differunt specie: ergo corpus Christi non est idem numero mortuum ac vivum. Probatur Min. Nam quæ habent distinctas specie formas differunt specie; sed corpus Christi mortuum distinctam habet speciem ac vivum, siquidem ut mortuum informatur formâ cadaveris, ut vivum autem formâ rationali, quæ specie distinguuntur, ut constat: ergo &c.

359 Respondetur distinguendo Majorem, differunt numero, si existant & subsistant per formas, quibus differunt specie, concedo Majorem, si existant per eadem existentiam & subsistentiam, nego Majorem, & concessâ Minore, nego Consequentiam. Constat distinctio, & Solutio ex supra dictis.

§. III.

*Secunda & principalis Conclusio statuitur.*

360 **S**ECUNDA Conclusio. In Corruptione substantiali nullum accidens eorum, quæ erant in corrupto, perseverat in genito. Conclusio hæc est expressa Div. Thomâ secundo de Generat. lect. 4. literâ C. & alibi sæpè, sed præsertim Quodlibeto 1. artic. 6. in fine corpus, sic dicente: *Formæ verò accidentales, quæ prius inerat disponentes ad animam, corrumpuntur quidem non per se, sed per*

*accidens ad corruptionem subiecti: unde manent eadem specie, sed non eadem numero: sicut etiam contingit circa dispositiones formarum elementarium, quæ primitus materie advenire apparent.*

361 Ex quibus hæc prima ratio pro nostra Conclusionem formatur. Destructo subiecto accidentium, ipsa etiam accidentia destruantur; sed subiectum accidentium est compositum, non verò materia prima: ergo tali composito destructo, ipsa accidentia destruantur. At in Corruptione substantiali destruitur compositum: ergo nullum accidens eorum, quæ ipsi inerant, perseverat. Major constant. Nam subiectum accidentium se habet veluti fundamentum illa sustentans; sed destructo fundamento, statim res fundata destruitur: ergo. Minor autem primi Syllogismi sic probatur. Quod enim non existit in se, alia sustentare non potest; sed materia prima non existit in se, benè tamen compositum: hoc igitur, & non illa, est subiectum accidentium.

362 Secundò probatur Conclusio. Magis dependent accidentia à composito substantiali, quàm compositum substantiale ab accidentibus; sed destructis accidentibus, statim substantiale compositum evanescit: ergo à fortiori, destructo substantiali composito, ipsa quoque accidentia destruantur. Probatur Major, Nam

compositum substantiale est ens per se completum, & subsistens in se, accidentia verò sunt ens secundum quid, & entis ens: ergo magis dependent accidentia à composito substantiali, quàm compositum substantiale ab accidentibus.

263 Respondet P. Hurtado, quòd quando ad Corruptionem causæ alicujus effectus succedit alia æquæ virtutis ad illum conservandum, potest, pereunte causâ, talis effectus permanere. Sicut contingit quando, pereunte igne, qui calorem produxerat, loco illius subrogatur Sol, vel alius ignis, à quo talis calor conservetur. Pariter, destructâ formâ, quæ præstabat existentiam materiæ, non statim existentia ipsa corrumpitur, ed quòd loco formæ amissæ succedit alia æquæ potens præstare esse materiæ. Cum ergo, pereunte formâ antiquâ, substituatur nova forma æquæ virtutis ad conservanda accidentia, quæ erant in corrupto, non est cur non permaneant in composito genito.

364 Sed contra est. Quando enim calor ab uno igne productus, ab alio conservatur, non conservatur ab illo per se, & conservatione, quæ sit eadem actio cum productione illius: nam ut diximus 2. Physicorum, Quæst. V. Art. IV. implicat eundem numero effectum à duplici causâ totali, adhuc divisivè procedere; sed tantùm conservatur ab igne loco prioris subrogato, per accidens, & tanquam à removente contrarium

caloris destructivum: forma verò genita impotens est conservare accidentia quæ præcesserant in corrupto. Tum, quia secundum D. Thomam 1. p. quæst. 29. art. 1. in corpore, *Accidentia individuantur per subjectum*; variato autem principio individuante aliquod accidens, necessarium est, ipsum etiam accidens variari. Tum etiam, quia in omnium Sententia subjectum est fundamentum, in quo accidentia sustentantur, ita ut miraculum foret, si absque illo existerent.

365 Ad illud verò, quod additur de materiâ primâ facilè responderetur, quòd cum ipsa sit pura potentia indifferenter negativè appetens omnes formas sublunares, & per nullam illarum sit fatibilis; quælibet forma in particulari tantùm se habet ut actus inadæquatus illius, omnes verò ad instar unius actus adæquatè ab eâ inspiciuntur. Quæadmodum omnes actus potentiæ visivæ per modum termini adæquati respiciuntur à tali potentia; quæ tamen ex variatione termini inadæquati non variatur, sed ex ratione dumtaxat termini totalis & adæquati. Accidens verò non respicit indifferenter quodlibet compositum ad sui individuationem, sed unum tantùm in particulari est principium adæquatum individuationis illius; & per consequens ad variationem compositi necesse est accidens etiam variari.

366 Tertio probatur Conclusio. Implicat idem numero accidens migrare de uno subjecto in aliud

aliud; si accidentia, quæ erant in corrupto, perseverarent in genito, idem numero accidens de uno subjecto in aliud migraret: ergo nullum accidens eorum, quæ erant in corrupto, manet in genito. Probatur Minor. Nam subjectum accidentium à quo individuationem accipiunt, est compositum substantiale, non verò materia prima; sed compositum corruptum est subjectum realiter distinctum à composito genito: ergo si accidentia recepta in corrupto, manerent in genito, idem numero accidens migraret de uno subjecto in aliud. Major probatur. Nam ut aliquid sit subjectum inhesionis, duo requirit, potentialitatem scilicet ad formam accidentalem recipiendam, & actualitatem ad illam in esse sustentandam; sed utrâque hæc ratione caret materia prima, non verò compositum: hoc igitur, & non illa est subjectum inhesionis accidentium. Major quoad primam partem constat, Nam subjectum inhesionis comparatur ad accidens per modum subjecti receptivi.

367 Quoad secundam verò probatur: Accidens enim non tribuit subjecto primum esse simpliciter, sed esse tantum secundum quid & secundario consequutum: quâ de causâ dicitur inherens, id est, ab alterius esse dependens; sed forma præstans esse secundum quid, consequutum & inherens, petit actualitatem in subjecto talem formam, & esse sustentante; ergo &c.

368 Minor autem, quòd scilicet materia prima utrâque hæc careat ratione, probatur quoad primam partem. Potentialitas enim materiæ primæ non est immediatè actuabilis per formam accidentalem: ergo non habet potentialitatem immediatè formæ accidentalis susceptivam. Probatur Antecedens. Quotiescumque enim aliqua potentia ordine quodam respicit aliquas formas, illam respicit immediatè, quæ sibi est magis proportionata; sed materiæ primæ magis proportionata est forma substantialis, quàm accidentalis, imò hæc materiæ primæ nudè suprà omnino est improportionata: ergo &c. Probatur Minor. Nam illa forma est magis proportionata materiæ à quâ speciem desumit, & cum quâ compositum in propriâ lineâ constituit; sed huiusmodi est forma substantialis, non verò accidentalis; siquidem materia prima est potentia substantialis; potentia autem substantialis à formâ substantiali desumit speciem, cum illâque in proprio genere constituit speciem: ergo materiæ primæ magis proportionata est forma substantialis, quàm accidentalis.

369 Quoad secundam partem, scilicet quòd materia prima non habeat actualitatem ad munus subjecti inhesionis requisitam, probatur eadem Minor. Materia namque prima est pura potentia actum tam formalem, quàm existentialem excludens: ergo caret actualitate ad munus subjecti inhesionis requi-

quità. Patet Consequentia. Nam cum esse accidentis non sit substans & existens in se, sed inexistens tantum, & inhærens, ab esse sui subjecti dependet tamquam à firmante & solidate in suo esse, vel in se, sed quod in se nullum actum includit, impotens est ut alia in suo esset firmer & consolidet: ergo materia prima, quæ propter sui tenuitatem est impotens ut in seipsâ sustentetur, impotentior utique & inhabilior erit ad accidentia in suo esse firmanda, & solidanda.

## §. IV.

## Solvuntur Argumenta.

370 **A**rguitur primò ex D. Thomâ 4. cõtra Gent. cap. 81. dicente: *Nullum principiorum essentialium hominis per mortem omninò cedit in nihilum, nam anima rationalis, quæ est forma hominis, manet post mortem..... materia etiam manet, quæ tali formæ fuit subjecta, sub dimensionibus eisdem, ex quibus habebat, ut esset individualis materia.* Sed dimensiones proveniunt à quantitate: ergo juxta Angelicum Præceptorem materia prima in Corruptione substantiali non ab omnibus accidentibus denudatur.

371 Respondetur Div. Thomam in hoc loco tantum intendere, materiam primam manere sub eisdem dimensionibus radicaliter, quateòus nimirum eadem materia manet, quæ erat radix

earundem dimensionum cum eodem ordine ad animam rationalem per resurrectionem recuperandam: à quâ sicut per reunionem habebit eandem corporeitatem, ita eandem etiam habebit dimensiones. Non tamen intendit manere sub eisdem dimensionibus formaliter: hæ namque à quantitate proveniunt, quæ eadem numero non manet in genito, quæ præexistebat in corrupto.

372 **A**rguitur secundò ex Arist. in hoc Libro, textu 24. ubi loquens de corporibus, quæ adinvicem transmutantur, *Si qua (inquit) è contrarietate affectio eadem remaneat in eo, quod ortum est, quæ prius in eo, quod interit, erat, ceu si cum ex aère sit aqua, aëris perspicuitas, aut frigus in aqua remaneat.* Ergo sentire videtur idem accidens, quod erat in corrupto, posse manere in genito. Libro etiam 2. textu 25. docet elementa symbola facilius transmutari, dicens: *Quæ enim symbola inter se habent, horum celeris est migratio: quæ verò non habent, tarda: quod facilius fit unam, quàm multa mutari. Verbi causa, ex igne fit aër, altero mutationem subeunte, nam ille quidem calidus, siccusque est, hic verò calidus & humidus.* Sed si aliquod accidens, quod erat in corrupto, non permaneret in genito, non facilius transmutarentur symbola, quàm non symbola, ut per se constat: ergo &c.

373 Ad primum ex his

Te



Testimoniis responderetur eum D. Thomâ ibi, lect. 10. litera D. Quod non manet idem numero, sed id, quod prius erat, corrumpitur per accidens corruptione subiecti, recedente forma, quæ prius erat talis accidentis: & advenit simile accidens consequens formam de novo advenientem, vel accidentem. ¶ Ad secundum Testimonium responderetur ex eodem Angelico Præceptore ibi lect. 4. litera C. sic Philosophum explicante: *Dicendum, quod illud accidens, sive illa qualitas non remanet eadem numero, sed eadem specie.*

374 Dices: Si nullum accidens eorum, quæ erant in corrupto, manet in genito: ergo in symbolis non erit facilius transmutatio; hoc autem est contra Philosophum: ergo aliquod numero accidens, quod erat in corrupto, perseverat in genito.

375 Responderetur hanc Objectionem sibi opposuisse Div. Thomam loco citato, cui per hæc verba respondet: *Licet (inquit) oporteat ambas qualitates corrumpi; tamen quia qualitas symbola minus resistit, immò nullo modo: contraria vero resistit; ideo facilius est transitus.*

376 Sed urgebis. Implicat accidens quoad individuationem corrumpi, & quoad speciem in illo existentem permanere: ergo si manet idem accidens secundum speciem, idem etiam manet secundum numerum.

377 Responderetur concessio Antecedenti, negando Consequentiam. Quando enim asserit Div. Thomas manere idem accidens secundum speciem, non verò secundum numerum, non loquitur de ratione specificâ identitate cum ratione numericâ: sic enim omnino repugnat corrumpi sub unâ ratione, & non corrumpi sub alterâ. Mens ergo Angelici Præceptoris est, quod corruptis qualitatibus præexistentibus quoad numerum & speciem, aliæ similes quoad speciem ad formam de novo genitam consequuntur.

377 ARGUITUR tertio. In Generatione hominis materia prima non exiit quantitate præexistente: ergo aliæ quod accidens ex præexistentibus in corrupto, manet in genito. Probatur Antecedens. Nam si quantitas præexistens in materiâ informandâ per animam hominis non maneret, quantitas, quæ postmodum advineret, reciperetur in materiâ mediante animâ rationali; hoc repugnat: ergo & quod non maneat quantitas præexistens. Probatur Minor. Si enim quantitas in materiâ mediante animâ rationali reciperetur, partialiter reciperetur in illâ; hoc implicat: ergo. Probatur Minor. Nam quantitas est accidens corporeum & extensum, anima autem rationalis est spiritualis, & indivisibilis: ergo non potest in illâ partialiter recipi. Patet Consequentia.

Implicat enim formam accidentalem in aliquo subiecto etiam partialiter recipi, & illi suum effectum formalem non tribuere; sed accidens corporeum & extensum nequit suum effectum formalem tribuere subiecto spiritali & indivisibili, aliàs illud extensum & divisibile redderet: ergo quantitas non potest in subiecto spiritali partialiter recipi.

378 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem concessâ Majorem, nego Minorem. Ad probationem neganda est etiam Minor. Ad cujus probationem concessâ Antecedenti, nego Consequentiam. Ad probationem distinguo Majorem, implicat aliquam formam accidentalem in aliquo subiecto etiam partialiter recipi, & illi suum effectum formalem non tribuere, si tale subiectum sit in materiâ immersum, concedo Majorem, si sit supra materiam elevatum, nego Majorem, & concessâ Minore, nego Consequentiam.

379 Duplex enim est subiectum quantitatis, & aliorum accidentium, alterum *quo*, alterum verò *quod* & hoc est compositum ex materiâ & formâ præstante esse corporeum, quo capax reddatur ad illam recipiendam: & huiusmodi subiectum coextensum & divisibile redditur per quantitatem in ipso immediatè receptam: Subiectum autem *quo*, sicut est ratio constitutiva subiecti *quod*, ita ad extensionem illius redditur coexten-

sum, dummodò non sit immersum in materiâ, qualis est forma carentium ratione. Si verò nimis sit supra materiam elevatum, & ut *quod* spirituale; cùm ad subsistendum in se non indigeat quantitate, ad extensionem divisibilitatemque totius non coextenditur, aut divisibile redditur. Huiusmodi est anima rationalis, cui, quia est spiritalis ut *quod*, quantitas extensionem & divisibilitatem non communicat. Cum quo tamen stat, quòd, quia est corporea ut *quo*, hominem corporeum ut *quod*, & subiectum receptivum *quod* quantitatis, & illius divisibilitatis extensionisque constituat.

380 Sit exemplum in visione & potentiâ vivâ hominis, quæ cùm sint actus & potentiâ vitalis, non recipiuntur immediatè in materiâ primâ, sed in organo vivo, & per animam rationalem informato; & tamen licèt ipse sint extensæ & corporeæ ratione quantitatis, non constituunt animam rationalem corpoream & extensam.

381 Dices: Totum nihil aliud est, quàm ejus partes simul sumptæ & unitæ: ergo si compositum hominis redditur per quantitatem extensum, partes etiam illius constituentur extensæ; ac per consequens anima rationalis extensa reddetur, & corporea.

382 Respondetur concessâ Antecedenti, distinguo Consequentem, partes illius simul sumptæ constituentur extensæ, concedo

Consequentiam, seorsim acceptæ, nego Consequentiam. Sicut enim hæc Consequentia non valet: *Totum nihil aliud est quàm partes simul sumptæ & unite; sed compositum hominis est corruptibile & non spirituale: ergo materia hominis est corruptibilis, & forma illius non est spiritualis*; ita Consequentia, quæ nobis objicitur, non tenet. In utrâque enim arguitur à partibus simul sumptis ad eandem seorsim acceptas.

383 **A**rguitur quartò. Dispositiones antecedentes, quæ erant in corrupto, nullum habent contrarium, à quo corrumpantur: ergo manent in genito. Consequentia constat. Antecedens verò probatur. Si ab aliquo enim corrumpi possent, maximè ab ultimâ dispositione necessariò adnexâ cum formâ de novo genitâ; sed talis ultima dispositio non contrariatur dispositionibus antecedentibus, cum sit ejusdem specificæ rationis cum illis, siquidem calor ut octo, qui est ultima dispositio ad formam ignis, non contrariatur calori ut septem, qui est dispositio antecedens ad talem formam: nullum igitur est contrarium, à quo prædictæ dispositiones corrumpantur.

384 Respondetur dispositiones antecedentes, cujusmodi est calor ut septem ab ultimâ dispositione, qualis est calor ut octo, non corrumpi tamquam à suo contrario; corrumpi tamen ab illo indirectè, & per accidens, qua-

tenus introducit formam ignis incompossibilem cum formâ præexistente: quâ semel expulsâ, sicut destruitur compositum præexistens, ita ad desitionem illius, dispositiones, quæ illi inhærebant, evanescent. Nec inconveniens est, quòd indirectè aliquid & per accidens à suo simili corrumpatur, destructo subjecto, in quo recipitur. Quæ Solutio est D. Thomæ hic lect. 10. literâ D. in fine dicens: *Non est inconveniens, quòd simile corrumpat suum simile per accidens, corrumpendo subjectum vel materiam: sic enim flamma major consumit minorem.*

385 **A**rguitur quintò. Organizatio corporis facta à naturâ pro Generatione hominis, in instanti Generationis illius non destruitur: ergo aliquod accidens eorum, quæ erant in corrupto, manet in genito. Probatur Antecedens. Nam si talis organizatio in instanti Generationis destrueretur, frustrâ natura in formatione illius laboraret, & tantum temporis consumpsisset; sed natura nil frustrâ operatur: ergo &c. Probatur Major. Nam si artifex agens secundum artem dispositiones congruas ad aliquam formam artificialem priùs à se factas destrueret, & loco illarum alias efformaret, frustrâ, insipienter, & non secundum artem tēpustereret; sed natura est sapientior artifex, quam ars intendit in suis opereribus imitari: ergo si organizationem corporis à se factam destrueret, & aliam

aliam loco illius subrogaret, frustra illam effecisset.

386 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem nego Majorem. Ad probationem distinguo Majorem, si tales dispositiones sint omninò congruæ, & aded perfectæ, ut ad introductionem formæ artificialis ab auctore intentæ requirantur, concedo Majorem, si non sint omninò congruæ, sed cum formâ ab auctore intentâ impossibiles, nego Majorem, & concessâ Minore, nego Consequentiam. Si enim dispositiones prius ab artifice factæ sint tantum aequaliter congruæ, & incompatibiles cum formâ ab ipso intentâ, ut sæpè contingit; tunc oportet, quòd illis destructis, alias introducat. Si verò tales dispositiones sint omninò congruæ tali formæ, cum ad introductionem illius non requiratur destructio compositi præexistentis, contra artem erit illas destruere. Organizatio verò præcedens tempore Generationem hominis, cum materiam determinet & disponat ad introductionem animæ rationalis destructivæ compositi præexistentis, cui ipsa organizatio inhærebat; impossibilis est cum composito hominis denuò genito: ac per consequens non frustra ageret ipsa natura prædictam organizationem destruendo, & aliam loco illius nobiliorem, & animæ rationali connaturalem subrogando.

387

Arguitur sextò. Quando aliquod animal gladio perit, in visceribus illius permanet calor; sed hic à præexistente nõ distinguitur numero; ergo idem numero accidens, quod erat in corrupto, perseverat in genito. Probatur Minor. Si namque ille calor distingueretur numero à præcedente, non haberet sui causam productivam; hoc autem est impossibile: ergo non distinguitur numero. Probatur Major. Nam talis calor non procedit à formâ cadaveris, aliàs ad quamcumque formam cadaveris consequeretur ille calor, cum omnes formæ cadaveris ejusdem sint omninò rationis. Nec potest ab aëre circumstanti procedere, cum sæpè sit frigidus. Nec ab ipso, quo perimititur, gladio, cum non aded intense calidus supponatur: ergo nullam habet sui causam productivam; ac per consequens idem numero est, ac præexistens.

388

Confirmatur primò. Nam in homine mortuo manere videmus eandem cicatricem, eundem calorem, & eandem organizationem, quæ in ipso vivo cernebantur: falsum igitur est nullum accidens eorum, quæ erant in corrupto, manere in genito.

389

Confirmatur secundò. Nam si animal vivum projiciatur sursum, & in medio ascensûs moriatur, impulsus ille, quo ascendit ut vivum, idem numero est cum illo, quo ascendit ut mortuum: ergo &c. Probatur Antecedens. Nulla enim

enim apparet causa novi illius motus productiva.

390 Ut huic Argumento respondeamus, supponendum est, quòd licet accidentia propria, seu propriæ passiones producantur à generante ad existentiam formæ; accidentia tamen communia ab illo ad existentiam tantum materiæ producantur ut ad ea ex vi formæ & dispositionum antecedentium determinatæ. Unde videmus, quòd quando generans producit aliquod corpus extra proprium locum, illi præstat situm & ubi, quæ sunt accidentia communia, à formâ tamen genitâ minimè resultantia. Hoc supposito,

391 Respondetur, quòd calor ille in visceribus animalis existens non sequitur ad formam cadaveris secundum se sumptam, nec causatur ab animal occidente, nec ab aère, frigore, aut gladio: hæc enim præcisè tollunt dispositiones vitales ad conservationem formæ vivæ requisitas, relinquentia locum causæ superiori, ut formam cadaveris cum suis accidentibus introducat. Sed ille calor tantum producit à generante cadaver, non quidem per se, sed per accidens, & ad existentiam materiæ, quæ ex vi formæ vivæ, & dispositionum antecedentium mansit determinata ad formam cadaveris introducendam cum similibus accidentibus illis, quæ habebat forma vivens: ac per consequens cum prædicto calore.

392 Ratio autem determinationis materiæ ad talia accidentia, hæc est. Nam cum dispositiones conservativæ formæ vivæ adeò facilè, & in brevi admodum morulâ temporis destruantur, non datur locus alteri agenti, ut introducat dispositiones connaturaliter exactas ad introductionem formæ, quam intendit generare; idè ad expulsionem formæ viventis, statim præter intentionem naturæ, & per accidens introducit forma cadaveris, ut substituat pro formâ viventis, ne materia prima absque aliquâ substantiali formâ permaneat. Unde sicut talis forma cadaveris per accidens introducit in materiâ, ut pro formâ vivâ præexistenti substituat; ita forma viva, & dispositiones ejus antecedentes determinant talem materiam, ut forma cadaveris inducatur, quoad fieri possit, cum similibus accidentibus illis, quæ in composito viventi præcesserant, dum tamen non omnind, sed aliquantulum repugnent eidem formæ cadaveris, ut sic possit verificari talem formam esse in viâ ad corruptionem, & tendentem ad generationem alterius compositi. Ex quibus patet ad primam & secundam *Confirmationem*. Illæ namque cicatrices color, figura, & motus, quæ in mortuo corpore videntur, à generante cadaver per accidens producantur, & propter existentiam;

tiam, determinationemque materiae.

393 Dices. Ut in 2. de Animâ ex Philosopho, & D. Thomâ videbimus, Sensus non fallitur circa proprium sensibile, quando est debite applicatum, & organum non impeditum; sed prædicta accidentia sunt sensibilia propria potentiae visivæ debite applicata, & potentia non impedita: ergo cum prædicta potentia talia accidentia à præexistentibus numero non distinguat, signum est, ea numero à præcedentibus non distinguere.

394 Respondetur, quòd licet sensus non possit falli circa sensibilia per se, falli tamen potest circa sensibilia per accidens; distinctio autem numerica unius accidentis ab altero non est sensibibilis per se, sed per accidens tantum: idem enim, & diversum sunt passionis entis ut est objectum intellectus; & idè circa illa non sensus, sed intellectus versatur. Quòd aliquando sensus percipit distinctionem numericam unius accidentis ab alio, idè est, quia uno destructo, successive producit aliud non omninò simile præcedenti; si tamen simile aliud adveniret, minimè de illius distinctione iudicaret. Quare si Deus (ut potest) albedinem, quæ est in hac papyro destrueret, & aliam ejusdem intensiois subrogaret, nequaquam hujusmodi distinctionem visio nostra perciperet.

395

**A**rguitur septimò. Si eadem accidentia, quæ erant in corrupto, non permanerent in genito, sequeretur non esse salubrius pretiosis & delicatis cibus, ac crassioribus & vilioribus uti; hoc ipsâ experientiâ constat esse falsum: ergo falsum est etiam illud, ex quo sequitur. Probat Major, Nam si accidentia, quæ erant in alimento, non transirent in alitum, solum uniretur alito materia alimenti; sed materia alimenti ejusdem omninò rationis est in omnibus alimentis: ergo non magis prodesset pretiosis & delicatis cibus, ac crassioribus, & vilioribus uti.

396 Respondetur negando Majorem. Nam cibi crassiores idè ad salutem non conducunt, quia tẽpore, quo perseverant in stomacho, aliquas nocivas qualitates inducunt. Cibi autem pretiosi, & delicati facilius digeruntur, & habent proficuas qualitates salutique magis consonas. Unde tẽpore, quo perseverat in stomacho, melius subjectum ad conservationem vite disponunt.

397

**A**rguitur octavò. Accidentia in eo subjecto recipiuntur, ex cujus educuntur potentialitate; sed educuntur ex potentialitate materiae: ergo in materiâ recipiuntur; ac per consequens accidentia, quæ erant in corrupto, manent in genito. Major, & utraque Consequentia constant. Minor autem probatur. Ex illo namque subjecto educitur actus secundus, ex quo educitur actus primus; sed

sed actus primus, nempe forma substantialis, educitur ex potentiâ materiæ: ergo etiam actus secundus, aut accidens.

398 Respondetur primò concessâ Majore, negando Minorem. Actus enim primus ideò educitur ex potentiâ materiæ, quia materia est in eâdem lineâ substantiæ cum formâ, à quâ speciem desumit. Actus verò secundus solùm educitur ex potentiâ compositi, quod solùm habet esse, vel existentiam. Quæ Solutio est D. Thomæ quæst. unicâ de Spiritualibus creaturis art. 3. in corpore, post medium per hæc verba: *In hoc consistit ratio accidentis, quòd sit in subiecto, ita tamen quòd per subiectum intelligatur ens in actu, & non in potentia tantùm, secundùm quem modum forma substantialis non est in subiecto, sed in materia.*

399 Secundò potest responderi, quòd licèt accidens educatur ex potentiâ materiæ, inde tamen non sequitur, quòd immediatè in ipsâ recipiatur, sed immediatè in composito, mediatè verò in materiâ tamquam in principio receptivo illius ut *quo*. Sicut licèt accidentia dimanantia à formâ disponant materiâ ad receptionem illius, immediatè recipiuntur in composito, mediatè verò in materiâ.

400 **A**Rguitur nondè. Si accidentia, quæ erant in corrupto; non permanerent in genito, maxime quia materia non potest esse subiectum illorum; hoc

est falsum: ergo &c. Probatur Minor. Quia si non reciperentur in materiâ, sed in composito, accidentia agerent in sui ipsorum destructionem, immò & compositum; cui inessent in corruptione ageret sui ipsius; hoc autem non est dicendum: ergo. Probatur Sequela quoad primam partem. Nam calor existens in aquâ, agit in corruptione aquæ, cui inest; sed quod agit in corruptionem sui subiecti, in sui ipsius etiâ agit destructionem: ergo &c.

401 Quoad secundam partem probatur Sequela. Sicut enim accidens operatur ut *quo*, ita subiectum, cui inest, operatur ut *quod*: ergo sicut calor existens in aquâ agit ut *quo* in illius destructionem; ita aqua, cui inhæret, operabitur ut *quod* in destructionem sui ipsius.

402 Respondetur, quòd calor existens in aquâ non agit effectivè in destructionem sui ipsius: nec aqua calida effectivè ut *quod* operatur in sui corruptionem. Nam ut docet D. Thomas. 1. 2. quæst. 85. art. 1. ad 4. *Accidens non agit effectivè in subiectum, agit tamen formaliter in ipsum, eo modo loquendi, quo dicitur, quòd albedo facit album.* Sed ut suprâ diximus Quæst. 2. Art. 5. §. 2. una pars agit in aliâ sibi proximiorè; ac per consequens calor existens in unâ parte aquæ sicut effectivè producit calorem in aliâ, ita illam effectivè corrumpit.

403 **A**rguitur decimò. Si-  
cut qualitas sequitur  
ad formam, ita quantitas sequitur  
ad materiam; sed accidens quod  
sequitur ad materiam, immedia-  
tè recipitur in materiâ: ergo ali-  
quod accidens potest immediatè in  
materia subjectari.

404 Respondetur, quòd  
tam quantitas, quàm qualitas im-  
mediatè ad compositum conse-  
quuntur. Dicitur autem, qualita-  
tem consequi ad formam, quan-  
titem verò ad materiam, propter  
duo. *Tum*, quia cum qualitas sit  
actus, ad quamlibet formam, sive  
materialem, sive spiritualem con-  
sequitur. Quantitas verò, cum sit  
accidens corporeum, tantum po-  
test in rebus materialibus inveni-  
ri. *Tum* etiam, quia cum quantitas  
non sit activa, sed principium purè  
passivum & receptivum ut *quo*  
aliorum accidentium, maximè  
assimilatur materiæ, quæ activa  
non est, sed primum principium  
passivum, ratione cuius proportio-  
nis & similitudinis, dicitur, quòd  
quantitas sequitur ad materiam.

405 **U**ltimò Arguitur. Ma-  
teria prima pro  
priori ad formam genitam recipit  
Generationem substantialem: ergo  
pro priori ad talem formam sup-  
ponitur materia affecta quantita-  
re. Sed talis quantitas nequit esse  
illa, quæ subsequitur ad formam  
genitam: ergo erit illa, quæ in  
composito corrupto perseverat.  
Probatur prima Consequentia.  
Nam Generatio recipitur in mate-

riâ ut singulari & individua; sed  
materia individuatur per quantita-  
tem: ergo supponitur immediatè  
affecta quantitate.

406 Respondetur negan-  
do primam Consequentiam. Ad cu-  
jus probationem concessâ Majore,  
distinguo Minorem, individuatur  
per quantitatem ut actu materiam  
informantem, nego Min. ut radica-  
liter præhabitam in materiâ, con-  
cedo Min. & nego Consequen-  
tiam. Individuatio namque mate-  
riæ non sumitur à quantitate actu  
illi inhærente, sed ab ipsâ materiâ  
radicaliter præhabente quantita-  
tem, non ita tamen ut quantitas sit  
ratio formalis, sed conditio tan-  
tùm ad materiæ individuationem  
requisita. Quare pro priori ad for-  
mam ut singularis supponitur, abs-  
que eo, quòd pro illo priori im-  
mediatè ut affecta quantitate intel-  
ligatur, sed ut illa pro toto instanti  
reali afficienda.

407 Dices: Materia pri-  
ma pro illo priori, quo recipit Ge-  
nerationem, non præhabet radica-  
liter quantitatem: ergo pro illo  
priori non supponitur singularis &  
individua: Probatur Antecedens.  
Eatenus enim radicaliter præha-  
beret quantitatem, quatenus sup-  
poneretur sigillata ad hanc potiùs  
quantitatem, quàm ad illam; sed  
pro illo priori non sic sigillata  
supponitur: ergo non præhabet  
radicaliter quantitatem. Probatur  
Minor. Nam sigillatio materiæ  
ad hanc determinatam quantita-  
tem provenit ex dispositionibus  
an-



antecedentibus quibus ad hanc potius formam determinatur, quàm ad illam; sed dispositiones antecedentes id instanti Generationis non permanent: ergo pro priori ad quantitatem non supponitur sigillata.

408 Respondetur negando Antecedens. Ad probationem nego Minorem. Ad cuius probationem concessâ Majore & Minore, neganda est Consequentia. Nam sigillatio materiæ ad hanc potius quantitatem, quàm ad illam non est aliquid accidentale ex dispositionibus antecedentibus relictum, sed ipsamet potentialitas materiæ ut connotat (si compositum fiat per Generationem) quòd in tempore immediatè antecedenti præcesserint hæ numero dispositiones, & non aliæ, & quòd fuerint introductæ ab hoc numero agente, & non ab alio. Si verò compositum fiat per creationem, connotat, quòd subdatur Deo creati ut eminenter continenti hoc potius compositum, quàm illud: quæ quidem connotatio sufficiens est, ut licèt dis-

positiones antecedentes perierint, materia radicaliter præhabeat hanc potius, quàm illam quantitatem, & prout sic dicat habitudinem ad formam determinatam, pro quâ fuerunt prædictæ dispositiones introductæ.

409 Replicabis. Nam si prædicta sigillatio est ipsa materiæ potentialitas ut connotat dispositiones antecedentes, cum talis potentialitas à dispositionibus non dependeat, nec ab illis prædicta sigillatio dependebit: ergo &c.

410 Respondetur, quòd sigillatio secundum id, quod dicit in recto, non dependet à dispositionibus, cum rectum sigillationis sit ipsa entitas materiæ; dependet tamen ab illis quoad exercitium talis recti. Nam licèt potentialitas materiæ semper illi competat, non tamen competit illi, quòd hanc semper numero formam, quantitatemque respiciat, sed ut tale habeat determinatum exercitium, necessariò requiritur, quod prædictas numero dispositiones connotet, & non alias.





## QVÆSTIO IV.

## DE ALTERATIONE.

## ARTICVLVS I.

*Quid, & quotuplex sit Alteratio?*

S. I.

*Quibusdam prenotatis, statuitur  
prima Conclusio.*

411 **N**Otandum est, nomen Alterationis ab altero derivari; alterare autem nihil aliud est, quàm alterum facere. Sed est maximum discrimen observandum inter *aliud*, & *alterum*: nã *aliud* denotat alietatem in substantiã, essentiã, vel naturã: *alterum* verò in accidenti tantùm diversitatem insinuat: ac proinde Alteratio semper importat mutationem accidentalem. Unde quadrupliciter possumus considerare alterationem. *Primò* in totã suã latitudine prout mutationem accidentalem in quocumque genere accidentis includit. *Secundò* non ita amplè pro mutatione accidentali ad quantitatem tantùm terminatã: qualitas enim juxta communem Philosophorum consensum, specialiter dicitur facere alterum. Et

in hãc acceptione comprehendi, omnes mutationes intentionales omnes scilicet sensationes, & intellectiones creatas, immò & acquisitionem gratiæ, aliorumque donorum supernaturalium, quæ cum mutatione subjecti infunduntur.

412 *Tertiò* accipitur Alteratio magis strictè pro quâcumque physicã mutatione; quæ sit actus imperfecti, & per quam qualitas non à suo contrario, sed ex privatione sui producat: ut quando fit album ex non albo. *Quartò* denique & strictùs adhuc sumitur pro mutatione physicã accidentali, quæ inter qualitates contrarietatem & latitudinem habentes exercetur: ut quando fit transitus à frigido in calidum, vel ab albo in nigrum, aut à minus calido in magis calidum. Quia verò in præsentì principaliùs agitur de Alteratione, quæ ad Generationem substantialem ordinatur, & dispositiones antecedentes ad formam genitam introducit; ideò in hoc Articulo tan-

tantum agemus de Alteratione quarto modo sumptâ: quamvis non nihil de ipsâ in tertiâ etiam acceptione loquemur. Hoc ergo supposito, fit

413 *Prima Conclusio.*

Alteratio est motus substantiæ completa ab una in aliam passionem, vel passibilem qualitatem habentem latitudinem cum contrarietate. In hâc Diffinitione *ly motus* ponitur pro motu rigorofo, & successivo: *ly autem substantiæ completa* ponitur, ut Alteratio à Generatione substantiali distinguatur: hujus enim subjectum est substantia incompleta, & ens tantum in potentiâ, nimirum materia prima. Illæ particule *ab una in aliam passionem, vel passibilem qualitatem* ponuntur, quia Div. Thomas hîc lectione 10. docet motum Alterationis ad solas qualitates tertiæ speciei terminari. *Philosophus* (inquit) *in quinto Physicorum* probat, quod in prima specie qualitatis, & quarta non est Alteratio, sed solum in tertia: quæ dicitur passio, vel passibilis qualitas. & propter hoc fortè signanter dixit, quod Alteratio est transmutatio in passionibus. Illæ tandem particule habentem latitudinem cum contrarietate idèò adduntur, quia licèt solæ qualitates tertiæ speciei terminent Alterationem, non tamen omnes, sed illæ dumtaxat, quæ habent debitam latitudinem cum contrarietate

414 Suadetur & explicatur tradita Diffinitio. Nam ut do-

cet idem D. Thomas lib. de Sensu & Sensato, lect. 6. litera E. *Si accidens definitur in abstracto* (qualiter hîc Alteratio definitur) *subjectum ponitur loco differentie: id autem, quod pertinet ad genus accidentis, ponitur loco generis: sicut cum dicitur: Simitas est curvitas nasi.* Sed in hâc definitione ponitur proprium genus Alterationis, nempe motus, & proprium etiam subjectum, substantia scilicet completa; & per reliquas particulas, quænam substantia sit proprium ejus subjectum explicatur: ergo bona est tradita Alterationis definitio.

§. II.

*Solvuntur Objectiones:*

415 **A**rguitur primò. Nam Philosophus in hoc libro, textu 24. postquam naturam Alterationis explicuit, apposuit exemplum in transmutatione ad qualitatem primæ & quartæ speciei sic dicens: *Putra corpus sanum est, & rursus laborat manens idè: & metallum quandoque rotundum, quandoque angulare, idem existens.* Quæ verba explicans ibi D. Thomas lectione 10. Est (inquit) advertendum, quod *primum horum exemplorum* pertinet ad primam speciem qualitatis, *secundum autem ad quartam.*

416 Respondetur ex D. Thomâ ibidem per hæc verba: *Dicendum est, quod primò & per*

se Alteratio est in qualitatibus tertie speciei; per accidens autem mediantibus aliquibus qualitatibus, & ex consequenti fit Alteratio in aliis speciebus: sicut per aliquam alterationem calidi & frigidi mutatur homo de sanitate in ægritudinē, & è converso: & per Alterationem mollis & duri perducitur corpus ad aliquam figurā. Ratio autem est perspicua. Sanitas enim v. g. in eodem instanti resultat, in quo primæ qualitates ad debitam dispositionem reducuntur. Si tamen paulatim acquiri videatur, idè est, quia sanitas per se primò terminat motum Alterationis; ut autem ipsa resultat, paulatim debent primæ qualitates ad suam mediocritatem reduci.

417 Dices: Ex hâc Solutione sequitur, in transmutatione ab albo ad nigrum, nigredinē per accidens terminare talem motum: nigredo enim etiā resultat ex mixtione primarum qualitatū, sicut sanitas ex reductione illarum ad suam mediocritatem resultat.

418 Respondetur, quòd sanitas ex vi ejusdē motus ad primas qualitates terminati resultat; ac proinde per instantaneam mutationem acquiritur. Nigredo autē acquisita ex albedine, licèt supponat motum ad primas qualitates terminatum, specialem tamen terminat motum successivum. Sicut licèt augmentum quantitatis supponat motum Alterationis, ex illo tamen non resultat, sed per distinctum motum acquiritur.

418 **A**Rguitur secundò. Habitus vitii & erroris pertinent ad primam speciem qualitatis; & tamen Alteratio ad illos terminatur, cum latitudinem & contrarietatem habeant, quæ motum alterationis retardent: ergo male in Diffinitione Alterationis dicitur ad qualitates tantum tertie speciei, seu passionem, & passibilem qualitatem terminari.

419 Respondetur Alterationem non terminari per se ad quæcumque contraria, sed ad illa præcisè, quorum unum petit fieri ex suo contrario, ut contingit in qualitatibus tertie speciei: album enim per se petit fieri ex nigro, vel ex alio calore intermedio, qui ab illo sub ratione nigri inspicitur, licèt per accidens aliquando ex suo contrario non fiat, ut quando per naturalem resultantiam producit. Habitus autem scientiæ quamvis contrarietur habitui erroris, sicut & habitus virtutis habitui vitii contrariatur, neuter tamen petit per se ex suo contrario fieri, cum ad acquisitionem scientiæ & virtutis per accidens fit quòd habitus vitii vel erroris in subjecto existens supponatur.

### §. III.

#### Statuitur secunda Conclusio.

420 **S**ecunda Conclusio. Alteratio adæquatè dividitur in simplicem Alterationem, Intensionem, & Remissionem;

nem, non quidem tamquam in species infimas, hæc namque ex multiplicatione specificâ qualitatum, ad quas Alteratio terminatur, multiplicari debent, sed tamquam in species universales & subalternas ulterius in alias divisibiles. Pro quo Nota, quòd nomine Alterationis, quæ est primum membrum hujus divisionis, non intelligimus ipsum divisum seu gradum ad tales species, sed ipsam Alterationem ut dicentem specialem motum successivum ad qualitatem terminatam non utcumque, sed secundum totum suum esse, & incrementum non interruptum, quod habet quandiu durat actio, per quam educitur de potentiâ subjecti. Hanc autem speciem Alterationis, propter penuriam vocum, nomine ipsius generis explicamus: ut quando Dispositio dividitur in habitum & dispositionem, ubi nomen generis & divisi, speciei etiam & membro dividenti tribuitur. Hæc ergo explicatione suppositâ,

421 Probarur Conclusio. Nam motus Alterationis specificatur & multiplicatur penes terminos ad quos; sed terminus ad quem Alterationis tantum potest esse triplex, qualitas scilicet prolucta secundum totum suum esse, latitudinem illam seu incrementum non interruptum, quod continuò acquirit, quandiu durat & continuatur actio ad illam terminata: vel qualitas secundum suum esse intensum: vel tandem secundum suum esse remissum: ergo

Alteratio adæquatè dividitur tamquam in species subalternas in Alterationem specialiter dictam, Intensionem, & Remissionem.

422 Confirmatur. Nam quando calor, qui antea non erat, de novo producitur ex frigore, ibi intervenit verus motus Alterationis, cum calor fiat ex frigore tamquam ex suo contrario; & tamen ibi non adest motus Intensionis, & Remissionis, cum isti motus supponant qualitatem ut intendendam, vel remittendam; sicut motus augmentationis & diminutionis supponunt quantitatem productam ut per illos augendam, & diminuendam: ergo præter Intensionem & Remissionem, alia debet species alterationis admitti, quæ absolutè dicatur Alteratio.

§. IV.

*Solvuntur Argumenta.*

423 **A**Rguitur primò. Diversitas motus desumitur ex diversâ latitudine termini ad quem; sed latitudo qualitatis tantum est intensibilitas & remissibilitas, cum solum augeatur & diminuatur per Intensionem & Remissionem: ergo duplex tantum est species Alterationis, Intensio scilicet, & Remissio,

424 Confirmatur. Nam idem motus ad quantitatem terminatus, adæquatè dividitur in augmentationem & diminutionem; quia latitudo quantitatis tantum est

secundum majoritatem vel minoritatem : ergo cum latitudo qualitatis tantum sit secundum Intensionem & Remissionem , motus ad illam terminatus , adæquatè in Intensionem & Remissionem dividetur.

425 Respondetur concessâ Majore, distinguendo Minorem , latitudo qualitatis tantum est intensibilitas & remissibilitas ut amplectitur omnem radicationem, quæ tali qualitati potest competere tam in primâ sui productione, quàm illâ transactâ , concedo Minorem , intensibilitas & remissibilitas , quæ supervenit qualitati post finitam Alterationem qualitatis productivam , nego Minorem , & Consequentiam. Intensio namque & Remissio non terminantur ad producendum entitatem qualitatis sub majore , vel minore radicatione in subiecto , seu sub esse intenso & remisso. Sed supponentes entitatem qualitatis jam productam, ad id tendunt , ut illi Intensionem Remissionemque communicent, præter eam, quæ per actionem productivam illi fuerat communicata. Alteratio autem tendit ad producendam qualitatem absolutes sub Intensione ei conveniente mediâ actione productivâ illius nondum interruptâ. Sicut augmentatio & diminutio supponunt quantitatem jam productam, & ad illam ut majorem vel minorem terminantur.

426 Ad Confirmationem respondetur , quod ideò quantitas adæquatè terminat motum augmentationis , & diminutionis, quia

licet secundum se habeat latitudinem , seu extensionem; ut primò tamen producitur, non fit per motum successivum , sed per mutationem instantaneam: eò quod cum sit debita pro instanti Generationis , naturali sequelâ resultat ad productionem formæ substantialis. Qualitas autem secundum se habet latitudinem , & aliquando non fit per naturalem resultantiam ; ut quando calor introducitur in aquâ: ac per consequens, præter motum intensionis, & remissionis, potest terminare motum alterationis tendentis ad productionem illius ex suo contrario, & secundum latitudinem sibi convenientem per continuationem talis actionis.

427 **A**rguitur secundò. Alteratio non terminatur ad qualitatem ut intensam aut remissam , aliàs non distingueretur à motu Intensionis & Remissionis: ergo terminatur ad qualitatem præcisè secundum suam entitatem, & ut nullam latitudinem habentem ; ac per consequens non erit motus successivus , cujus terminus *ad quem* exigit latitudinem.

428 Respondetur distinguendo Anteced. non terminatur ad qualitatem ut intensam, aut remissam, *ly ut remissam*, aut *intensam* dicente rationem formalem specificam termini Alterationis , concedo Antecedens , *ly ut* dicente actualem terminationem , & modum intrinsicum indispensabiliter requisitum ad terminandam Alterationem, nego Antecedens, & Consequentiam.

Alteratio enim nunquam terminatur ad producendam qualitatem absque aliquâ radicatione majore, vel minore in subjecto; sed semper illam producit ut intensam, aut remissam, ita taliter, quod qualitas, ut secundum suam entitatem absolute producta, sit terminus formalis & specificativus Alterationis, Intensio verò, vel Remissio solum se habeant ut actualis terminatio & modus extrinsecus qualitatis indispensabiliter requisitus ad terminandum motum successivum: per hoc enim, quod talis latitudo in termino producto inveniatur, licet non sit ratio formalis terminandi, poterit per motum successivum produci. Motus autem Intensionis, & Remissionis, ad Intensionem & Remissionem tamquam ad terminum formalem & specificativum terminantur: entitas verò prædictæ qualitatis ut absolute producta, præsuppositivè se habet, & ut quid productum non inspicitur.

429 **A**rguitur tertio. Qualitas per Alterationem producta non aliter producit, nisi ut unita subjecto; sed non aliter unita subjecto producit, nisi sub esse intenso, vel remisso: ergo Alteratio ab Intensione & Remissione non distinguitur. Patet Consequentia. Nam terminus Intensionis est qualitas sub esse intenso, sicut terminus Remissionis est qualitas sub esse remisso: ergo si Alteratio terminatur ad qualitatem sub esse intenso, vel remisso, eundem terminum formaliter respicit,

ac motus Intensionis, & Remissionis.

430 Respondetur concessâ Majore, distinguendo Minorem, non aliter unita subjecto producit, nisi sub esse intenso, vel remisso, ut supponentibus entitatem qualitatis per alteram productam actionem, nego Minorem, per eandem, concedo Min. & nego Consequentiam. Alteratio enim, licet semper producat qualitatem sub esse intenso, vel remisso; talis tamen Intensio & Remissio non supponit interruptionem actionis productivæ qualitatis secundum suam entitatem; sed per eandem actionem continuò illi communicatur. Esse autem intensum, aut remissum, ad quæ per se primò motus Intensionis & Remissionis terminatur, essentialiter connotat, quod qualitas per distinctam actionem supponatur producta cum aliquâ Intensione aut Remissione habitâ per actionem illius productivam.

431 Ex quo fit, quod si calor denuò producat ex frigore per motum Alterationis, & illo non interrupto, sed continuato, ad totam radicationem Intensionemque perveniat, quam potest naturaliter habere; tunc quidem habebit Intensionem perfectissimam, & tamen motus ille non erit Intensio prout ab Alteratione distinguitur: motus enim Intensionis terminatur ad Intensionem ut supponentem qualitatem productam per distinctam actionem. Sicut augmentatio  
essent.

essentialiter terminatur ad augmentationem quantitatis ut connotat quantitatem per aliam actionem productam jam transactam.

## ARTICULUS II.

*Ad quam Predicamenta Intensionis, & Remissio terminentur*

### §. I.

*Quatuor Conclusiones statuuntur.*

432 **S**IT *Prima Conclusio.* Ad substantiam non terminatur motus Intensionis & Remissionis. Probatur. Illud enim, quod tribuit speciem, debet esse firmum, & consistens in indivisibili; sed forma substantialis tribuit speciem: ergo non est intensibilis, aut remissibilis. Minor, & Consequentia liquent. Major autem probatur, Nam quod præstat speciem alicui, se habet per modum ultimi termini; sed ultimus terminus secundum talem rationem in indivisibili consistit: & ideo ait Philosophus 8. Metaph. quòd Species sunt sicut numeri, in quibus additio, vel diminutio variat speciem: ergo &c.

433 Contra hanc Conclusionem objicies primò. Ideò qualitates sunt intensibiles & remissibiles, quia experienciã comperimus fortius operari modò, quàm antea: unde calor est intensior, quando fortius calefacit; at formæ substantiales fortius solent

operari in uno tempore, quàm in alio: ergo substantia est intensibilis & remissibilis.

434 Respondetur, quòd cum substantiæ non operentur nisi mediis qualitatibus, fortior illarum & intensior modus operandi in ipsas qualitates tamquam in principium proximum refundi debet; in substantiam verò tamquam in principium radicale. Ex hoc autem tantum sequitur, substantiam esse radicem Intensionis accidentium, non verò ipsam esse intensibilem & remissibilem intra propriam lineam.

435 Objicies secundò. Ideò qualitates sunt intensibiles, & remissibiles, quia respiciunt subjectum cum indifferentiã ut ab illis magis vel minus actuetur; sed etiam formæ substantiales respiciunt materiam cum indifferentiã, ut magis vel minus ab illis actuetur: ergo formæ substantiales sunt etiam intensibiles & remissibiles. Probatur Minor. Nam illud subjectum est magis, vel minus actuabile à formã, quod plus habet potentialitatis & indifferentiæ; sed materia prima, utpote pura potentia, plus habet potentialitatis & indifferentiæ, quàm subjectum qualitatis, quale est compositum substantiale: ergo materia prima potest magis vel minus actuari.

436 Respondetur negando Minorem. Ad cujus probationem nego Majorem. Nam ideo aliqua forma accidentalis respicit suum terminum ut magis vel minus

per



per illam actuandum, quia ipsa prættat illi esse secundum quid, quod salvâ ejus specie, potest magis & minus intendi. Forma autem substantialis cum non tribuat materiæ esse secundum quid, sed esse simpliciter, illam in suo esse constituens, sicut in ipsâ non est latitudo, ut magis vel minus acquirat intra propriam lineam substantiæ; ita neque in materiâ est indifferentia, ut magis, vel minus per illam actuetur, sed à primo suæ introductionis instanti tribuit ei esse simpliciter, cujus est capax intra lineam substantiæ.

437 *Secunda Conclusio.* Quantitas continua non potest intendi, vel remitti. Probatur. Nam quantitas est accidens valde propinquum substantiæ; sed substantia non potest intendi, vel remitti: ergo nec quantitas.

438 Sed contra hanc Rationem obijcies primò. Calor est accidens valde propinquus substantiæ ignis, cum primùm ab illâ per modum proprietatis emanet; & tamen suscipit magis & minus: ergo ex propinquitate quantitatis ad substantiam male infertur non suscipere magis & minus.

439 Secundò. Gratia sanctificans immediatè inhæret substantiæ animæ, sicut quantitas substantiæ corporæ; & tamen ex tali propinquitate non participat incapacitatem ad Intensionem & Remissionem: ergo idem dicendum est de quantitate.

440 Respondebis, quan-

titatem esse intimiorem substantiæ, cum in illâ immediatè recipiatur; calorem verò non recipi immediatè in substantiâ, sed mediâ quantitatem.

441 Sed contra est. Nam illa sunt intimiora substantiæ, quæ oriuntur à principio magis intimo; sed calor oritur à principio magis intimo, cum conveniat composito ratione formæ, quantitas conveniat ipsi composito ratione materiæ; forma autem intimior est composito, quàm materia, illa enim tribuit speciem & nõ ista: falsum igitur est, quantitatem intimiorem esse substantiæ, quàm calorem. Hæc ergo Solutione relicta, aliter

442 Respondetur, utrique Objectioni, quòd non ex quâcumque propinquitate ad substantiam participatur incapacitas ad Intensionem, & Remissionem, sed ex immediatâ propinquitate ad illam in ratione subjecti quo ceterorum accidentium materialium. Et quia quantitas inter alia accidentia est subjectum quo omnium illorum, ideo ex immediatâ propinquitate ad substantiam participat incapacitatè ad Intensionem & Remissionem. Eo namque ipso, quòd ita sit propinqua substantiæ in ratione subjecti quo aliorum accidentium, habet ex suâ propriâ ratione extendere partes substantiæ, & extensionem partium in se ipsâ. Id autem, de cujus ratione est habere extensionem partium, incapax est omninò Intensionis, & remissionis: Intensio siquidem

dem petit quòd sit in eàdem parte, vel quasi parte subjecti: extensio verò essentialiter postulat, quòd in diversâ parte subjecti exerceatur. Unde si aliquid addatur quantitati, quod in diversâ parte subjecti non recipiatur, non pertinebit ad lineam quantitatis. Intensio autem, cùm sit modus rei intensæ, debet ad eandem lineam rei, quæ intenditur, pertinere. Cùm ergo calor & gratia non habeant propinquitatem ad substantiam in ratione subjecti *quæ*, ab illâ non participant incapacitatem ad Intensionem, & Remissionem.

443 *Tertia Conclusio.*

Quantitas discreta non suscipit magis & minus. Probatur. Nam de ratione quantitatis discretæ est, quòd indivisibiliter participetur, & in indivisibili ratione consistat; sed forma in indivisibili consistens, quæque ex propriâ ratione indivisibiliter participari postulat, non potest suscipere magis & minus: ergo quantitas discreta non potest suscipere magis & minus. Probatur Major. *Tum*, Quia numerus ternarius v. g. ita componitur ex tribus unitaribus, ut quæcumque addatur, vel dematur, tota species terminarii numeri evertitur: ergo in indivisibili consistit, & æquè ab omnibus participatur. *Tum* etiam, Nam species quantitatis cõtinuæ penes numerum sumptæ, ut bicubitum, & tricubitum, indivisibiliter participantur, quæcumque enim parte additâ, vel detractâ,

quantumvis minimâ, bicubitum aut tricubitum non manebit: idem ergo quod prius.

444 *Quarta Conclusio.* Relatio prædicamentalis non est intensibilis, & remissibilis. Probatur *Tum* ex Philosopho docente relationem non suscipere magis & minus, nisi ratione sui fundamenti. *Tum* etiam, Nam si aliqua relatio posset intendi vel remitti, maximè relatio similitudinis, quæ reperitur inter album v. g. ut quatuor, & album ut sex, quando istud postea efficitur album ut quatuor, ac proinde similius alteri albo ut quatuor, quàm antea erat; sed in hoc casu relatio similitudinis non intenditur: ergo nulla relatio prædicamentalis potest intendi, vel remitti. Probatur Minor, Nam implicat aliquam formam intendi vel remitti absque motu intensivo vel remissivo ad ipsam saltem secundariò terminato; sed in exemplo adducto nullus esset motus intensivus adhuc secundariò ad relationem similitudinis terminatus, motus enim, quo album ut sex reducitur ad album ut quatuor potius esset remissivus, quàm intensivus: ergo, &c.

445 Nec refert si contra objicias, album ut sex magis assimilari alteri albo ut sex, quàm albo tantum ut quatuor: ergo ipsa similitudo, vel relatio potest suscipere magis & minus; proindeque intendi vel remitti.

446 Non, inquam, refert. Tunc enim vel manet eadem relatio

tio præexistens, vel non manet. Si manet, tota varietas se tenet ex parte fundamenti: si verò non manet, intendi, aut remitti nequit; ad hoc enim ut aliquid intendatur, aut remittatur, necessarium est quòd perseveret, aliàs non dicitur intendi, vel remitti, sed produci.

§. II.

*Due aliæ Conclusiones statuuntur.*

447 **Q**UINTA Conclusio. Actio & passio prædicamentalis, sicut & Motus non possunt secundum se intendi, vel remitti. Probatur. Nam quod convenit alicui ratione alterius, non cõvenit ipsi secundum se; sed calefactio v. g. solum suscipit magis & minus ratione sui principii vel termini; si calor enim non esset intensibilis aut remissibilis, neque calefactio intendi posset vel remitti; sicut quia quantitas non est intensibilis aut remissibilis, neque motus augmentationis ad illam terminatus intendi, aut remitti potest: ergo Actio, Passio, & Motus non possunt secundum se intendi, vel remitti.

448 Contra hanc Conclusionem objicies primò Philosophum cap. 9. de Prædicamentis, ubi loquens de calefactione, & frigectione quatenus sunt actiones, & passiones, sic inquit: *Gradus enim suscipiunt, ut magis atque minus dicantur: fit enim ut*

*magis quidpiam, minusve calefiat: ergo sentire videtur Philosophus Actionem & Passionem intendi & remitti posse.*

449 Respondebis, intendi quidem posse & remitti; non tamen secundum se, sed solum ratione alterius, ut diximus.

450 Sed contra est. Nam Actio præcedit suum terminum, ut calefactio v. g. calorem: ergo intentio prius reperitur in actione, quam in termino: & consequenter actio non est intensibilis ratione termini, sed potius terminus est intensibilis ratione actionis.

451 Respondetur Solutionem datam esse optimam. Ad cuius impugnationem dicendum est, Actionem præcedere terminum in genere causæ efficientis; terminum verò præcedere Actionem in genere causæ formalis specificativæ extrinsecæ. Cum autem dependentia à causâ efficiente sit tantum in actu exercito; dependentia verò à causâ specificativâ extrinsecâ sit in actu signato & pertineat ad essentiam; hinc est, quòd intensibilitas prius simpliciter conveniat qualitati terminanti, quam actioni; ac proinde Actio non sit intensibilis ratione sui, sed tantum ratione termini.

452 Secundò contra rationem huius Conclusionis objicies. Id, quod aliquid à suo extrinsecò specificativo desumit, competit illi secundum se, cum ei competat ex intrinsecâ & essentiali habitudine ad illud; sed calefactio ut Passio &

ut Motus desumit suam intentionē à termino, cum sit extrinsecum specificativum illorum; ut Actio autem desumit suam Intentionem & Remissionem à principio, à quo specificatur extrinsecè; ergo ex eo, quòd Actio, Passio, & Motus à suo termino, & principio Intentionem, & Remissionem accipiant, malè intulimus, non posse ratione sui intendi, vel remitti.

453 Respondetur distinguendo Majorem, competit illi secundum se, id est ratione alicujus intrinseci in illo existentis, derivati tamen ab alio, in quo prius formaliter invenitur, concedo Majorem, secundum se, id est tamquam à primâ radice, in quâ primario & per se non participetur ab alio, nego Majorem, & concessâ Minore, nego Consequentiam. Dupliciter enim potest aliquid convenire alicui secundum se: vel quia convenit illi primò & per se, & non ut participatum ab alio, in quo tamquam in primâ radice invenitur: vel quia convenit illi ratione alicujus intrinseci in illo existentis, ortum tamen dicentis ab alio, à quo tanquam à radice, in quâ primò formaliter invenitur, sibi communicetur. Hoc autem secundo modo convenit Actioni, Passioni, & Motui posse secundum se intendi vel remitti, nõ verò primo: quod requirebatur, ut omninò secundum se intendi & remitti possent, quod in conclusione negavimus.

454 *Sexta Conclusio.* Quatuor ultima Prædicamenta, nimi-

rùm, *Vbi, Quando, Situs, & Habitus*, non suscipiunt magis & minus. Probat. Nam idèd albedo v. g. suscipit magis & minus in subiecto, quia idem corpus, cui inest, modò est magis album, quàm antè; sed unum corpus non dicitur esse magis nunc in uno loco, quàm antè; nec magis esse in tempore modò quàm antè; cum totaliter & adæquatè circumscribatur à loco, & mensuretur à tempore: quod idem in duobus aliis Prædicamentis contingit, ut constat: ergo quatuor hæc ultima Prædicamenta nõ possunt intendi, nec remitti.

### ARTICULUS III.

*Quenam qualitates possint intendi, & remitti?*

#### §. I.

*Quibusdam suppositis, statuitur prima Conclusio.*

455 **S**upponendum est primò; qualitatem posse intendi & remitti, cum ex dictis pateat, & experientiâ constat: videmus quippe unum subiectum modò esse magis album, quàm antè. Loquendo autem de qualitatibus spiritualibus & infusis, constat ex illo. ad Philp. 1. Oro, ut *charitas vestra magis, ac magis abundet.* Et ex illo Apocal. ultimo: *Qui justus est, justificetur adhuc.* Licet ergo in presenti præcipuum sit intentum agere de intentione, quæ fit per mutationem phy-

physicam successivam; quia tamen eadem ratio est de intensione, quæ fit per mutationem instantaneam convenientem qualitatibus spiritalibus & infusis, idè in hoc Articulo de omnibus est agendum.

456 Secundò supponendum est Intensionem & Remissionem posse sumi dupliciter: vel invariabiliter, quando scilicet aliqua qualitas habet in se latitudinem intensivam, & de potentiâ saltem ordinariâ non augetur, nec minuitur in subjecto, cui inest, ut constat in intellectu & voluntate: vel variabiliter quando nimirum eadem qualitas in eodem subjecto modò est intensior, modò remissior, ut patet in calore, & frigore. Et in hoc sensu procedit Difficultas.

457 Tertio supponendum est, quòd sicut inter qualitates aliæ sunt, quæ speciem sortiuntur secundum seipsas, & non per ordinem ad aliquid extrinsecum, ut calor, & albedo: aliæ verò, quæ ab aliquo extrinseco speciem sumunt, ad quòd essentialem habitudinem dicunt, ut habitus v. gratia Philosophiæ, & Metaphysicæ; ita duplex est Intensio: alia competens formæ seu qualitati secundum se, seu secundum essentialiam talis formæ, ita ut talis Intensio adæquatè oriatur tamquam à primâ radice ab ejus formâ secundum se, seu ab ejus specificativo: alia verò Intensio est quæ competit formæ

præcisè secundum quòd participatur à subjecto.

458 Prima harum Intensionum appellatur extensio formæ ab objecto specificativo desumpta, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 52. artic. 1. in corpore sub initium dicens: *In quantum igitur attendit perfectio formæ secundum ipsam formam, sic dicitur ipsa esse parva vel magna: puta, magna vel parva sanitas, vel scientia. In quantum verò attendit perfectio formæ secundum participationem subjecti, dicitur magis & minus: puta, magis vel minus album, & sanum.* Constat autem quòd parvum vel magnum potius indicat extensionem, quàm Intensionem; sicut magis & minus potius indicat Intensionem, quàm extensionem. Sed quia prædicta extensio convenit qualitati prout est in subjecto, & respectu ejusdem partis subjecti; idè ut ab extensione quantitativa distinguatur, quæ fit in diversâ parte subjecti potius est latitudo intensiva nuncupanda. De utraq; autem qualitate, & modo Intensionis intelligendus est Titulus Articuli. His ergo suppositis, sit

459 *Prima Conclusio.* Qualitates, quæ non specificantur ab aliquo extrinseco, non possunt secundum se, seu secundum suam formam & essentialiam intendi & remitti; bene tamè illæ, quæ ab aliquo extrinseco specificantur. Conclusio quoad utraq; parte est expressa in D. Thomâ

pluribus in locis, sed præsertim citatâ 1. 2. quæst. 52. artic. 1. in corpore, propè medium per hæc verba: *Si igitur aliqua forma, vel quæcumque res secundum se ipsam, vel secundum aliquid sui sortitur rationem speciei, necesse est, quod secundum se considerata habeat determinatam rationem, quæ neque in plus excedere, neque in minus deficere possit: & hujusmodi sunt calor, & albedo, & aliæ hujusmodi qualitates, quæ non dicuntur in ordine ad aliud: Illa verò, quæ recipiunt speciem ex aliquo, ad quod ordinantur, possunt secundum seipsa diversificari in plus vel minus: & nihilominus sunt eadem specie, propter unitatem ejus, ad quod ordinantur.*

460 Sed antequàm nostram Conclusionem ratione probemus, Notandum est, quod quando dicimus, qualitates specificatas ab extrinseco posse secundum se intendi & remitti, non est sensus, quod Intentio, vel Remissio sit prædicatum quidditativum illarum, cum qualitas quoad sua prædicata essentialia in indivisibili consistat. Sed sensus est, quod radix, unde Intentio & Remissio hujusmodi qualitatum desumitur, est ratio specifica illarum, ipsarumque specificativum objectum. Hoc ergo supposito,

461 Probatur Conclusio ratione ex D. Thomâ citato loco desumptâ. Id enim tantum competit qualitibus secundum suam speciem, & rationem specificam,

quod à suo spe cificativo adæquatè participant; sed qualitates, quæ specificantur ab aliquo extrinseco, ab illo adæquatè participant aliquam latitudinem, secùs verò quæ ab aliquo extrinseco non specificantur: illæ igitur, & non istæ possunt intendi vel remitti. Probatur Minor quoad primam partem. Illud enim extrinsecum, à quo prædictæ qualitates speciem desumunt, aliquam in se habet latitudinem, ut constat in objecto Metaphysicæ, quod, propter maximam amplitudinem, plurima sub seipso comprehendit: ergo qualitates ab ipso specificatæ, aliquam etiam in se habebunt latitudinem, propter majorem, vel minorem accessum ad illud. Patet Consequentia. Nam latitudo formæ secundum ejus perfectionem & essentiam, penes majorem, vel minorem accessum ad suum specificativum pensari debet: ergo si illud continet in se aliquam latitudinem, forma etiam, seu qualitas respiciens ipsum, latitudinem quamdam ab ipso secundum suam speciem vel essentiam sortietur.

462 Quoad secundam partem probatur eadem Minor. Nam specificativum prædictarum qualitatum tantum est propria ipsarum intrinseca differentia; sed talis differentia in indivisibili consistit: ergo qualitates ab illâ specificatæ, nullam ab ipsâ participare poterunt latitudinem. Patet Consequentia. Major enim, vel minor latitudo qualitatis ab illius spe-

specificativo proveniens, oriri debet ex majore vel minore latitudine ejusdem specificativi: ergo si prædictum specificativum omnimodâ latitudine caret, qualitas etiam ab illo specificata, nullam ab ipso latitudinem secundum suam speciem & essentiam poterit mutuari.

§. II.

*Argumentis contra præcedentem Conclusionem occurritur.*

463 **A**Rguitur primò contra præcedentem Conclusionem. Etenim juxta eam, qualitates, quæ specificantur ab aliqua extrinseco, possunt intendi, & remitti; sed nulla est qualitas, quæ ab extrinseco non specificetur: ergo præcedens Conclusio falso innitur fundamento. Probatur Minor. Nam qualitates non respicientes aliquod objectum tamquam proprium specificativum extrinsecum, necessariò sistunt in respectu transcendentali ad subjectum tamquam ad proprium illarum specificativum extrinsecum: ergo nulla est qualitas, quæ ab aliquo extrinseco non specificetur. Consequentia constat.

464 Antecedens verò probatur ex Div. Thomâ 1. part. quæst. 28. artic. 1. in corpore, ubi assignans differentiam inter relationem, & cetera prædicamenta, sic ait: *Considerandum est,*

quòd solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inveniuntur aliqua secundum rationem, & non secundum rem. Quod non est in aliis generibus: quia alia genera (ut quantitas & qualitas) secundum propriam rationem significant aliquid alicui inherens; Ea verò, quæ dicuntur ad aliquid significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud. Ergo quævis qualitas secundum rationem communem accidentis, & secundum propriam & peculiarem rationem, dicit essentialem ordinem ad subjectum; ac proinde, si ibidem sistat, specificabitur ab illo. Patet utraque Consequentia, Quia inherens ut tale, essentialiter respicit subjectum inhærensionis; id autem, quod ab aliquo secundum propriam ejus rationem, ibique sistendo respicitur, non potest rationem specificativi extrinseci non habere.

465 Respondetur negando Minorem. Ad cujus probationem negandum est Antecedens. Ad probationem ex Divo Thomâ desumptam respondetur, quòd cetera accidentia, præter relationem, duo essentialiter secundum propriam rationem impoſtant: & rationem actus, vel formæ perfectivæ subjecti; & rationem effectus, seu dependentiæ ab illo: quarum prima est ultima ejus ratio specifica, per quam constituitur in suâ specie, & naturâ, non verò secunda: li-

cet hujusmodi rationes inseparabiliter conjunctæ inveniantur. Quando ergo asserit Div. Thomas, talia accidentia specificari à subjecto, solum loquitur de illis, prout sunt effectus, & in suo esse à subjecto dependent; non tamen ut sunt actus & illius formæ perfectivæ, quo pacto secundum suam speciem & essentiam concipiuntur: sub tali enim ratione solum comparantur ad subjectum tamquam ad purè perfectibile; id autem, quod speciem præstat alicui, ut perfectivum, non verò ut perfectibile ad illud comparatur. Constat hoc in formâ substantiali, quæ quia comparatur ad materiam ut purè subjectum ab ipsâ formâ perfectibile, non forma à materiâ, sed materia specificatur à formâ. Ex quo manifestè deducitur discrimen, quod versatur inter formas, seu qualitates, quæ ab intrinseco non specificantur, ut albedo, & calor, & illas, quæ specificantur ab extrinseco, ut habitus Scientiarum: quarum tota ratio formalis ut actus & formæ sita est in habitudine ad objectum; ac proinde ab extrinseco specificantur: ratio verò formalis aliarum qualitatum non ab extrinseco, sed ab ipsarum intrinsecâ differentiâ defumitur.

466 **A**rguitur secundo. Si aliquæ qualitates ab extrinseco non specificarentur, maximè illæ, in quibus Div. Thomas exemplum appo-

suit; calor scilicet, & albedo; sed hæ specificantur ab aliquo extrinseco: ergo omnes. Probat Minor. Nam albedo definitur per hoc, quòd sit disgregativa visus, calor verò per hoc, quòd sit calefactivus ut quo; sed in prædictis definitionibus explicatur essentia albedinis per ordinem ad visum, qui est aliquid extrinsecum albedini: & essentia caloris explicatur per ordinem ad subjectum calefactibile, quod est extrinsecum calori, ut per se constat: ergo calor, & albedo ab aliquo specificantur extrinseco.

467 Respondetur ex Divo Thomâ cap. ultimo de ente & essentia sic dicente: *Quia propria principia accidentium non semper sunt manifesta; idèò quandoque sumimus differentias accidentium ex eorum effectibus; sicut congregativum & disgregativum dicuntur differentia coloris, quia causantur ex abundantia, vel paucitate lucis, ex quà diversa species coloris causantur.* Unde ex eo, quòd albedo definiatur per hoc, quòd sit disgregativa visus, non sequitur, totum suum esse defumi ex habitudine ad visum. Ad id verò, quod additur de calore, dicendum est, ipsum saltem ut ad tertiam speciem qualitatis pertinentem, ab aliquo extrinseco non specificari: secundum istam quippè rationem est objectum sensus; objectum autem non specificatur, sed specificat.



468 **A**Rguitur tertio. Omnis Intensio, & Remissio nascitur ex propria & peculiari ratione cujuslibet qualitatis intensibilis & remissibilis: ergo si omnes qualitates sive ab intrinseco, sive ab extrinseco specificatae, sunt intensibiles & remissibiles; Intensio & Remissio competet illis ratione suae essentiae tamquam primae radice. Probatur Antecedens. *Tum*, Quia cum Intensio & Remissio ad qualitatem intensibilem, & remissibilem consequantur, semper ad ipsam per modum proprietatis consequentur; sed quod consequitur ad aliquid per modum proprietatis, competit illi ex proprio & peculiari conceptu: ergo &c. *Tum* etiam. Ideo namque praecise unum accidens est intensibile, & remissibile, non vero aliud, quia habet specialem naturam, qua alterum caret.

469 *Tum* denique, Quia intensibilitas & remissibilitas non competit qualitibus praecise secundum rationem communem accidentis & qualitatis: ergo competit illis secundum propriam & peculiarem ipsarum rationem. Probatur Antecedens. Nam si eis competeret secundum rationem communem qualitatis, Intensio omnium qualitatum esset ejusdem speciei; hoc autem est falsum, alias esse magis & minus calidum, magis & minus frigidum, non distinguerentur specie; & consequenter nec motus ad magis & minus calidum specie differret à motu à mi-

nus frigido ad magis frigidum: ergo &c. Probatur Major, Nam ideo esse sensibile est ejusdem rationis in homine, & equo, quia utrique convenit secundum communem illorum rationem: ergo si Intensio, & Remissio competeret qualitibus secundum rationem communem accidentis, & qualitatis, talis Intensio, & Remissio esset ejusdem rationis in omnibus.

470 Respondetur distinguendo Antecedens, intensio, & remissio nascitur ex propria & peculiari ratione cujuslibet qualitatis intensibilis, & remissibilis tamquam ab adaequata, vel inadaequata radice, concedo Antecedens, semper tamquam à radice adaequata, nego Antecedens, & Consequentiam. Ad primam probationem Antecedentis dicendum est, quod licet Intensio, & Remissio semper ad qualitatem, cui competunt, consequantur, ad illam tamen non consequuntur per modum proprietatis in qualibet qualitate, sed in illa dumtaxat, ex cujus naturam tamquam ex adaequata radice derivatur: ut constat in qualitibus ab extrinseco specificatis, quarum tota Intensio, & Remissio à suo extrinseco specificativo tamquam à primam & adaequata radice desumitur, ut constat in qualibet Scientia, cujus Intensio adaequate desumitur à majore, vel minore accessu ad suum objectum specificativum: qua ratione secundum suam essentiam est intensibilis & remissibilis. Qualitatibus

verò ab intrinseco specificatus, quales sunt calor & albedo, Intensio & Intensibilitas ex suo specificativo adæquatè non convenit, sed ex majore participatione subjecti, quod ad illarum specificativum non pertinet.

471 Hujus discriminis signum manifestum est, quòd Scientia in abstracto concepta ex præcisâ habitudine ad suum specificativum extrinsecum potest habere Intensionem. Albedo autem & calor, nisi in concreto considerentur, nullam habent Intensionem: & ideò album dicitur magis, & minus intensum, non verò albedo. Id autem quod qualitati competit in abstracto, & solummodò ex parte sui specificativi, secundùm se illi dicitur convenire: quod verò illi competit in concreto, secundùm se illi adæquatè non competit, sed tantùm ex parte subjecti, quod concernit.

472 Ex his constat ad secundam & tertiam probationem Antecedentis. Intensio namque & Remissio non competunt qualitati propter rationem communem qualitatis, ut rationes ibidem adductæ convincunt, sed ex propriâ naturâ hujus, vel illius qualitatis. Quia verò ex illâ non provenit tamquam ex ratione adæquatâ, ultra hoc requiritur major vel minor participatio subjecti: ideòque qualitatibus ab intrinseco specificatis non competit secundùm se & ratione suæ essentiæ intensibilitas, aut actualis Intensio.

473 **A**rguitur quartò. Qualitates specificatæ ab intrinseco ideò per nos non suscipiunt magis & minus secundùm suam naturam specificam, quia Intensionem adæquatè à suo principio specificativo non participant; sed eadem est ratio de qualitatibus specificatis ab extrinseco: ergo vel illæ suscipiunt magis, & minus, vel nec istæ suscipiunt. Probatur Minor, Nam ideò qualitates ab intrinseco specificatæ non participant adæquatè Intensionem à suo specificativo, quia specificativum consistit in indivisibili; sed hoc essentialiter competit cuilibet specificativo sive intrinseco, sive extrinseco, cum omnes species, & consequenter specificativa, sint sicut numeri, quibus quidquid addas, aut minuas, variantur: ergo &c.

474 Respondetur negando Minorem. Ad cujus probationem distinguo Majorem, in indivisibili consistit tam quoad rationem formalem specificativi, quàm quoad id, quod importat de materiali, concedo Majorem, quia in indivisibili consistit præcisè quoad rationem formalem specificativi, nego Majorem, & distinguo Minorem, essentialiter competit cuilibet specificativo quantum ad rationem formalem constitutivam illius in esse specificativi, concedo Minorem, quantum ad id, quod importat de materiali, nego Minorem & Consequentiam.

475 Licet enim cuilibet specificativo tam intrinseco, quam extrinseco essentialiter competat, quod in indivisibili consistat quoad rationem formalem sub qua specificat, propter adductam in Argumento rationem; quia tamen specificativum extrinsecum habet de materiali aliquam latitudinem ratione objectorum materialium subiecto formali contentorum: specificativum autem intrinsecum nil importat, præter propriam differentiam intrinsecam in indivisibili consistentem; consequens fit, quod ex habitudine qualitatum ad suum formale specificativum extrinsecum, à quo formaliter accepto suam essentiam & rationem specificam desumunt, consequatur in illis major, vel minor accessus ad objecta materialia sub illo contenta, ratione cujus prædictæ qualitates secundum se augeantur: quod in qualitativibus, quæ ab extrinseco specificantur, non contingit.

476 Dices. Habitudo qualitatum ad specificativum extrinsecum importans latitudinem de materiali, non sufficit, ut prædictæ qualitates latitudinem capiant ex parte talis specificativi; ac per consequens nec ut secundum suam essentiam intendantur: ergo nulla est Solutio. Probatur Antecedens. Nam habitus charitatis specificatur per habitudinem ad aliquid extrinsecum dicens latitudinem de materiali; & tamen charitas secundum Divum Thomam 1. 2. quæst. 66.

artic. 1. non intenditur aut remittitur ex parte talis specificativi: ergo &c. Probatur Major. Nam sicut in objecto formali: cujusvis Scientiæ continentur plura objecta materialia, quorum unum potest attingi, altero non affecto; ita in objecto charitatis plura continentur objecta materialia, quorum unum possit attingi, quin attingatur & aliud, cum possit bonitas divina attingi ut est ratio diligendi amicum, quin ut est ratio diligendi inimicum attingatur.

477 Confirmatur. Nam potentia visiva specificatur ab aliquo extrinseco, & ad illud variabiliter accedit, modo attingens unum objectum materiale, modo alterum; & tamen ex illo nullam Intensionem, Remissionemve participat, cum ad instar proprietatis se habeat, de cujus ratione est habere esse fixum & permanens: ergo &c.

478 Respondetur dist. Antecedens, si tale specificativum importet de materiali latitudinem sine multiplicatione materiali rationis formalis, concedo Antecedens, si talem latitudinem cum multiplicatione materiali rationis formalis importet, nego Antecedens. Ad cujus probationem distinguo Majorem, dicens latitudinem de materiali absque multiplicatione materiali rationis formalis, concedo Majorem, cum tali multiplicatione rationis, seu motivi formalis, nego Majorem,

& concessâ Minore, nego Consequentiam. Ad probationem Majoris, distinguo Antecedens, quorum unum potest attingi attingentiâ actuali, quin alterum attingatur eâdem attingentiâ, concedo Antecedens; quorum unum potest attingi attingentiâ habituali, quin alterum attingatur eâdem attingentiâ habituali, nego Antecedens, & Consequentiam.

479 Ut enim latitudo de materiali importata in objecto specificativo formali refundat latitudinem secundum essentiam in qualitatibus ab illo specificatis, necessariò requiritur, quòd ratio formalis *sub quâ* objecti specificativi materialiter multiplicetur per habitualement extensionem ad quodlibet objectum materiale: quod contingit in habitibus scientificis, cum ratio formalis assentiendi uni Conclusioni sit materialiter distincta à ratione formali assentiendi alteri, eò quòd per diversa media probantur; & idè potest esse Scientia circa unam Conclusionem cum errore circa alteram. Hoc autem non contingit in habitu charitatis: hic enim à primò suæ infusionis instanti ita habitualiter, & indivisibili modo extenditur ad omnia objecta materialia contenta sub divina bonitate tamquam sub ejus ratione formali, ut talis ratio formalis non multiplicetur materialiter per habitualement extensionem ad illa: adèd quippe indivisibiliter ex se inclinatur

ad omnia, ut si non inclinaret ad unum, non maneret habitus charitatis ad alterum. *Quem* admodum quia fides infusa habitualiter inclinatur ad assensus circa omnes Articulos sub eâdem indivisibili ratione formali veritatis revelantis, non compatitur cum errore circa unum Articulum. Quare licet possit voluntas uti diversâ bonitate ut est ratio formalis diligendi amicum, absque eo, quòd utatur eâ, prout est ratio diligendi inimicum (habitibus enim quandò, & quomodò volumus, utimur) ipse tamen habitus non potest habitualiter inclinare ad unum, quin inclinetur ad alterum: minima enim charitas ad implendam totam legem inclinatur.

480 Ad Confirmationem respondetur distinguendo Antecedens quoad secundam partem, variabiliter accedit accessu actuali, concedo Majorem, habituali, nego Majorem, & concessâ Minore, nego Consequentiam. Quamvis enim potentia visiva accessu actuali, & mediis propriis actibus variabiliter accedat ad sua objecta materialia modò attingens unum, & modò alterum; ad illa tamen variabiliter accessu habituali non accedit, qualis requiritur ad variabilem Intensionem, & Remissionem talis potentie. Et ratio est illa, quæ in Confirmatione adducitur. Quia nimirum potentia visiva se habet ad modum

dum proprietatis, de cujus ratione est habere esse firmum & permanens, & invariabilem habitudinem ad proprium subjectum.

481 Replicabis. Potentia visiva accedit variabiliter accessu habituali ad objecta materialia & inadæquata contenta sub ejus objecto specificativo formali: ergo nulla est Solutio. Probatur Antecedens. Nam ideò Scientia variabiliter accedit accessu habituali ad objecta materialia sub illius specificativo contenta, quia omnia attinguntur ab illâ sub ratione formali materialiter multiplicatâ; sed potentia visiva attingit objecta materialia sub ejus objecto formali contenta, sub ratione formali materialiter multiplicatâ: ergo &c.

482 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem distinguo Majorem, quia attingit sub ratione formali materialiter multiplicatâ præcisè, nego Majorem, quia aliàs Scientia est habitus acquisitus, concedo Maj. & Minorem, & nego Consequentiam. Respectus enim ad objecta materialia sub ratione formali materialiter multiplicatâ solum arguit accessum habitualem variabilem, & augmentum extensivum ex parte ipsius habitus, quando hic per nostros actus acquiritur. Cum enim frequentatio actuum non fiat, nec fieri possit simul circa totam materiam, sed successivè, modò circa unum, modò circa aliud objectum, habitus ex illis genitus non simul,

sed successivè accedit ad objecta materialia sub objecto specificativo contenta. Potentia autem visiva non generatur nostris actibus, sed dimanat ab essentiâ per naturalem resultantiam ab instar proprietatis, ac proinde à principio suæ emanationis est sufficienter proportionata per modum potentia, & quantum est ex se ad attingendam omnem latitudinem sui objecti: & per consequens nequit ex parte objecti variabiliter intendi, nec accessu habituali variabiliter ad illud accedere.

§. III.

*Statuitur secunda Conclusio.*

483 **S**ecunda Conclusio. Qualitates, de quarum ratione non est indivisibilitas, sive ab extrinseco specificentur, sive nõ, possunt intendi, & remitti secundum participationem subjecti: secus verò illæ, quæ in sui ratione indivisibilitatem important.

484 Probatur quoad utramque partem hæc Conclusio ratione ex D. Thomâ desumpta loco in primâ Conclusione relato. Nam illæ qualitates possunt intendi & remitti secundum participationem subjecti, quæ modo divisibili possunt ab ipso participari; sed qualitates, de quarum ratione est indivisibilitas, nequeunt participari à subjecto, nisi modo indivisibili, aliàs non participaretur secundum propriam earum rationem, secus verò illæ.

illæ, de quarum ratione non est indivisibilitas: hæ igitur, & non illæ possunt intendi & remitti secundum participationem subjecti. Major, & Consequentia constant.

485 Minor autem probatur. Nam idem præcisè numerus, & species quantitatis continuæ, quæ penes numeros accipiuntur, nequeunt divisibili modo participari à subjecto, quia indivisibilitas est de illarum ratione; unde additâ vel ablatâ à numero v. g. ternario aliquâ unitate, tota species numeri ternarii dissolvitur: ergo qualitates, quæ in suâ ratione indivisibilitatem non includunt, possunt divisibili modo participari à subjecto, è contra verò illæ, quæ ex suo conceptu formali indivisibilitatem important.

486 Confirmatur ex doctrinâ Angelici Præceptoris citato loco de promptâ. Eatenus enim qualitates specificatæ ab aliquo extrinseco possunt intendi & remitti per ordinem ad illud, quatenus possunt magis vel minus ad illud accedere; sed qualitates, de quarum ratione non est indivisibilitas, suo etiam modo possunt magis, vel minus ad subjectum accedere; secus verò illæ, quæ in suo conceptu talem indivisibilitatem important: ergo illæ, & non illæ poterunt intendi, & remitti secundum participationem subjecti. Probatur Minor. Nam qualitates, de quarum ratione non est indivisibilitas, possunt perfectius, vel minus perfectè à subjecto participari, inti-

mius ipsi conjungi, & majorem ejus potentialitatem explere, ut amplius ex dicendis infra Articulo sequenti constabit, secus verò illæ, quæ in suo conceptu indivisibilitatem includunt: ergo vera est Minor.

#### §. IV.

#### *Solvuntur Argumenta:*

487 **A**Rguitur primò. Indivisibilitas est de ratione cujuslibet qualitatis: ergo nulla potest intendi, vel remitti. Consequentia constat. Antecedens verò probatur. Nam de ratione cujuslibet qualitatis est propria ejus specificatio; sed hæc consistit in indivisibili, cum species sint sicut numeri: ergo indivisibilitas est de ratione cujuslibet qualitatis.

488 Respondetur distinguendo Antecedens, est de ratione cujuslibet qualitatis, ita ut in suâ ratione specificâ non habeat unde dividatur, concedo Antecedens, taliter, ut aliunde dividi nequeat, nego Antecedens, & Consequentiam. Ad probationem Antecedentis concessâ Majore, distinguo Minorem, consistit in indivisibili, hoc est non potest ex suâ ratione specifica dividi, concedo Minorem, ex alio capite, nego Minorem, & sub eadem distinctione Consequentis, nego Consequentiam.

489 Licet enim qualibet qualitas in suâ formali specificâ ratio-

tionem indivisibilitatem includat, ita ut in illâ nullum sit principium, unde dividi possit; non tamen ita includit indivisibilitatem, ita ut ejus rationi specificæ repugnet divisibilitas ex alio capite, nimirum ex participatione subjecti: hoc enim tantum contingit, quando subjectum eandem habet denominationem, ac ipsa forma indivisibilis, ut talis. Quemadmodum figura, quæ est triangulus v.g. dicitur hoc modo indivisibilis, eò quòd subjectum illius dicitur etiam triangulum; si autem illa magis minusve susciperet, id ipsum ratio trianguli haberet: quod tamen in omnibus qualitatibus non contingit, ut constat in albedine. Nam denominatio albi distincta est ab eâ, quâ albedo ut forma specificè indivisibilis denominatur. Quare licet albedo importet divisibilitatem specificam, in quâ prout sic significatâ non sit magis & minus; nihilominus in ipsâ denominatione albi potest magis & minus reperiri, quia diverso modo potest à subjecto participari.

490 Dices: Non stat qualitatem augeri secundum magis & minus ex participatione subjecti, quoniam ipsa species qualitatis varietur; hoc autem non potest dici: ergo ex omni capite est indivisibilis. Probatur Major. Illud enim, in quo qualitas sit magis & minus, est propria ratio, & species qualitatis; sed species, ut sæpè ex Philosopho diximus, sunt sicut numeri, & in indivisibili consistunt: ergo non po-

test qualitas suscipere magis & minus, quin species ipsius varietur.

491 Respondetur negando Majorem. Ad cujus probationem dicendum est, speciem & essentiam qualitatis per Intensionem non variari, sed modum tantum talis speciei quoad actuandum subjectum & perficiendum, illud reducendo de potentia ad actum. Ut autem aliquid quoad speciem & essentiam varietur, debet illi aliquid prædicatû essentiale superaddi, vel subtrahi, vel modus aliquis intrinsicè ad prædicata essentialia requisitus: superadditio verò, vel detractio diversæ participationis in subjecto, vel novæ emittatis quasi integralis ad prædictam variationem non sufficit: ut constat in substantia materiali, cujus species & essentia ex additione vel subtractione partium integralium minimè variatur.

492 **A**rguitur secundò. Ubi est contrarietas, est maxima distantia sufficiens ad Intensionem, & Remissionem terminandam; sed qualitates secundum se, & pro priori ad respectum, quem dicunt ad subjectum, habent inter se contrarietatem: ergo independentè à subjecto possunt intendi & remitti.

493 Confirmatur primò. Nam si Deus separaret albedinem nivis, & albedinem hominis, perfectior esset illa, quàm ista; sed ille excessus, tunc casus ex participatione subjecti non proveniret, ut constat: ergo &c.

494 Confirmatur secundò. Eadem enim est albedo in concreto, ac in abstracto; sed intenditur & remittitur in concreto: ergo intendi & remitti etiam potest in abstracto; ac per consequens independenter à subjecto.

495 Respondetur distinguendo Majorem, ubi est contrarietas & latitudo, concedo Majorem, ubi est præcisè contrarietas, nego Majorem, & distinguo Minorem, habent contrarietatem præcisè, concedo Minorem, contrarietatem & latitudinem, nego Minorem, & Consequentiam. Licet enim qualitates habeant inter se contrarietatem, & maximam distantiam in diversis formis; latitudinem tamen penes magis & minus in eadem formâ non habent, sed hanc tantùm participant per hoc, quòd magis, minusve in subjecto radicentur.

496 Ad primam Confirmationem respondetur, in tali casu idèd albedinem nivis intensiorem esse albedine hominis, quia albedo nivis diceret majorem radicationem in subjecto, non quidem actualem, sed aptitudinalem, propter respectum, quem semper retineret ad subjectum.

497 Nec obest, si in contra objicias, sæpè docere Angelicum Præceptorem, albedinem separatam non posse intendi, sed habere omnem perfectionem possibilem.

498 Non, inquam, obest: quando enim id docet D. Thomas,

intelligi debet de albedine, quæ esset subsistens, & ita à subjecto separata, ut neque actu, neque aptitudine respicere ipsum.\*

499 Ad secundam Confirmationem respondetur distinguendo Majorem, eadem est quoad rectum, concedo Majorem, quoad obliquum & statum, nego Majorem, & concessa Minore, nego Consequentiam. Licet enim eadem sit entitas albedinis in abstracto, ac in concreto, diversus est tamen status & respectus: nam in concreto respicit subjectum; in abstracto verò illud relinquit. Quare D. Thomas 1.2. quæst. 53. art. 2. ad 3. docet, quòd Intensio & Remissio tribuitur accidentibus in concreto: & idèd non dicitur magis albedo, sed magis album, licet album non intendatur ratione totius, sed ratione formæ ut communicatæ subjecto.

#### ARTICULUS IV.

*Utrum Intensio qualitatis fiat per depurationem à suo contrario, vel per corruptionem qualitatis præexistentis, & adven-  
tum perfectionis?*

S. I.

*Duplex Conclusio stabilitur.*

500 **S**IT prima Conclusio. Intensio qualitatum non fit per depurationem à contrario.

CON-



Conclusio est D. Thomæ in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 2. ad 3. sic dicentis: *Non est de ratione Intensio- nis alicujus qualitatis, quod sit per remotionem à contrario, sed hoc accidit qualitati secundum quod in est in subjecto participante contrario.* Et probatur primò ratione. Nam datur aliqua Intensio qualitatis absque eo quod intercedat depuratio contrarii: ergo Intensio qualitatum non petit fieri per depurationem à contrario. Consequentia constat. Antecedens verò probatur. Lux enim contrarium non habet; & tamen sæpè intenditur. Caritas etiam, & gratia Deiparæ quotidie intende- bantur; hujusmodi autem Intensio per depurationem à contrario non fie- bat: beata quippè Virgo numquam vel levissimo peccato fuit infecta: ergo.

501 Secundò probatur.

Depuratio enim à contrario, vel expulsio dispositionis repugnantis attingitur secundariò per actionem intensivã: unde ignis idèd remittit frigus, quia intendit calorem: ergo præter talem expulsionem, aliquem terminum positivum & primarium habet actio intensiva qualitatis. Sed Intensio, in eo formaliter consistit, quod primariò respicit, non verò in eo, quod respicit secundariò: ergo Intensio qualitatum in depu- ratione à suo contrario non consi- stit.

502 *Secunda Conclusio.*

Intensio qualitatis non fit per ad- ventum qualitatis perfectioris. Hæc

etiam Conclusio est expressa in D. Thomâ pluribus in locis, ex- pressior tamen in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 1. in corpore per hæc ver- ba: *Alii dixerunt, quod caritas essentialiter non augetur, sed ad- veniente majore caritate, minor caritas, quæ inerat, destruitur. Hoc etiam non potest stare.*

503 Probatur primò ra- tione ex eodem D. Thomâ citato loco desumptâ. Nulla enim forma absoluta destruitur, nisi vel per ac- cidens ad corruptionem subjecti, vel propter defectum & absentiam causæ conservativæ illius; sed nil horum intervenit in Intensione qualitatis: ergo Intensio qualitatis non fit per corruptionem præexi- stentis & adventum perfectioris. Consequentia est legitima. Major certa: in illa enim omnia capita numerantur, unde possit provenire formæ absolutæ destructio.

504 Minor verò, in quâ est difficultas, sic probatur. Nam in Intensione caloris v. g. nullum contrarium agens intervenit, cum ibi solum adsit calidum intendens minus calidum præexistens, quod cum solo numero à minus calido distinguatur, non est agens con- trarium respectu illius. Neque sub- jectum præexistentis caloris de- struitur, ut supponimus. Nec de- nique abest causa conservativa illius, siquidem ad Intensionem ca- loris in ligno v. g. præfens est ignis conservans illum: ergo in In- tensione qualitatis nullum est ca- put, ex quo destructio qualitatis præ-

præexistentis proveniat, ut alia perfectior qualitatis inducatur.

505 Dices, quòd cùm intendens calorem fit magis calidum, & dissimile respectu passii minus calidi, agens est contrarium illi: ac per consequens destrui debet calor præexistens, ut possit assimilari passum agenti magis calido, aliàs agens, & passum manebunt dissimilia sicut antea.

506 Sed contrà est. Nam id destruitur ab agente contrario, in quo passum contrariatur agenti; sed passum minus calidum solum contrariatur agenti magis calido secundum magis & minus in esse calidi, non verò in entitate caloris: ergo ex prædictâ Solutione tantum sequitur destruendum esse calorem præexistentem quoad id, quod dicit de minoritate; ac proinde quoad modum, non verò quoad entitatem. Probatur Minor. Quia juxta traditam Solutionem, Ideò magis calidum contrariatur passo minus calido, quia sunt dissimilia; sed non sunt dissimilia in calore quoad entitatem sed quoad magis & minus, quod est modus illius: ergo agens magis calidum solum contrariatur passo minus calido secundum magis & minus caloris, non verò secundum ipsius caloris entitatem.

507 Secundò probatur eadem Conclusio. Nam qualitas perficitur per Intensionem; sed nihil destruitur per id, per quod perficitur: ergo Intensio non fit per deperationem qualitatis præexi-

stentis. Major constat, *Tum*, Quia cùm qualitas fit accidens, & entis ens, cujus totum suum esse est esse affectum substantiæ, per illud debet perfici, per quod melius se habet in ordine ad subjectum; sed per Intensionem melius se habet qualitas in ordine ad subjectum, cùm magis in illo radicetur: ergo per illam perficitur. *Tum* etiam, Quia Intensio est incrementum qualitatis; sed de ratione incrementi est, quòd rem, cujus est incrementum, non destruat, sed potius perficiat, ut constat in augmento quantitatis, quæ per ejus adventum non destruitur, sed perficitur: ergo &c.

508 Confirmatur primò. Quælibet qualitas suam appetit Intensionem; sed si ad adventum Intensionis deperiret, ipsam non appeteret, nihil enim ad suam destructionem inclinatur: ergo Intensio non fit per destructionem qualitatis præexistentis. Minor & Consequentia constant. Major autem probatur. Nam quælibet res appetit suam conservationem; sed qualitas per Intensionem conservatur, siquidem per illam augetur: ergo &c.

509 Confirmatur secundò. Charitas, quæ est in viâ, intenditur in Patriâ; & tamen per talem Intensionem non destruitur, sed perficitur: nam juxta Apost. 1. ad Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit*: ergo.

510 Confirmatur tertio. *Gratia collata per Baptismum*, per

cetera Sacramenta intenditur, & augetur; & tamen per talem Intensionem non destruitur: ergo &c.

§ 11 Denique Confirmatur. Accidentia panis & vini, quæ post Consecrationem perseverant, sæpè intenduntur; & tamen non corrumpuntur, aliàs ad Intensionem illorum desineret esse sub illis Corpus Christi, tandiu enim Corpus Christi sub illis manet, quandiu eadem numero perseverant: ergo qualitas per Intensionem non destruitur.

§. II.

*Solvuntur Argumenta.*

§ 12 **A**rguitur primò contra primam Conclusionem. Qualitas, remotis contrariis impedimentis, agit quantum potest: ergo iisdem remotis impedimentis, informabit subjectum, seque illi communicabit quantum possit. Sed Intensio consistit in majore participatione subjecti: ergo non in depuratione contrarii. Prima Consequentia patet. Idèò namque qualitas agit quantum potest, remotis contrariis, quia agit per modum agentis naturalis; sed respectu communicationis subjecti agit etiam per modum agentis naturalis: ergo informat subjectum, seque illi communicat quantum potest.

§ 13 Respondetur concessio Antecedenti, negando Consequentiam. Ad cujus probationem

dicendum est idèò qualitatem, remotis impedimentis, agere quantum potest, quia ipsa secundum se est operativa ut *quo*; forma autem considerata præcisè secundum suam essentiam & existentiam, & præcisa ab omni alio modo majoris radicationis, non habet esse intensum proxime & ut *quo*: quare licèt informet quantum potest, solum communicabit totam suam essentiam & existentiam, non tamen esse intensum.

§ 14 **A**rguitur secundò contra secundam Conclusionem. Nam terminus à quo cujuscumque motus destruitur per acquisitionem termini illius ad quem; sed in motu Intensionis terminus à quo est qualitas remissa, & terminus ad quem est qualitas intensa: ergo Intensio fit per adventum qualitatis perfectioris, & destructionem qualitatis minus perfectæ. Probatur Minor. Nam sicut motus augmentationis est à minore ad majorem quantitatem, ita motus Intensionis est à remissâ ad intensam qualitatem.

§ 15 Respondebis cum Capreolo & aliis terminum à quo Intensionis non esse qualitatem remissam quoad suam entitatem, sed præcisè ut habet adnexam privationem gradus perfectioris: & idèò tantum tollitur à qualitate præexistente privatio talis gradus perfectioris; ipsa verò qualitas quoad suam entitatem non destruitur.

§ 16 Contra tamen est primo. Nam Intensio est motus suc-

cessivus, ut supponimus ex dictis Lib. V. Phycicorum; sed motus successivus versatur inter terminos positivos, ut communiter ibidem docetur: ergo terminus à quo motus Intensionis non est privatio gradus perfectionis, sed aliquid positivum, entitas scilicet qualitatis remissa: ac proinde per Intensionem corrumpi debet qualitas præexistens.

517. Secundò. Idem enim est terminus à quo Intensionis, & terminus ad quem Remissionis, sicut idem est terminus à quo augmentationis, & terminus ad quem diminutionis; sed terminus ad quem Remissionis non est privatio gradus perfectioris, sed aliquid positivum, cum verum motum ipsius Remissionis terminet per se primò: ergo &c. Omisâ igitur Solutione Capreoli, aliter

518. Respondetur concessâ Majore, distinguendo Minorem, qualitas remissa & intensa quoad minorem, vel majorem radicationem in subjecto, concedo Minorem, quoad entitatem, nego Minorem, & Consequentiam. Terminus enim à quo motus Intensionis non est qualitas remissa quoad suam entitatem producenda: per Intensionem quippè potius entitas qualitatis perficitur, quam per illam destruat; sed terminus ejus à quo est major vel minor radicatio in subjecto, quæ per adventum alterius majoris radicationis tanquam per terminum ejus ad quem omninò destruitur,

519. **A**rguitur tertio contra eandem Conclusionem. Corpus grave per motum localem & continuum in suum centrum acquirit novum *Vbi* perfectius, imperfectius *Vbi* præexistens, amittens: ergo per motum Intensionis qualitas perfectior acquiritur, amissâ præcedenti qualitate imperfectiori. Patet Consequentia. Nam idèd corpus grave per motum ad suum centrum acquirit novum *Vbi* perfectius amittens minus perfectum *Vbi*, quia finis talis motus est acquirere ultimam ubicationem, per quam mobile constituatur in ultimo termino & loco; sed finis motus Intensionis est quòd mobile acquirat suum ultimum incrementum & perfectionem: ergo per motum Intensionis acquiritur qualitas perfectior, amissâ qualitate præcedenti minus perfecta.

520. Respondetur concessâ Antecedenti, negando Consequentiam. Ad cujus probationem concessâ Majore, & Minore, neganda est Consequentia. Et ratio disparitatis est. Nam cum finis, & terminus ad quem motus gravis in centrum sit novum *Vbi* perfectius ut acquirendum absolute, quoad suam entitatem, terminus etiam à quo est *Vbi* præcedens quoad suam entitatem: & idèd entitas hujus destrui debet per adventum illius. Terminus autem ad quem motus intensionis non est qualitas perfectior quoad suam entitatem habenda, sed major radicatio qua-

qualitatis in subjecto præexistens; terminus verò à quo est esse remissum seu modus minoris radicationis in subjecto; ac per consequens eadem numero qualitas quoad suam entitatem perseverans, modum minoris radicationis amittens, modum perfectiorem acquirit.

ARTICULUS V.

*Utrum Intensio qualitatis fiat per additionem gradus ad gradum?*

§. I.

*Statuitur prima Conclusio.*

521 **S**IT prima Conclusio. Intensio qualitatis non fit per additionem gradus ad gradum, seu qualitatis ad qualitatem. Conclusio est Philosophi 4. Physicorū textu 84. sic dicentis: *Ex calido fit magis calidum nullo facto in materia calido, quod non esset calidum, quando erat minus calidum.* Sed si Intensio caloris fieret per additionem gradus ad gradum, sive caloris ad calorem, ex calido fieret magis calidum, facto in materia calido, ut per se constat, quod tamen Philosophus aperte negat: ergo non fit per additionem gradus ad gradum, vel qualitatis ad qualitatem.

522 Divus etiam Thomas pluribus in locis docet id ipsum: sed præsertim 2. 2. quæst. 24.

art. 5. prope finem corpōris sic concludens: *Relinquitur ergo, quòd nullo modo charitas augeri potest per additionem charitatis ad charitatem, sicut quidam ponunt.*

523 Probatur primò ratione ex Philosopho & D. Thomâ desumptâ. Nam si Intensio qualitatis fieret per additionem gradus ad gradum, vel qualitatis ad qualitatem, qualitas intensa imperfectior esset qualitate remissâ; hoc autem est absurdum, & à nemine admissum, aliâs charitas ut unum eligenda potius esset, quàm ut octo: ergo &c. Probatur Sequela. Nam illa qualitas est perfectior, quæ est actualior, Deoque similior; sed si Intensio qualitatis fieret per additionem gradus ad gradum, vel qualitatis ad qualitatem, qualitas remissa esset actualior, Deoque similior, quàm intensa: ergo. Probatur Minor. Id enim est actualius, Deoque similius, quod est simplicius, ut docet Dionysius de divinis nominibus, cap. 5. per hæc verba: *Participatio Dei, quanto simplicior, tanto nobilior.* Sed qualitas remissa v. g. ut unum, est simplex, qualitas verò intensa ut duo est composita ex duplici qualitate: ergo actualior, Deoque similior esset remissa, quàm intensa.

524 Nec obest si dicas, hanc Rationem probare, si qualitas partialis superveniens non adunaretur cum qualitate præexistente; quia tamen adunantur, unam majorem efficiunt qualitatem:

tem: major autem qualitas perfectior est minore qualitate.

525 Non, inquam, id obest. In primis enim qualitas partialis superveniens nequit cum præexistenti adunari: ergo nulla est assignata Solutio. Probatur Antecedens. Nam qualitas superveniens neque unitur cum præexistente per continuationem, cum talis unio sit propria solius quantitatis: neque per modum partium integralium, qualiter substantiæ partes uniuntur, cum prædictæ qualitates aut gradus in eadem parte subjecti recipiantur: neque per modum actus & potentiæ, cum sint ejusdem rationis, & non sit major ratio, quare una se habeat ut actus, & altera ut potentia, non autem è contrà: neque tandem una identificetur cum alterâ, cum valeant separari: ergo qualitas superveniens nequit cum præexistenti conjungi. Patet Consequentia: nullus enim superest modus, quo possint adunari.

526 Deinde. Nam dato, & non concesso, tales qualitates partiales posse inter se adunari, subsistit adhuc nostra Conclusio. Etenim si substantiæ Angeli per impossibile adderentur partes substantiæ, major esset; & tamen in illo casu non esset perfectior, sed longe minus perfecta, quâ est modò: ergo ex eo, quòd ex qualitate præexistente & superveniente fieret major qualitas, non infertur, qualitatem intensam perfectiorem fore remissâ. Patet Consequentia. Ideò

namque in illâ hypothese substantia Angeli non esset perfectior, ac est modò, quia per talem majoritatem amitteret simplicitatem, & compositionem acquireret; sed per majoritatem, quam prædictæ adunatæ qualitates haberent, qualitas remissa simplicitatem amitteret, & compositionem acquireret: ergo imperfectior esset intensa, quâ remissâ.

527 Denique. Nam ut docet D. Thomas 1. p. quæst. 3. art. 7. ad 2. *Apud nos composita sunt meliora simplicibus: quia perfectio bonitatis creature non invenitur in uno simplici, sed in multis: sed perfectio divine bonitatis invenitur in uno simplici:* ergo secundum se perfectiora sunt simplicia, quàm composita. Sed qualitas remissa est simplex, qualitas verò intensa composita: ergo perfectior erit remissa, quàm composita.

528 Secundò probatur Conclusio ratione. Nam si Intensio qualitatis fieret per additionem gradus ad gradum, vel qualitatis ad qualitatem, aut qualitas superaddita distingueretur specie à qualitate præexistente, vel numero? neutrum potest dici: ergo non fit per additionem gradus ad gradum, vel qualitatis ad qualitatem. Major, & Consequentia constant. Minor quoad 1. partem etiam liquet. Si enim gradus, aut qualitas superaddita non esset ejusdem speciei, minimè conduceret, ut per illam qualitas præexistens intenderetur: Intensio namque eju-

iuslibet qualitatis intra eandem speciem ipsam perficit qualitatem, ut constat inductivè.

529 Quoad secundam verò partem probatur eadem Minor. Quia Intentio qualitatis fit in eadem parte subjecti, aliàs non erit Intentio, sed extensio; sed in eadem parte subjecti non possunt duæ qualitates solo distinctæ numero recipi: ergo qualitas superaddita non potest solo numero à præcedenti qualitate distingui. Probatur Minor primò. Nam in uno subjecto totali non adest capacitas ad recipienda duo accidentia totalia sola numero distincta; unde nec duplex quantitas totalis, nec duplex totalis albedo in eodem subjecto totali possunt naturaliter esse: ergo pariter duo accidentia partialia solo numero distincta non possunt esse in eodem numero subjecto partiali.

530 Secundo probatur Minor. Nam ad duo accidentia similia, v.g. ad duos calores ut duo non est capacitas in eadem parte subjecti: ergo nec ad duo accidentia dissimilia, v.g. ad calorem ut duo, & ad calorem ut quatuor. Patet Consequentia. Ideò namque non est capacitas in eadem parte subjecti ad duos calores ut duo, quia numero tantum distinguuntur; sed eadem ratio est de calore ut duo, & calore ut quatuor: ergo &c.

531 Tertio. Distinctio numerica accidentis sive partialis, sive totalis, de sumitur à subjecto: ergo

cum unitate numericâ subjecti partialis stare nequit duplicitas numerica accidentis partialis. Probatur Antecedens. Ab eo namque res individuatur, à quo ultimò indivisa & incommunicabilis redditur; sed accidentia hoc habent à subjecto: ergo ab illo individuantur. Probatur Minor, Tum, Quia accidens quantum est ex se, est communicabile alteri ut subjecto inhesionis; sed hanc communicabilitatem amittit per hoc, quòd alicui subjecto communicetur, hoc enim ipso, quod uni communicetur, incommunicabilis simul alteri, saltem naturaliter, redditur: ergo. Tum etiam, Nā per id constituitur individuum, per quod ultimò redditur indivisum formali & materiali differentiâ; sed accidentia per hoc, quòd in subjecto recipiantur, ultimò indivisa differentiâ formali, materialique redduntur: ergo a subjecto individuantur.

532 Ultimò probatur incapacitas in eadem parte subjecti ad duas simul qualitates solo numero distinctas recipiendas. Nam ubi cessat intentio agentis causantis accidens, ibi cessat capacitas receptiva subjecti: subjectum enim ut capax accidentis dicitur habitum ad causam effectivam eiusdem accidentis; sed suppositâ existentia accidentis in aliquâ parte subjecti, cessat intentio agentis causaturi accidens eiusdem speciei in eadem subjecti parte: ergo in eadem parte subjecti non datur capacitas ad duo accidentia eiusdem

dem speciei solo numero distincta. Probatur Minor. Agens enim non intendit per se primò differentias individuales effectuum, quos causat, sed illos intendit ratione formæ specificantis, cujus productionem intendit per se primò; sed suppositâ existentia caloris v. g. in aliquâ parte subjecti, jam supponitur in illâ specifica ratio caloris: ergo circa talem partem cessabit intentio calefactiva agentis.

533 Minor & Consequentia constant. Major autem probatur primò ex D. Thomâ 1. p. quæst. 85. art. 3. ad 4. sic dicente: *Ultima nature intentio est ad speciem, non autem ad individuum*; sed ultima intentio agentis naturalis est ultima intentio nature: ergo ultima intentio agentis naturalis non est ad differentias individuales, sed ad gradus específicos.

534 Secundo probatur eadem Major. Ultima intentio agentis naturalis est assimilare sibi effectum; sed non intendit assimilare in differentia individuali, sed in gradu specifico: ergo &c.

535 Tertio probatur Major. Ideò in speciebus incorruptibilibus non dantur, nec dari naturaliter possunt plura individua, quia individua non sunt de primaria intentione nature, sed tantum intenduntur propter speciem conservandam: ergo non ipsa individua, sed natura specifica

est de primaria intentione agentis naturalis.

## S. II.

*Solvantur Argumenta contra Precedentem Conclusionem.*

536 **A**rguitur primò contra precedentem Conclusionem ex Philosopho 4. Physicorum, textu 85. dicente, quòd *sicut ex frigido fit calidum, ita ex calido fit magis calidum*; sed ex frigido fit calidum per additionem entitatis: ergo etiam ex calido fit magis calidum per entitatis additionem.

537 Confirmatur ex D. Thomâ 3. p. quæst. 7. artic. 12. in corpore, docente, quòd *Aër non potest crescere in caliditate, quando pertingit ad ultimum gradum caloris, qui potest salvari in natura aëris*. Et paulo inferius sic inquit: *Calor ignis non potest augeri, quia non potest esse perfectior gradus caloris, quam ille, ad quem pertingit ignis*: ergo admittit gradus in qualitate, sive perfectionem gradualem: & consequenter sentit Intensionem qualitatis fieri per additionem gradus ad gradum, sive qualitatis ad qualitatem.

538 Respondetur ad Argumentum concedendo Majorem, debitâ proportionem servatâ, & Minorem, negandoque Consequentiam. Proportio enim




tantum servari debet ex parte subjecti, quatenus idem manens est susceptivum contrariorum absque aliqua ipsi superaddita ratione materiae. Non autem servatur proportio in hoc, quod sicut superadditur calor quando ex frigido producitur, ita etiam superaddatur calor, quando ex calido intenditur. Quando enim calor simpliciter & absolute producitur, nulla in subjecto caloris entitas praesupponitur; proindeque nullum est inconveniens quod in ipso entitas, vel gradus caloris producatur. Quando vero ex calido fit magis calidum, cum supponatur calor, & in eadem parte subjecti non possit alius calor numero tantum distinctus introduci, qualiter distingueretur gradus, aut entitas; hinc est, quod licet ex frigido fiat calidum per additamentum caloris; ex calido tamen non fiat magis calidum per hoc, quod novus calor addatur, sed per hoc, quod idem calor praexistens magis in eadem parte subjecti radicetur.

539 Ad Confirmationem respondetur distinguendo Consequens, admittit gradus realiter distinctos, nego Consequentiam, virtualiter sive aequivalenter diversos, concedo Consequentiam. Angelicus enim Doctor non admittit in qualitate gradus realiter entitative distinctos, ut ex dictis §. antecedenti satis constat; sed virtualiter tantum, aequivalenterque diversos. Quamvis enim

qualitati magis intensae nulla entitas superaddatur; per hoc tamen quod magis in eadem parte subjecti radicetur, non minus redditur vigorosa, quam si distincta entitas adderetur.

540 ARGUITUR secundò. Sic debet fieri augmentum intensivum qualitatis, sicut fit augmentum extensivum quantitatis; sed augmentum extensivum quantitatis fit per additionem quantitatis ad quantitatem: ergo augmentum intensivum qualitatis fit per additionem qualitatis ad qualitatem.

541 Respondetur negando Majorem, ut eam expressè negat Div. Thomas in 1. dist. 17. quaest. 2. artic. 1. in corpore. prope finem. Cum enim per augmentum quantitatis non producatur pars, quae recipiatur in alia, sed quae sit extra illam, potest fieri augmentum quantitatis per additionem partium ad partem, immò aliter non potest fieri tale augmentum. In augmento autem intensivo qualitatis oppositum opposita de causa contingit. Cum enim Intensio debeat esse in eadem parte subjecto; & in eadem parte subjecti non possit, ut vidimus, duplex qualitas numero tantum distincta reperiri; hinc est, quod qualitas nequeat per additionem qualitatis ad qualitatem intensi.



542

**A**Rguitur tertio. Intensio est actio realiter ab alteratione distincta: ergo terminus Intensionis debet esse aliquid realiter distinctum à termino alterationis. Sed terminus alterationis est tota entitas qualitatis: ergo terminus Intensionis debet esse aliquid realiter superadditum entitati qualitatis; hoc autem aliud esse nequit quàm entitas, sive gradus: ergo Intensio qualitatis fit per additionem qualitatis ad qualitatem, vel gradus ad gradum. Probatur prima Consequentia. Si namque terminus Intensionis non esset aliquid realiter distinctum à termino Alterationis Intensio & Alteratio non essent actiones realiter distinctæ; hoc autem non est dicendum: ergo &c.

543 Respondetur concessio Antecedenti, distinguo Consequens, debet esse aliquid realiter distinctum absolutum, nego Consequentiam, connotativum, concedo Consequentiam. Cui non obest probatio. Licet enim terminus Intensionis & Alterationis sit materialiter idem, formaliter tamen est distinctus, quod sufficit ut Intensio & alteratio realiter distinguantur. Quod autem terminus Intensionis & alterationis formaliter distinguantur, facile constat. Nam terminus Intensionis est qualitas non utcumque, sed ut meliorata, ut perfectius subiecto unita, magisque ex ejus potentialitateeducta. Terminus verò

alterationis est qualitas secundum se & absolute accepta. Quod autem entitativa distinctio terminorum non requiratur ad realem distinctionem actionum, etiam constat: *Tum* in corpore Christi Domini, quod idem entitative est ut terminat actionem generativam, & actionem conservativam; & tamen prædictæ actiones realiter distinguuntur, quia ad ipsum corpus sub diversâ formali ratione terminantur. *Tum* etiam in eodem materialiter & entitative termino, ad quem motus sursum & deorsum, qui realiter distinguuntur, terminantur.

544

Dices: Terminus Intensionis debet esse nova realitas absoluta: ergo non sufficit nova realitas connotativa. Probatur Antecedens, Nam Intensio est actio realiter mutativa: ergo terminus ejus debet esse nova realitas absoluta. Antecedens constat, est enim actio identificata cum motu: ergo est actio mutativa. Consequentia verò probatur. Nam terminus actionis mutativæ debet esse aliquid de novo productum: ergo debet esse nova realitas absoluta. Patet Consequentia, Quod enim est de novo productum, transit de non esse ad esse; nihil autem potest de non esse ad esse transire, & secundum aliquid absolutum non produci.

545

Respondetur negando Antecedens. Ad probationem concessio Antecedenti, negan-

ganda est Consequentia. Ad cujus probationem distinguo Antecedens, de novo productum vel simpliciter ex non esse, vel saltem unitivè, concedo Antecedens, præcisè ex non esse, nego Antecedens, & Consequentiam. Sicut enim anima rationalis est terminus actionis generativæ & mutativæ, quin entitativè producatur, sed attingatur tantùm unitivè; ita qualitas poterit terminare actionem intensivam mutativam, quin producatur absolute, sed tantùm unitivè.

546 Replicabis. Actio generativa sic attingit animam rationalem unitivè, ut eam nequeat attingere productivè, quamvis productam non supponeret; sed actio intensiva ita ad qualitatem terminatur, ut illam quoad entitatem produceret, si quoad entitatem productam non supponeret: ergo ex parte termini actionis intensivæ debet aliquid de novo productum assignari.

547 Respondetur concessâ Majore, & Minore, distinguendo Consequens, de novo productum realiter virtualiter, concedo Consequentiam, realiter entitativè formaliter, nego Consequentiam. Cum enim Intensio non sit actio productiva simpliciter, sed tantùm secundùm quid, aliquam entitatem de novo productam, quæ sit ratio terminandi, non requirit; sed sufficit, quòd præcedentem attingat sub aliquâ realitate virtualiter tantùm à præsuppositæ qualitatis entitate distinctâ.

548 Sed urgebis. Actio intensiva est realiter formaliter ab alteratione distincta: ergo terminus ejus debet esse realiter formaliter distinctus à termino alterationis.

549 Respondetur primo concessò Antecedenti, negando Consequentiam. Non enim requiritur tanta distinctio in terminis, quanta in actionibus reperitur. Siquidem intellectus & voluntas eorumque actus realiter, ut constat, distinguuntur; & tamen ad verum & bonum penes implicitum tantùm & explicitum distincta terminantur.

550 Secundo respondeatur concessò etiam Antecedenti, distinguendo Consequens, in esse entis, nego Consequentiam, sub ratione formali termini, concedo Consequentiam. Quamvis enim illa realitas actualitatis, quæ est ratio terminandi intensivam considerata in esse entis virtualiter tantùm differat ab entitate qualitatis; in ratione tamen termini quo sic afficit qualitatem, ut totam entitatem in ratione termini qui realiter formaliter diversificet, non realitate formali absolute, sed tantùm connotativâ, in eo dumtaxat consistente, quòd eadem ipsa qualitas intimè subjecto uniatur, & magis in ipso radiceatur.

551 Instabis. Qualitas ut intensa, seipsâ est entitativè perfectior ut remissâ; sed nil potest

est reddi entitativè perfectius nisi per additamentum perfectionis, quæ sit entitas: ergo id, quo qualitas intenditur, non est virtualitas tantum, sed entitas.

552 Respondetur distinguendo Majorem. *ly entitativè* dicente novam entitatem, nego Majorem, novam ejusdem entitatis radicationem, concedo Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Ut enim qualitas sit perfectior, non requiritur, quòd nova entitas ipsi addatur, sed quòd in subjecto magis eadem ipsius entitas radicetur: per hoc quippè præcisè reditur vigorosior, proindeque perfectior.

### §. III.

#### Statuitur secunda Conclusio.

553 **S**ECUNDA Conclusio. Intensio qualitatis fit per majorem radicationem in subjecto: quæ major radicatio est eadem ipsa qualitas magis subjecto unita, magisque ex ejus potentialitate educta. Conclusio hæc est communior intra Scholam Div. Thomæ.

554 Probatur primò ex ipso Angelico Præceptore 2. 2. quæst. 24. art. 5. in corpore sic dicente: *Hic enim est modus, proprius cujuslibet forme quæ intenditur, eò quòd esse hujus forme totaliter consistit in eo, quòd inheret susceptibili. Et ideo cum mag-*

*nitudo rei consequitur esse ipsius forme, formam esse majorem, hoc est eam magis inesse susceptibili, non autem aliam formam advenire ... Sic ergo & charitas (& idem dicendum est de quâlibet qualitate) augetur per hoc, quòd intenditur in subjecto.*

555 Cujus rationem dedit Articulo 4. ejusdem Quæstionis ad 3. de eadem loquens charitate per hæc verba: *Cum enim (inquit) accidens sit, ejus esse est inesse. Unde nihil est aliud ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse subjecto, quòd est magis eam radicari in subjecto.*

556 Secundò probatur ratione. Intensio namque qualitatis fieri debet vel per additionem qualitatis ad qualitatem, vel per gradum ad gradum, vel per majorem radicationem in subjecto; sed non fit per additionem qualitatis ad qualitatem, neque gradus ad gradum, ut in primâ Conclusionem probavimus: ergo fit per majorem radicationem in subjecto.

557 Respondebis in Majore non fieri sufficientem enumerationem; restat enim aliud, quo fieri possit Intensio qualitatis, modus scilicet majoris radicationis in subjecto, in quo superaddito modo consistere Intensionem qualitates graves Thomistæ doceant.

558 Sed contra est. Ratio enim probans Intensionem qua-

litas non fieri per additionem qualitatis ad qualitatem, vel gradus ad gradum, convincit etiam non posse fieri per additionem modi: quod probatur. Nam ideò non potest fieri per additionem qualitatis ad qualitatem, vel gradus ad gradum, quia qualitas superaddita, aut gradus distingueretur à præcedenti qualitate specie vel numero? Si specie distingueretur, non conduceret ad Intensionem: si numero tantum, non posset recipi in eadem parte subjecti. Sed idem prorsus fit Argumentum de modo superaddito: ergo ratio probans Intensionem qualitatis non fieri per additionem qualitatis ad qualitatem, vel gradus ad gradum, probat etiam fieri non valere per additionem modi.

559 Tertiò probatur Conclusio. Si Intensio qualitatis fieri potest per maiorem radicationem in subjecto, nullà superadditâ entitate, gradu, vel modo, sic debet fieri; sed potest: ergo fit per maiorem radicationem in subjecto, nullà superadditâ entitate, gradu, vel modo. Major constat; natura namque abhorret superfluum, & frustra fiunt per plura quæ fieri possunt per pauciora.

560 Minor autem, in quâ est difficultas, sic probatur. Dum tota qualitas est communicata subjecto, potest adhuc in ipso magis intendi; sed tunc non intenditur per additionem qualitatis, gradus, aut modi: ergo præcisè intenditur per maiorem ra-

ditionem in subjecto. Minor constat, Si enim tota qualitas supponitur communicata subjecto, nil potest ad ipsam qualitatem perti- nens superaddi. Major autem probatur. Potest enim tota qualitas esse communicata subjecto, & non perfectè ab ipso participata; sed hoc ipso potest intendi: ergo, &c. Minor constat. Nam qualitatem intendi nihil aliud est, quàm ipsam magis à subjecto participari. Major verò probatur in Sententiâ Adversariorum. Eadem entitas gradus octavi v. g. magis perficit subjectum communicata ipsi in consortio graduum præcedentium, quàm si se solâ ipsi communicaretur; & tamen gradus præcedentes nihil gradui octavo superaddunt: ergo potest tota entitas qualitatis esse communicata subjecto, & ipsi totam perfectionem non tribuere, proindeque magis intendi.

561 Confirmatur. Nam intendi (ut ipsum verbum sonat) nihil aliud esse videtur, quàm intus tendere, & subjecti viscera penetrare: ergo potest tota qualitas esse subjecto unita, & adhuc perfectè ab ipso non participata, & usque penetralibus non conjuncta, quod est eam posse magis perfici, & intendi.



## §. IV.

*Solvuntur Argumenta.*

562 **A**rgumenta, quæ contra hanc Conclusionem fieri solent, magnâ ex parte ex dictis contra præcedentem sunt soluta; unum tamen, vel alterum proponemus. Arguitur ergo primò. Potest fieri Intensio sine majore radicatione in subjecto: ergo in tali radicatione non consistit. Probatur Antecedens. Nam si Deus separaret albedinem v. g. nivis à nive, talis albedo cum eadem Intensione, quam habebat, permaneret; & tamen non esset radicata in subjecto, cum ab ipso supponatur separata: ergo dabilis est Intensio qualitatis sine majore radicatione in subjecto. Probatur Major. Quia in illo casu nil albedini intrinsecum & essentielle deficeret, sed aliquid tantum extrinsecum, conjunctio scilicet ad subjectum; sed Intensio qualitatis est aliquid intrinsecum qualitati: ergo albedo nivis à nive separata cum eadem Intensione permaneret.

563 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem nego Majorem. Ad probationem distinguo Majorem, nihil intrinsecum absolutum, concedo Majorem, connotativum, nego Majorem, & distinguo Minorem, est aliquid intrinsecum connotativum, concedo Minorem, absolutum, nego Minorem & Consequentiam. Cum enim

Intensio qualitatis nihil aliud sit, ut sæpè diximus, quam major unio cum subjecto; sicut implicat qualitatem esse uniam cum subjecto nisi in statu concretionis & inhærentiæ, ita implicat esse magis unitam, & à subjecto separatam. Quare cum illa major actualitas, quam accipit qualitas per Intensionem sit major unio; major autem unio essentialiter conjunctionem cum subjecto unibili præsupponat; hinc est, quod qualitas in statu separationis nequeat majorem illam actualitatem connotativam conservare.

564 Dices: Illa major actualitas & virtus informativa, quam accipit qualitas per Intensionem, realiter distinguitur à subjecto; sed quidquid reale est in accidenti realiter à subjecto distinctum, potest à subjecto separari: ergo Intensio qualitatis potest separari à subjecto permanere.

565 Respondetur Concessâ Majore, distinguendo Minorem, potest à subjecto separari, si non dicat essentialem connexionem cum subjecto, concedo Minorem, aliter, nego Minorem, & Consequentiam. Sicut enim actio vitalis realiter entitativè distinguitur à potentiâ vitali; & tamen in veriore Sententiâ ab ipsâ non potest separari; ita major illa actualitas poterit realiter à subjecto distingui, quin possit separari ab ipso. Et ratio est, quia illa major actualitas est major unio: major autem unio essentialiter præsupponit unionem.

Et instatur Objectio in formâ substantiali, cui non potest non deficere actualitas connotativa unionis in statu separationis à materiâ.

566 Replicabis. Actualitas Intensionis in qualitate non dicit essentialem connexionem cum subiecto: ergo nulla est Solutio. Probatur Antecedens. Actualitas Intensionis scientiæ non dicit essentialem connexionem cum intellectu: ergo actualitatis Intensionis qualitatis non dicit essentialem connexionem cum subiecto. Consequentia constat à paritate rationis. Antecedens verò probatur, *Tum*, quia Scientia animæ Christi perfectior esset si ad plura objecta se extenderet ab ipso separata, quam ipsi conjuncta. *Tum* etiam, quia id docere videtur D. Thomas 1. 2. quæst. 52. art. 1. in corpore, sub initium dicens: *In quantum igitur attendit perfectio formæ secundum ipsam formam, sic dicitur ipsa esse parva, vel magna, puta, magna vel parva sanitas, vel scientia.*

567 Respondetur negando Antecedens, Ad probationem concessio Antecedenti, neganda est Consequentia. Et ratio disparitatis est. Cum enim præcipua scientiæ intentio sit extensio ad plura objecta per modum lucis illorum, quæ in statu etiam separationis perseverant, hinc est, quod scientia in statu separationis potest cum eadem extensivâ Intensione relinquere per modum illuminantis illa objecta, ad quæ eodem modo se ipsâ, & sine respectu ad subiectum compa-

ratur. Intensio verò qualitatis, cum ipsi non conveniat nisi secundum quod magis unitur cum subiecto; in statu autem separationis ab illo, ipsi nullo modo uniatur. multo minus in illo statu magis uniri poterit, proindeque nec Intensionem conservare.

568 Scientiæ verò adhuc ut ab intellectu separata non deficit ratio formalis Intensionis extensive, seu esse magis, minusve extensam: & ideo à Divo Thomâ dicitur magna vel parva; qualitati verò non concedit Intensionem nisi concretivè & ut in subiecto, ut constat ex verbis, quæ loco proximè allegato immediatè subjungit: *In quantum verò attendit perfectio formæ secundum participationem subiecti, dicitur magis & minus, puta magis vel minus album, & sanum.* Concedit igitur D. Thomas scientiæ in abstracto sumptæ extensionem, quam significat, per *ly magna vel parva scientia*: qualitati autem non concedit Intensionem, nisi in concreto acceptæ: quod insinuat per *ly magis, vel minus album.*

569 **A**Rguitur secundò. Si Intensio qualitatis cõsisteret in majore radicatione in subiecto, nullâ superadditâ entitate, vel modo, non posset remitti secundum aliquem gradum, quin remitteretur secundum omnes; hoc autem manifestè constat esse falsum: ergo Intensio qualitatis non consistit in præcisâ radicatione in subiecto. Probatur Major. Nam vel illud,

illud, quod deficit qualitati quando remittitur, à remanente gradu, vel non? Si distinguitur, idem fit Argumentum, quod supra faciebamus de superadditâ entitate, vel gradu. Si verò non distinguitur, impossibile est qualitatem secundum aliquam gradum remitti, quia secundum omnes remittatur.

570 Respondetur negando Majorem. Ad cujus probationem dicendum est, illud, quod deficit qualitati quando remittitur, non esse entitatem, neque gradum, neque modum realiter distinctum realitate absolutâ, sed tantum connotativâ: quod sufficit, ut eadem indivisibilis qualitas possit secundum aliquam gradum remitti, quin totaliter remittatur. Recolantur ea, quæ supra diximus à num. 543. vsque ad num. 552.

§. VI.

*Explicatur quomodo fiat Extensio qualitatis per ordinem ad objectum.*

571 **E**X dictis facillè constat, Extensionem qualitatis per ordinem ad objectum non fieri per additionem qualitatis ad qualitatem, sed consistere in ipso indivisibili habitu, v. g. scientifico diversa materialia objecta connotante. Id docuit D. Thomas 1. 2. quæst. 54. art. 4. per hæc verba: *Habitus est qualitas simplex non constituta ex pluribus habitibus, etiam si ad multa se extendat.* Et in solutione ad 3. Ille (inquit)

*qui in aliquâ scientiâ acquirit per demonstrationem scientiam unius Conclusionis, habet quidem habitum, sed imperfectè. Cùm verò acquirit per aliquam demonstrationem scientiam alterius Conclusionis, non aggeneratur ei alius habitus, sed habitus, qui prius inerat, sic perfectior, utpote ad plura se extendens, eò quòd conclusiones, & demonstrationes unius scientiæ ordinatae sunt, & una derivatur ex aliâ.*

572 Deinde probatur ratione. Nam sicut potentia intellectiva attingit plura objecta, ita habitus scientificus plures conclusiones; sed potentia intellectiva taliter attingit plura objecta, ut eadem & indivisibilis maneat: ergo habitus scientificus taliter plures conclusiones attingit, ut nullam in se divisibilitatem admittat. Major constat, Habitus enim est perfectio potentiae: ergo debet proportionari cum ipsâ in attingentiâ sui objecti. Minor etiam est certa. Nam potentia intellectiva est omninò spiritualis, ac proinde indivisibilis. Consequentia verò probatur. Idèò namque potentia intellectiva eadem indivisibilis manens attingit sua objecta, quia omnia attingit sub eadè ratione formali; sed habitus scientificus omnia etiam sua objecta, si ve omnes conclusiones attingit sub eadè ratione formali: ergo indivisibilis manet.

573 Denique probatur ratione, quam supra tradidimus num. 528. Nam si talis extensio fieret per



per additionem qualitatis ad qualitatem, vel gradus ad gradum, vel illarum qualitates aut gradus distinguerentur specie, vel solo numero; neutrum dici potest: ergo, &c. Minor quoad primam partem constat. Quæ enim specie distinguuntur, in eadem indivisibili parte subjecti uniri non possunt per continuationem, Tum quia quæ specie distinguuntur, non continuantur, Tum etiam, quia continuatio est propria quantitatis, non verò qualitatis. Nec uniri possunt per modum actus & potentie, quælibet enim ex illis qualitatibus habet in suo ordine

extensivo rationem actus; non est autem alius modus, quo possint uniri: ergo nequeunt distingui specie. Quod secundam verò partem non minus est certa Minor. Nam duo accidentia solo numero distincta non possunt recipi in eadem parte subjecti, cum enim à subjecto individuuntur, essent distincta, & non essent distincta: essent distincta, ut supponitur; non essent verò distincta, quia subjectum est idem.

574 Argumenta, quæ contra hanc doctrinam fieri solent, facile ex dictis §. precedenti solvi possunt.



QVÆSTIO V.

DE NVTRITIONE, ET AVGMENTATIONE.

ARTICVLVS I.

*An detur Nutritio & Aumentatio, & qualiter in ratione actionis & mutationis distinguantur?*

§. I.

*Due Conclusiones statuuntur.*

575 **S**IT prima Conclusio. Datur Nutritio, & Aumentatio. Probatur ex Philosopho 1. de Generat. textu 31. dicente,

quòd Aumentatio est existentis magnitudinis additamentum. Sed hoc magnitudinis additamentum dari, experientia ipsa testatur in pueris ad viri magnitudinem pervenientibus: datur igitur Aumentatio. Minor patet. Nam puer non acquirit magnitudinem, quam vi-

domus, per hoc, quod præexistens illius quantitas rarefiat, non solum enim quantitas viri extensior est quantitate pueri, sed & densior & solidior: ergo illa magnitudo est verum quantitatis additamentum, quod augmentatio nuncupatur.

576 Ex his facile persuaderetur dari etiam Nutritionem. Nutritio enim nihil aliud est, quam *Aggeneratio partialis substantiæ ad substantiam præexistentem*: ergo eo ipso, quod datur Augmentatio, dari debet & Nutritio. Patet Consequentia, Nam partes quantitatis non possunt dari sine partibus substantiæ, al'as daretur accidens sine subiecto, quod fieri nequit absque miraculo; sed per Augmentationem acquiruntur partes quantitatis: ergo substantiæ etiam partes acquiruntur, quod est dari Nutritionem.

577 Confirmatur primò. Animal enim per continuam actionem caloris naturalis deperdit aliquid caloris naturalis, maximè cum ægrotat: ergo debet dari Nutritio, per quam damnum illud reparatur.

578 Confirmatur secundò. Nam virtus residens in semine animalis generantis non est majoris activitatis & efficaciæ, quàm ipsa anima; sed virtute seminis potest aliqua materia transmutari, & animalis formam recipere: ergo virtute animalis potest transmutari forma alimenti, & recipere formam animalis.

579 *Secunda Conclusio.* Nutritio, & Augmentatio tam ut

actiones, quàm ut mutationes, essentialiter distinguuntur. Probatur primò. Ea essentialiter distinguuntur tam in ratione actionis, quàm in ratione mutationis, quorum termini essentialiter sunt diversi; sed termini Nutritionis & Augmentationis sive ut sunt actiones, sive ut sunt mutationes, essentialiter sunt diversi; ergo Nutritio & Augmentatio tam in ratione actionis, quàm in ratione mutationis essentialiter distinguuntur. Probatur Minor. Nam terminus Nutritionis ut est actio, est ultima dispositio, nempe qualitas; ut autem est mutatio, terminus ejus est substantia partialis; sed terminus Augmentationis, sive consideretur ut actio, sive ut mutatio, est major quantitas: ergo termini Nutritionis & Augmentationis tam ut actio, quam ut mutatio, sunt essentialiter diversi.

580 Secundò probatur. Nam ea, quorum subiecta sunt diversa, non possunt non essentialiter distingui; sed subiectum Nutritionis prout est actio alterativa est alimentum coriumpendum, prout autem est mutatio, seu transitus substantialis, ejus subiectum est materia prima: ergo Nutritio & Augmentatio essentialiter distinguuntur.

## §. II.

### *Solvuntur Argumenta.*

581 **A**rguitur primò contra primam Conclusionem ex Magistrò Sententiarum in 2. di-

dist. 30. oppositum contra commune placitum asserentem. Nam Christus Dominus Matthæi 15. *Omne (inquit) quod in os intrat, in ventrem vadit, & per secessum emittitur.* Sed hæc verba verificari non possent, si materia alimenti converteretur in substantiam aliti: ergo non datur Nutritio.

582 Respondetur ex D. Thomâ loco citato, & 1. p. quæst. 119. art. 1. ad 1. *Dicendum quod Dominus non dicit quod totum, quod in os intrat per secessum emittatur; sed oportet quod de quolibet cibo aliquid impurum per secessum emittatur. Vel potest dici, quod quidquid ex alimento generatur, potest etiam per calorem naturalem resolvi, & per poros quosdam occultos emitti, ut Hieronymus exponit.* Ly ergo omne intelligendum est per distributionem accommodam, ita taliter, quod aliquid ex quolibet quod in os intrat, per secessum emittatur.

583 **A**rguitur secundò. Si daretur Nutritio, posset homo se contra mortem tueri, siquidem tantum posset de substantia reparare, quantum naturalis calor consumere; hoc autem experientia constat esse falsum: ergo non datur Nutritio.

584 Respondetur negando Majorem. Nam calor naturalis continua actione in alimentum dissimile, ab ipso repatur, & minuitur; atque adeò debilitatur, ut tandem nequeat cibum concoquere, & in substantiam aliti transmu-

tare. Quomodo si vino minima par aquæ miscetur, in vinum quidem convertitur; si verò iterum & iterum repetatur, adeò vires illius remittuntur, ut tandem evanescat. Quod idem in Nutritione contingit,

585 **A**rguitur tertio. Si daretur Nutritio, posset per illam restaurari humidum radicale, sicut alia reparantur; sed humidum radicale reparari non potest, ut docent communiter Medici: ergo non datur Nutritio.

586 Respondetur, humidum radicale non posse, saltem perfectè per Nutritionem reputari, bene tamen humidum nutrimentale: ex quo non inferitur non dari Nutritionem. Distinctionem autem inter utrumque humidum assignat D. Thomas loco ex 1. p. cit. ad 3. ubi ait: *Ad humidum radicale intelligitur pertinere totum id, in quo fundatur virtus speciei: quod si subtrahatur, restitui non potest; sicut si amputetur manus, aut pes, vel aliquid hujusmodi. Sed humidum nutrimentale est, quod nondum pervenit ad suscipiendum perfectè naturam speciei, sed est in viâ ad hoc; sicut est sanguis, & alia hujusmodi. Unde si talia subtrahantur, remanet adhuc virtus speciei in radice, quæ non tollitur.*

587 **A**rguitur quartò conclusio. Actiones non multiplicantur penes terminos secundarios; sed major quantitas est terminus secundarius ad substantiam partialem tam-

tanquam ad terminum primum subssecutus: ergo Augmentatio & Nutritio non sunt distinctæ essentialiter actiones. Probatür Minor. Sic enim se habet quantitas partialis ad substantiam partialem, sicut quantitas totalis ad substantiam totalem; sed quantitas totalis est terminus secundarius secundario ad substantiam totalem subssecutus: ergo quantitas partialis secundario etiam ad substantiam partialem subsequetur.

588 Confirmatur. Ideo quantitas totalis non fit ex vi propriæ actionis immediate ad ipsam terminatæ, quia se habet per modum proprietatis substantiæ totalis; sed quantitas partialis per modum etiam proprietatis se habet respectu substantiæ partialis: ergo non potest propriam actionem terminare.

589 Respondetur concessâ Majore, negando Minorem. Ad cuius probationem neganda est Major. Semel enim habitâ quantitate, eius augmentum per se primo intenditur à naturâ. Sicut semel habitâ qualitate, potest per se primo ad ipsam Intensio terminari, quamvis in primâ ejus productione non primario, sed secundario terminet actionem. Ratio autem quare augmentum quantitatis per se primo intenditur à naturâ, est, quia per se primo ab ipsâ intenditur operatio. Cumque operatio sine debita quantitate non fiat, quæ in primâ substantiæ productione non datur, postquam substantia produ-

citur, per se primo ad augmentum quantitatis intenditur. Ex his

590 Ad Confirmationem respondetur concessâ Majore, negando Minorem. Quantitas enim partialis, ut diximus, prout major, non est proprietas substantiæ partialis: licet enim in prima sui productione secundario & per modum proprietatis ad substantiam subsequatur, postea tamen per se primo intenditur, & primario ad ipsam actio augmentativa terminatur. Quemadmodum qualitas, quæ secundario ad substantiam in primâ sui productione subsequitur, cum tamen postea primario terminet actionem intensivam.

591 Dices primo. Substantia, juxta Philophum 7. Metaph. cap. 10. est prior accidente tempore, naturâ, & definitione: ergo substantia partialis prius intenditur, quam quantitas.

592 Secundò. Nam quantitas partialis est propter substantiam, & ab illâ dependet in omni genere causæ: ergo substantia semper intenditur primario, quantitas verò secundario.

593 Tertiò. Nam si major quantitas per se primo & prius intenditur, quam substantia partialis, hinc infertur, substantiam partialem subsequi ad majorem quantitatem, vel saltem purè concomitanter, & materialiter ad productionem quantitatis comproduci: ergo licet ex tradita Solutione probeatur dari actionem augmentativam dari tamen Nutritionem non convincitur.

598 Ad primam ex his objectionibus respondetur, quòd licèt substantia in primâ sui productione precedat quantitatem sub omnibus illis rationibus; semel tamen productâ quantitate, per se primò potest intendi ut major; tunc autem substantia materialiter tantùm, & entitativè præcedit quantitatem. Quenâmodùm (ut in adducto exemplo persistamus) qualitas substantiam præsupponit, Intensionem tamen per se terminat.

595 Ad secundam respondetur distinguendo Antecedens, quantitatis in esse entis, concedo Antecedens, sub ratione majoris, nego Antecedens, & Consequentiam. Licèt enim quantitas in esse entis substantiam præsupponat, & ab illâ in omni genere causæ dependeat; prout tamen est major, potius substantia ad ipsam, quàm ipsa ad substantiam ordinatur, quia quantitas major necessariò ad operandi finem exigitur

596 Ad tertiam respondetur negando Sequelam. Quamvis enim substantia partialis Augmentationem comitetur (substantia quippe non datur sine quantitate, nec quantitas sine substantiâ) hinc tamen non deducitur non dari Nutritionem: talis namque substantia partialis per se primò potest aliam naturæ intensionem terminare, conservationem scilicet subiecti.

ARTICULUS II.

An Nutritio sit mutatio continua? & successiva?

§. I.

Quibusdam suppositis, Conclusio statuitur.

597 **S**Upponendum est primò; Nutritionem aliquam habere successionem, præscindendo ab hoc, quòd illa successio sit continua, vel discreta. Experimentiâ namque compertum est, vivens successivè acquirere partes substantiæ per Nutritionem, ad differentiam suæ primæ Generationis, quæ tota perficitur in instanti. Difficultas ergo est, an eo tempore, quò Nutritio durat, sit mutatio continua, an verò ex pluribus mutationibus instantaneis discretis sibi succedentibus componatur?

598 Secundò supponendum est, in præsentì non inquiri, An vivens toto vitæ tempore indefinenter absque discontinuatione nutriatur: certum enim est in hoc sensu continuè non nutriri: nam in primo Generationis instanti non nutritur, immò nec tempore immediatè sequenti tempus quippè in sumptione cibi consumitur, & eo sumpto, aliqua etiam mora requiritur, ut ad Nutritionem disponatur. Per morbum etiam potest discontinuari Nutritio, cum calor naturalis tunc languescat, in quo casu sicut vivens non augetur, nec nutritur. Igitur quod in-

quirimus est, An Nutritio tempore, quo durat, sit continua? Quibus suppositis,

599 Nostra Conclusio est, Nutritionem esse mutationem successivam & continuam. Sic docent Philosophus 5. Physicorū cap. 2. & D. Thomas in hoc Libro, lect. 11. & 16. Et probatur supponendo prius inter Generationem & Nutritionem hoc interesse discriminis, quod ad illam desideratur determinata materia & determinata quantitas, secus verò ad istam. Vivens enim per Generationem totalem jam habet certa organa & partes requisitas, ut anima informet corpus, & ideò non requiritur certa quantitas in alimento, ut eadem anima ad informandum illud extendatur. Unde productio viventi, quælibet pars, quantumvis minima, aliis unita partibus, potest conservari, vivere & perficere vivens. Quo supposito, sequens Ratio pro Conclusionem deducitur.

600 Ideò Generatio viventis fit in instanti, quia ad eam desideratur certa & determinata quantitas, quæ non potest esse nisi in instanti, quod sit *primum sui esse* productum; sed hæc ad Nutritionem non requiritur, ut constat ex modò dictis: ergo Nutritio non fit in instanti, sed in tempore: consequenterque continuè. Secunda Consequentia patet. Nam introductio formæ in tempore debet esse continua, sicut & ipsum tempus. Prima verò ex Præmissis

infertur. Major autem, in quâ est difficultas, præter quam quod ex suppositis ad Conclusionem satis probata relinquitur, vltcriùs sic probatur. Eo namque ipso, quod ad Generationem certa & determinata materia requiratur, ita, vt in minori non possit introduci, necessarium est, quod introducatur tota simul, ac per consequens in instanti.

## S. II.

## Solvuntur Argumenta

601 **A**rguitur primò. Nam substantia est indivisibilis intra propriam lineam: ergo non potest terminare mutationem continuam: ergo Nutritio, quæ ad substantiam terminatur, non potest esse mutatio continua. Secunda Consequentia ex primâ colligitur. Primâ verò probatur. Quia ad terminandam mutationem successivam & continuam, necessariò, requiritur in termino pars & pars, quarum una priori parti mutationis, & altera posteriori respondeat.

602 Respondetur negando Antecedens. Ut enim in Logicâ vidimus, substantia materialis antecedenter ad quantitatem habet partes actuales. Præterquamquod quamvis huiusmodi partes non haberet, negari tamen non potest habere partes potentiales: quod sufficit ad mutationem continuam terminandam.

603 **A**rguitur secundò. Forma viventis, quod alitur,

tur, terminatur termino intrinseco parvitatís, nimirum *minimo quod fit*: ergo exigit certam & determinatam materiam, in quâ introducatur. Sed hæc debet simul & ultimâ disponsi, aliâs talis forma non in certâ & determinatâ materiâ introduceretur, sed ante quamlibet partem, quantumvis minimam, posset adhuc in alia minore recipi: ergo simul & in instanti recipitur, non autem in tempore, & cõtinuè.

604 Respondebis, formam exigere determinatam materiam quoad primam sui productionem, non verò quoad extensionem ipsius ad materiam de novo advenientem informandam.

605 Sed contra est, Nam ideò viventis forma in primâ sui productione determinatam exigit materiam, quia determinatam habet essentiâ; sed hoc etiam ipsum habet quâdo extenditur ad alimenti materiam informandâ: ergo tunc etiâ determinatam exigit materiam.

606 Confirmatur. Quando enim corrumpitur alimentum, maximum datur distemperamentum, sub quo esse non possit: ergo tunc etiam datur instans, in quo verum fit dicere: Nunc non est forma cibi, & immediatè antèa erat; sed tunc debet esse Nutritio, sive forma aliti in alimenti materiâ introduci, ne hæc materia per aliquod instans detur sine formâ: ergo instantaneè introducitur; ac proinde non successive: ea namque tantum, quæ extrinsecè & in tempore incipiunt, possunt esse continua & successiva.

607 Respondetur Solutionem datam esse optimam. Ad cuius Impugnationem neganda est Major. Non enim ideò viventis forma determinatam exigit materiam, quia determinatam habet essentiâ, sed quia in sui initio pluribus indiget organis, partibus, membris ad totius fabricam requisitis, quæ non viventium formæ non exposcunt. Ipsa autem viventis forma in extensione sui ad alimenti materiam informandam, cum jam prædictis organis, partibus, & membris affecta supponatur, potest in minoribus & minoribus materiæ partibus introduci, ut sic successive ad majorem, certam tamen alimenti materiam extendatur.

608 Ad Confirmationem responderetur negando Majorem. Cum enim forma alimenti extrinsecè desinat & per *ultimum sui esse*, non potest dari maximum distemperamentum, sub quo esse non possit: dispositiones quippe pro introductione formæ aliti in tempore sequenti disponentes, in toto composito debent sustentari, non autem in materiâ nudè sumptâ. Datur verò distemperamentum, sub quo etsi esse possit, non tamen sub majori, vel sub ipso ut amplius duraturo. Ex quo inferitur illud distemperamentum talis esse conditionis, ut sub illo sit forma alimenti pro illo instanti, & in tempore immediatè sequenti corrumpatur.

Sed objicies. Ultima dispositio, tamen si in materiâ non certâ &

determinatâ, sed minore, & minore introducatur, potest tamen in instanti introduci: ergo pariter etiam indivisibilis forma, quamquam in minore, & minore materiâ introducatur, poterit in instanti introduci; ac proinde non more successivorum.

610 Responderetur, hanc objectionem potius esse pro nobis, quam contra nos. Sicut enim ultima dispositio, etiam in ratione ultimâ, potest considerari dupliciter, in introduci scilicet, & in introducto esse, & si priori modo consideretur, incipit cum motu, & per *ultimum sui non esse*: si verò secundo modo sumatur, incipit in instanti, & per *primum sui esse*, quia fit per mutatum esse terminativum motûs; Sic & eodem modo forma aliti potest bifariam sumi, in introduci nimirum, & in introducto esse. Primò modo incipit successivè, & in tempore: secundo verò modo incipit in instanti, & per mutatum esse Nutritionis.

611 **A**rguitur tertio. Si Nutritio est mutatio successiva, incipiet necessariò per *ultimum non esse*, qui est modus incipiendi successivorum. Tunc ergò inquiritur. Uel materia alimenti in illo instanti extrinsecè mensurativo inceptionis Nutritionis, & in quo verificatur, quòd Nutritio non est, sed erit tempore immediatè sequenti, est ultimatè disposita pro receptione formæ aliti, vel non? Si dicatur primò: ergo in illo instanti est etiam ibidem forma aliti, forma

enim introducenda necessariò ultimam dispositionem comitatur. Si verò secundum asseratur: ergo restat ulterius disponenda: ergo falsum est dicere formam aliti introducendam esse tempore immediatè sequenti. Patet hæc Consequentia. Quia forma non introducitur nisi in subiecto ultimatè disposito: ergo si in tempore immediatè sequenti est disponenda, non introducitur in tempore immediatè sequenti, sed post illud, postquam scilicet talis dispositio ultimatè fuerit introducta, maxime cum hujusmodi dispositio in composito corrumpendo recipiatur, quo manente, necessarium est alimenti formam manere, & formam aliti in materiâ illius, nondum recipi.

612 Ad hoc Argumentum, quòd satis difficile est, respòdetur, materiam alimenti pro illo instanti mensurativo extrinsecè inceptionis Nutritionis esse ultimatè dispositam ultimitate sufficienti ad hoc ut pro tempore immediatè sequenti possit recipere formam aliti. Unde prima Consequentia ex prima Dilemmatis parte deducta nullius est roboris. Ut autem hoc clariùs innotescat, notandum est, quòd ad introducendam substantiam, vel formam aliti in materiâ alimenti duplex genus dispositionum exigitur, antecedentium scilicet & concomitantium, taliter tamen concomitantium, quòd etiam in genere causæ materialis dispositivæ formæ introductionem antecedant.



613 Ex quâ suppositione liquidò constat, quid prædicto Dilemmati sit dicendum, Taliter enim est in illo instanti extrinsecò disposita materia quòd nulla amplius præcedentium dispositionū requiratur. Ex quo tamen non infertur formam esse introductam, quia cum ultra has dispositiones, etiam dispositiones concomitantes, quæ in genere tantum causæ materialis antecedunt, exigantur, quæque introducendæ sunt pro tempore immediatè sequenti, non nisi in eodem tempore forma debet introduci. Ex quo habetur, quòd sola ultima dispositio purè introductiva & antecedens, non verò concomitans debeat recipi in còposito corruptendo.

614 **A**Rguitur quartò. Si Nutritio, & forma per illam introducta inciperet in tempore, & extrinsecè, in tempore etiam desineret forma alimenti; hoc autem est impossibile: ergo Nutritio non incipit in tempore, sed in instanti: & consequenter non est mutatio continua, & successiva. Secunda pars Majoris probatur. Quia cum Generatio unius sit Corruptio alterius, debent sibi mutuo respondere, & eodem modo desinere unum, ac incipit alterum: ergo si Nutritio incipit extrinsecè, & in tempore, per *ultimam non esse*, extrinsecè etiam, in tempore, & per *primum non esse* debet desinere forma alimenti. Falsitas autem Mino-

ris videtur omninò certa. Nam si vna forma corrumperetur in tempore, & altera in tempore inciperet, in aliquo instanti materia prima esset dentudata, ab omni formâ.

615 Respondetur negando secundam partem Majoris. Ad cuius probationem dicendum est sufficienter salvari proportionem inter Generationem, & Corruptionem per hoc, quòd si una forma incipit extrinsecè, alia extrinsecè desinat: in quâ proportionem effugitur inconueniens, quod Argumentum probare contendit. Ex eo namque, quòd una forma incipiat extrinsecè per *ultimum non esse*, & alia extrinsecè, & per *ultimum sui esse* desinat, sequitur & quòd quando una desinit, altera incipiat, & quòd per nullum instans detur materia sine formâ: idem enim erit quòd incipiat Nutritio informare successivè minorem & minorem partem materiæ, ac quòd forma alimenti minorem, & minorem partem materiæ deserat: quia satis est ad hoc, quòd aliqua forma desinat modo dicto, quòd in præexistente materia paulatim, & modo, quo una forma materiam deserit, altera forma in ipsâ materia introducatur.



## ARTICULUS III.

*Verum Augmentatio proprie dicta  
solis viventibus com-  
petat?*

## S. I.

*Quibusdam suppositis, statuitur  
Conclusio.*

615 **S**upponendum est primo, dari Augmentationem, per quam vivens à minore ad majorem tendat quantitatem: *Tum*, quia id supponit Philosophus in hoc Libro, cap. 5. *Tum* etiam, quia id docet experientia.

616 Supponendum est secundò, Augmentationem esse motum continuum successivum: motus enim est de genere successivorum & continuorum.

617 Nec refert si contra hanc suppositionem objicias Philosophum 8. Physicorum, textu 23. dicentem: *Neque enim augeri, nec minui possibile est continue.*

618 Non, inquam, refert. Loquitur enim ibi Philosophus de continuitate regulari, hoc est taliter proportionatâ temporis, quòd sicut Augmentatio, quæ fit in spatio v.g. unius horæ, correspondet toti horæ, ita medietas correspondeat medietati: siquidem Augmentatio hæc regularitate non fit, quandoque enim aliquid discontinuationis admittit ratione dependentiæ à

dispositione alimenti, quæ non semper est æqualis, vel ratione ipsius potentie augmentativæ, quæ non semper est æquè vicens.

619 Tertio supponendum est, Augmentationem prout ab alteratione & Nutritione distinctam, esse speciali ratione successivam. Et ratio est, Nam id, quod generatur, alteratur, aut nutritur, non mutat locum; quòd autem augetur, cum secundum omnes partes augeatur, necessarium est, quòd quælibet earum transeat ad locum, quem antea non occupabat: ergo Augmentatio speciali hæc ratione est continua & successiva.

620 Denique supponendum est, Augmentum latè sumpsum rebus etiam inanimatis convenire. Hic autem loquimur de Augmento propriè dicto. His ergo suppositis,

621 Nostra Conclusio est; sola viventia verè & rigorosè augeri. Conclusio est communis & expressa Philosophi 2. de Anima, textu 45. dicentis: *Quoniam autem nihil aliter non participans vitam; animatum utique erit corpus, quod alitur, quatenus animatum* Idem docet D. Thomas ibidem lect. 9.

622 Probatum ratione. Nam proprium Augmentum non fit per iuxta positionem, sed per intus summptionem, & virtutem intrinsecâ rei, quæ augetur, ad hunc finem destinatâ; sed sola viventia augentur hoc modo: ergo sola viventia propriè augentur. Consequètia constat. Premis-

missæ autē probandæ sunt & explicandæ.

623 Major igitur explicatur. Ad proprium enim Augmentum necessariò requiritur, quòd id ipsum, quod præexistebat, fiat majus, aliis non augebitur, sed eodem modo se habebit, ac antea; ut si virgæ v.g. unius palmi addatur alter palmus, quantitas præexistens eodem modo quoad magnitudinē se habet: ergo proprium Augmentum debet fieri per virtutem activam internam deferentem partes alimenti intus receptas, ut his partibus subtiliter subintrañtibz, partes præcedentes rei, quæ augetur, augeantur: non enim appâret aliud agens corporeum, quod ita subtiliter possit alimenti partes distribuere.

624 Minor etiam declaratur primò. Sola namque viventia habent, quòd non possint per quâlibet partem augeri, qualiter non viventia possunt, ut constat, sed habent determinatam partem, per quam alimentum sumant, quale est os in animalibus, & radices in arboribus: habent insuper secretos quosdam meatus & vias, per quas alimentum attrahant, distinctasque potentias internas, per quas illud in propriam substantiã convertant, & prædictum augmentum causent.

625 Secundò declaratur eadem Minor. Res enim inanimata simul recipit speciem & debitam quantitatem: & ideò statim potest perfectissimam operationem elicere, qualis est generatio alte-

rius sibi similis, ut constat in igne. Animata verò nequeunt à principio suæ productionis habere debitam quantitatem, cum ex semine generentur; ac proinde eorum organa & partes, modicæ sint tunc temporis quantitatis: ergo necessariò requiritur, quòd eis communicetur non solum potentia generativa, sed etiam nutritiva & augmentativa, ut, debitâ quantitate acquisitâ possint aliud sibi simile generare.

626 Dices: Etiam non viventia, quando in parvâ quantitate producuntur, majore indigent, ut se à contrariis tueantur: ergo indigent etiam potentiã nutritivã & augmentativã.

627 Respondetur, per accidens esse, quòd nō viventia sub parvâ quantitate generentur: aliquando enim sub magnâ producuntur. Unde non indigent per se potentiã nutritivã, & augmentativã. Per quæ aliquæ Objectiones, quæ contra Conclusionē fieri possunt, diluuntur.

628 Advertendum est tamen, quòd Augmentatio ignis valde assimilatur Augmentationi, & Nutritioni viventis: sicque aliquando à Philosopho nuncupatur. Non tamen est propria Augmentatio, vel Nutritio. *Tum*, quia non augetur per omnes suas partes. *Tum* etiam quia per combustionem tantum intendit ignis aliud sibi simile generare. Per accidens autem est, quòd combustibile sit indistans, & generanti igni ignis genitus uniaur. *Tum* denique Quia non est omninò certum ignem in illo casu ma-

nere eundem numero: quod requirebatur, ut verè & propriè augetur.

629 Sed adhuc obijcies.

Non enim videtur necessarium, quòd quælibet pars illius, quod augetur, augeatur. Ut huic Objectioni fiat satis, sit

§. II.

*Statuitur secunda Conclusio.*

630 **S**ecunda Conclusio. Augmentatio fit secundum omnes illius partes, quod augetur. Conclusio hæc etiam est Philosophi in hoc Libro, textu 33. & D. Thomæ ibidem, lect. 14. Et probatur. Nam ad hoc ut aliquid per se & ratione sui, non verò ratione partiù moveatur, requiritur, quamlibet illius partem moveri; sed vivens per se & non ratione partium movetur motu Augmentationis: ergo tali motu quælibet ejus pars movetur. Major constat, Illud enim, cujus pars movetur, dicitur moveri secundum partè, ut homo vulnerari ratione manus, quia sola illius manus vulneratur. Minor verò ostenditur, *Tum*, quia vivens per se & non ratione partium diminuitur. *Tum* etiam, quia per se exercet suas operationes: ergo per se movetur ad quantitatem requisitam ad tales operationes exercendas, sicut per se movetur motu Nutritionis ad quaslibet substantiæ partes reparandas.

631 *Dices primò. Si hæc*

Ratio aliquid probat, cõvincit utique vivens non solum augeri secundum partes sensibiles, sed etiam secundum proportionales: immò potiori ratio secundum partes proportionales, quàm secundum sensibiles augetur: quod probatur. Quia sicut Augmentatio, utpote motus continuus, fit per partes minores & minores, ita quòd prius augetur, erit totum secundum partes minores, & minores; constat autem hoc esse falsum, quia nulla pars proportionalis potest habere poros, intra quos per intus sumpcionem recipiat alimentum: ergo partes proportionales non augetur.

632 Respondetur (aliis solutionibus prætermisissis) partes proportionales per se primò non augeri, sed tantum ratione totius, vel partium sensibilibum & aliquotarum. Ad hoc autem ut partes porportionales hoc modo augeantur, non requiritur, quòd habeant poros, ut ex se constat. Cùmque ex alia parte sint immediatiores *mutatis esse*, per quæ existunt, idè prius per illas fluit motus, quàm per partes sensibiles & aliquotas. Partes verò, quæ per se augetur, necessarium est quòd poros habeant, ut intra se suscipiant alimentum, & per intus sumpcionem augeantur.

633 *Secundò dices. Alimentum nequit ad omnes viventis partes deferri, vel enim per penetrationem cum aliis partibus deferretur, quod est impossibile, vel per irruptionem, aut scissionem illa-*

*tum;*

rum, quod sine dolore fieri non valeret: dum ergo augetur vivens, secundum omnes illius partes non augetur.

634 Respondetur alimentum deferri ad omnes viventis partes per poros, qui sunt subtilissimæ quædam viæ, & cavitates. Nisi enim admitterentur tales pori, non posset sudor egredi à corpore absque penetratione, vel scissione. Unde benè probat Argumentum, quod sine illis non posset vivens secundum omnes partes augeri, ut constat in medullâ ossis undequaque circumseptâ, quæ, nisi per poros reciperet alimentum, augeri omnino, nutritive non posset.

635 Pori autem sunt virtute caloris naturalis, ut deserviant etiam ad receptionem excrementorum & vaporum, qui deperditis viventis partibus relinquuntur. Quandoque autem hujusmodi pori constringuntur: quandoque vero, ut alimentum accipiant, dilatantur, & per alimentum receptionem majores fiunt. Neque sequitur vivens æqualiter quoad omnes partes augeri: crescit enim juxta ordinem naturalem, ad quem habet à naturâ virtutem, & juxta majorem, minoremve calorem in tali, vel tali parte residentem.

ARTICULUS IV.

*Verum vivens toto tempore, quo durat, augetur?*

§. I.

*Difficultas explicatur. & Conclusio stabilitur.*

636 **S**upponendum est, quod sicut Nutritio, ut suprâ diximus, non est ita continua, ut numquam interrumpatur, sic similiter Augmentatio. Solum ergo est Difficultas, an ita duret toto tempore vitæ, ut raro, aut per brevem morulam interrumpatur?

637 Conclusio est. Augmentatio non durat continuo toto tempore vitæ. Sic Philosophus 3. de Animâ, textu 59. Et D. Thomas ibidem lect. 17. qui tres viventis status assignant, Augmentum scilicet, Statum, & Decrementum: in quibus omnibus vivens nutritur, cum hâc tamen differentiâ, quod tempore Augmenti plus de substantiâ alimenti convertat, quàm ad conservationem præexistentis magnitudinis requiratur: tempore autem Statûs, æqualiter: tempore denique Decrementi minus.

638 Probatur ratione. Virtus enim & vita corporis viventis consistit in humido & calido ad debitâ mediocritatē redactis; sed hoc temperamentum paulatim deficit, quia per continuam reactionē alimentum in illud



istud, & per continuam actionem unius partis corporis in aliam sensim enervatur, calor etiam naturalis continuò prædictum humidum radicale depascit: ergo vita pariter & virtus operativa conversiva alimenti in substantiam alibi paulatim deficit, ita ut minus de substantia & quantitate acquirat, quam deperdat: ac proinde non solum vivens non possit augeri, sed necessarium sit minui.

639 Inquires: Quantum sit viventi temporis assignandum pro Augmento, quantum pro statu, & quantum pro Decremento?

640 Respondetur, hujus non posse certam regulam assignari: dependet enim à vitæ periodo. Quare animalia quæ diutius vivunt, diutius etiam augentur. In homine autem, regulariter loquendo, Augmentatio durat usque ad vigesimum primum ætatis annum completum, in cujus primo quinquennio dimidiam solet quantitatis partem acquirere, ut docet Philosophus 1. de Generatione animalium, cap. 18. Tempus verò Status durat usque ad quadragesimum quintum, vel quinquagesimum annum. Tempus denique Decrementi ad reliquum vitæ tempus extenditur.

## S. II.

## Solvuntur Objectiones

641 **A**Rguitur primo. Ut detur Augmentatio, sufficit, quòd magis quantitatis acquiratur; sed hoc in vivente toto tempore reperitur: ergo vivens semper augetur. Major constat à paritate intensiois: ut enim aliquod subjectum intendatur, sufficit, quòd calor v. g. quem nunc habet, sit intensior, quam ille, quem antea immediatè habebat, quamvis aliquando intensiorem habuerit: ergo pariter ut subjectum augetur, sufficiet, quòd magis nunc habeat quantitatis, quam immediatè antea habebat, quamquam aliàs majorem habuerit quantitatem. Minor autem probatur. Nam toto tempore vitæ datur Nutritio: ergo datur etiam Augmentatio. Patet Consequentia. Eo namque ipso, quòd detur Nutritio, acquiritur pars substantiæ; sed substantia non datur sine quantitate: ergo pars etiam quantitatis acquiritur: ergo major præexistente, aliàs nulla acquireretur.

642 Respondetur concessâ Majore, negando Minorem. Ad cujus probationem concessô Antecedenti, neganda est Consequentia. Ad probationem concessâ Majore, & Minore, distinguo Consequens, pars etiam quantitatis acquiritur, ita ut aliæ deperdantur, concedo Consequentiam, ita ut deperdat nulla

negò utramque Consequentiam. Ut enim legitimè acquisitio majoris quantitatis inferretur, oportebat, quòd ita nova pars quantitatis acquireretur, ut nulla deperderetur; hoc autem sic non contingit, immò, ut experientiâ constat, plus quantitatis in ægrâ valetudine & senectute deperditur, quàm per alimentum acquiratur.

643 **A**rguitur secundò, & potest esse Replica contra præcedentem Solutionem. Calor naturalis crescit toto tempore vitæ per conversionem alimenti in substantiam aliti: ergo vivens toto vitæ tempore augetur. Consequentia constat. Antecedens verò probatur. Calor ignis eò plus crescit, quòd plura ligna convertit in se ipsum: ergo calor naturalis viventis, quòd magis in ipsius viventis substantiam converterit alimentum, eò plus augebitur; ac per consequens toto, quo vivat, tempore.

644 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem concessò Antecedenti, neganda est Consequentia. Et ratio est manifesta discriminis. Nam calor ignis idèd crescit per ut conversionem lignorum in ipsum ignem, quia calor ut octo est proprietas ignis. Quare in quacumque materiâ forma ignis introducatur, ad illam calor ut octo subsequitur. Calor verò naturalis, quem habet vivens, non est passio, & proprietas ejus. Unde si per reactionem alimenti & per alias causas debilitetur, non sequitur naturali sequelâ,

remotis impedimentis, cum eadem intensione, quam antea habebat: & idèd toto tempore Nutritionis non augetur, & sed potius minuitur, & tandem evanescit.

645 **PRO COMPLEMENTO** hujus Quæstionis, & Articuli Inquires, An vivens maneat idem numero toto tempore Augmentationis?

646 Respondetur affirmative ex Philosopho in hoc Libro, textu 33. Et probatur. In hoc enim Generatio à Nutritione & Augmentatione distinguitur, quòd Generatio non conservat res in proprio esse individuali, sed in alio individuo ejusdem speciei: Nutritio verò & Augmentatio naturâ suâ ordinatur ad conservandum vivens in suo esse individuali: id igitur, quod augetur & nutritur, idem numero manet toto tempore, quo nutritur & augetur.

647 Nec refert si contra hanc Rationem objicias, quòd per Nutritionem & Augmentationem omnes viventis partes variatur: ergo ipsum etiam variatur vivens; ac proinde non manet idem numero.

648 Non, inquam, id refert. Respondetur enim partes illas variari tantum materialiter, non verò formaliter, eò quòd partes, quæ per Nutritionem, & Augmentationem acquiruntur, præcedentibus adunantur, & ad ipsarum viventisque individuale esse trahuntur.





## QVÆSTIO VI.

## DE CONDENSATIONE, ET RAREFACTIONE.

## ARTICVLVS VNICVS.

*Quid sint termini Rarefactionis & Condensationis?*

§. I.

*Qui busdam suppositis & notatis,  
Conclusio stabilicitur.*

649 **P**RIVS quàm ad Difficultatis punctum accedamus, notandum & supponendum est primò, dari Rarefactionem & Condensationem: quod docet Philosophus 4. Physic. à textu 84. usque ad 89. & in hoc Libro cap. 5. quem ubique sequitur D. Thomas. Et probatur. Raritas enim & Densitas sunt contrariæ, ut per se constat: ergo possunt successivè in eodem subjecto reperiri, & ad invicem transmutari, ita ut ex raro fiat densum, & ex denso rarum. Patet Consequentia. Nam quæ sunt contraria idem subjectum habent; quæ autem contrariantur, & in eodem subjecto recipiuntur, facilè transmutantur; Sed non potest transmutari rarum in densum, neque densum in rarum, nisi detur

Rarefactio, & Condensatio: ergo dantur.

650 Secundò supponendum est Rarum illud esse Quod sub magnis dimensionibus parum continet materie. Densum verò esse illud, Quod sub parvis demensionibus multum materie continet. Vel ut alio modo definit Aristot. 3. de Cælo textu 10. dicens: *Est autem spissum à raro differens, eò quòd in equali mole ( hoc est sub eisdem dimensionibus ) plura existant.* Quarè flamma digitalis v. g. minus continet de materiâ, quàm ferrum digitale: si enim hoc rarefieret, majorem proculdubio locum occuparet.

651 Tertiò supponendum est Rarefactionem & Condensationem consistere in mutationibus per se primò ad rarum & densum terminatis. Probatur. Sicut enim calefactio terminatur ad calidum, & frige factio ad frigidam, ita Rarefactio ad rarum, & Condensatio ad densum



sum terminatur; sed calefactio & frigeffectio sunt essentialiter mutationes per se primò ad calidum & frigidum terminatæ: ergo Rarefactio & Condensatio sunt etiam essentialiter mutationes per se primò terminatæ ad rarum & densum, His ergo suppositis, sic

652 Conclusio, Rarefactio est alteratio per se primò terminata ad qualitatem: ac proinde raritas potest vera qualitas nuncupari. Conclusio hæc est Philosophi 4. Physic. textu 84. & 85. & 2. de partibus animalium, cap. 1. & D. Thomæ in hoc Libro lect. 14. sic dicentis. *Si aer rarefiat, vel condensetur, talis transmutatio non potest dici augmentum sed alteratio: sic enim secundum transmutationem passibilem qualitatum, scilicet rari & densi. Idem docet 3. p. quæst. 77. art. 2. ad 3. ubi Rarum (inquit) & densum sunt quedam qualitates consequentes corpora ex hoc, quòd habent multum, vel parum de materia sub dimensionibus.*

653 Probatum ratione. Nam raritas, & densitas, sicut asperum, & lene, calidum, & frigidum possunt per se primò tactu percipi, sed quia asperum, & lene, calidum, & frigidum tactu percipiuntur, ut constat, pertinent ad tertiam speciem qualitatis: ergo etiam Rarefactio & Condensatio: proindeque terminus Rarefactionis & Condensationis est qualitas. Major, & utraque Consequentia constant. Min. autem probatur. Nam illa accidentia, quæ

causant passionem in sensu, pertinent ad tertiam speciem qualitatis; sed eo ipso, quòd aliquid tactu percipiatur, causat passionem in sensu: ergo pertinet ad tertiam speciem qualitatis.

654 Confirmatur. Quia Raritas & densitas sunt contrariæ, informant unum idemque subiectum, habent latitudinem, & alias conditiones ad motum requisitas; non autem motum augmentationis, vel localem; raritas enim & densitas ab augmentatione & ubicatione distinguuntur: ergo ad qualitatem terminantur.

§. II.

*Solvuntur Argumenta*

655 **A**rguitur primò ex Philosopho in Prædicamento qualitatis sic dicente: *Rarum verò & spissum, asperum, & lene putabuntur quidem quale quid significare: sed aliena hujusmodi putantur esse à divisione, quæ circa quale est.* Divus etiam Thomas 2. de Generatione, lect. 2. sic ait: *Rarum autem & densum, ut in 4. Physicorum dicitur, non sunt qualitates physicae.* Sed Rarefactio & Condensatio terminantur per se primò ad rarum & densum: ergo juxta Philosophum, & Angelicum Præceptorem, non terminantur per se primò ad qualitatem.

656 Pro Solutione hujus Argumenti notandum est, rarum posse considerari dupliciter: formaliter

maliter scilicet, & secundum effectum primum, quem habet à raritate; vel secundum connotata & sibi adnexa. Primo modo sumpta dicit qualitatem, quia dicit partes quantitatis taliter per raritatem affectas & modificatas, quæ est, ut supra diximus, vera qualitas, ut petant majorem dilatationem & distantiam inter se.

657 Secundo verò modo accepta dicit hujusmodi dilatationem à quantitate formaliter provenientem: habere enim plures partes & majorem locum occupare, est proprius effectus quantitatis: taliter tamen per raritatem affici, ut quantitas petat amplius dilatari, non potest non à raritate provenire: ac proinde est effectus raritatis.

658 Philosophus ergo, & D. Thomas in Testimoniis allegatis non loquuntur de raro & denso sub primâ consideratione, sed tantum sub secundâ: uterque enim satis apertè docet raritatem, & densitatem esse qualitatem, ut supra vidimus *num.* 652. Ubi sunt autem illo loquendi modo rarum & densum quantitatem esse insinuante, quia non tam ipsum rarum & densum, quam ipsorum connotata & essentialiter connexa explicare intendebant, quæ quantitatem esse non negamus.

659 **A**Rguitur secundò Qualitas secundum propriam lineam non habet distinctionem, vel extensionem partium: ergo nequit tribuere quantitati majorem

extensionem in ordine ad locum. Antecedens est certum. Consequentia verò non minus certa videtur. Qui enim fieri potest, ut aliud extendat, quod nullam in se habet extensionem?

660 Respondetur concessio Antecedenti, distinguo. Consequens, nequit tribuere primariò quantitati majorem extensionem, concedo Consequentiam, secundariò & ex consequenti, nego Consequentiam. Raritas enim solum intendit primariò liquefactionem subjecti. Cum autem cera v. g. liquefieri nequeat, quin partes illius dilatentur, & majorem locum repleant; hinc est, quòd ad raritatem sequatur extensio partium quantitatis: ac per consequens raritas quasi causa hujusmodi secundariè effectus censeatur. Diximus, *quasi causa* quia hoc, quod est tribuere partes quantitativas & extensas est proprius effectus quantitatis: tribuere verò partes hoc, vel illo modo, licet sit etiam munus quantitatis, non tamen est ejus absolute consideratæ, sed ut modificatæ per raritatem, *ly ut* sumpto specificativè; unde partes semper correspondent quantitati, raritati autem dumtaxat modus.

661 **A**Rguitur tertio. Rarum est, quod sub magnis dimensionibus parum habet materiae, è contra verò densum: ergo sicut Rarefactio per se primò terminatur ad rarum, ita etiam per se primò ad quantitatem terminatur.

662 Confirmatur primò Authoritate Philosophi 4. Physicorum, textu 84. ubi docet Rarefactionem fieri per hoc, quòd magna dimensio, quæ prius erat in potentia, fiat in actu.

663 Confirmatur secundò ex D. Thoma ibi lect. 14. dicente: *Condensatio & Rarefactio fit per hoc, quòd materia earundem partium accipit nunc majorem, nunc minorem quantitatem.* Ergo per receptionem majoris quantitatis constituitur subjectum in majore Raritate.

664 Respondetur concessio Antecedenti, negando Consequentiam. Licet enim Rarefactio per se primò terminetur ad rarum, non tamen per se primò ad quantitatem terminatur: eò quòd major extensio quantitatis tantum est effectus, ut diximus, secundariò ad Raritatem subsecutus. Quod clarè docuit D. Thomas in hoc Libro lect. 14. ubi sic ait: *Variatio autem qualitatis, aut quantitatis se habet ex consequenti. Sicut ex motu, qui est secundum locum, variatur motus secundum dextrum vel sinistrum: non tamen dicitur motus secundum situm, quia variatio fitus ex consequenti se habet ad variationem loci.* Ex quibus

665 Ad primam Confirmationem facilè respondetur ibi Philosophum explicuisse Raritatem per effectum illius secundarium.

666 Dices: Si calefactio

definiretur per hoc, quòd calor, qui prius erat in potentia, per illam fieret in actu, non per effectum secundarium, sed per primarium definiretur; sed hoc modo definitur Rarefactio: ergo non per secundarium, sed per primarium effectum definitur. Consequentia videtur constare ex paritate rationis.

667 Respondetur concessio Majore & Minore, negando Consequentiam. Ad cujus probationem dicendum est nullam esse paritatem. Calefactio namque per se primò ad explicandum calorem terminatur: Rarefactio verò non nisi ad causandam qualitatem in substantia & quantitate: ad quam ex consequenti se habet major illa extensio in ordine ad locum.

668 Ad secundam Confirmationem respondetur D. Thomam solum velle Rarefactionem fieri per hoc, quòd materia accipiat majorem quantitatem non entitativè, sed tantum explicativè, id est, quòd eadem quantitas, nullà ipsi superadditâ entitate vel parte, per Rarefactionem ad majorem locum occupandum extendatur: in hoc enim Augmentatio à Rarefactione distinguitur, quòd quantitas per augmentationem additione partium extenditur: per Rarefactionem verò extenditur quidem; nulla tamen ei fit superadditio.

669 **A**Rguitur quartò. Per Rarefactionem acquirit corpus rarum majorem extensio-

tionem in ordine ad locum : ergo prius acquirit majorem extensionē in ordine ad se. Sed hæc extensio, utpote effectus formalis quātitatis, dicit quantitatem : ergo per Rarefactionem acquirit corpus rarum novam quantitatem. Ultima Consequentia per se constat. Prima verò probatur. Nam extensio localis est passio extensionis in ordine ad se : ergo major extensio in ordine ad locum arguit majorem extensionem in ordine ad se.

670 Confirmatur. Quia per Rarefactionem acquiritur nova vis ad occupandum locum : ergo acquiritur etiam nova quantitas. Patet Consequentia. Nam virtus occupativa loci dicit quantitatem : ergo nova virtus, novam etiam dicit quantitatem.

671 Respondetur concessio Antecedenti distinguo Consequens, majorem extensionem in ordine ad se, prout opponitur minori extensioni, concedo Consequentiam, prout talis extensio dicit additionem partium entitativarum, nego Consequentiam, & distinguo Minorem subsumptam : dicit quantitatem ut modificatam, concedo Minorem, ut additam, nego Minorem, & Consequentiam.

672 Maj. enim extensio in ordine ad se, prout distinguitur ab extensione in ordine ad locū potest considerari dupliciter : primo modo prout dicit majorem multitudinem partium quantitatis, vel substantiæ : secundo modo prout mi-

norū partium multitudini opponitur. Major autem extensio localis in nostro casu arguit majorem extensionem in ordine ad se secundo modo, non autem primo, quatenus scilicet illa quantitas taliter modificatur per raritatem, quòd illas easdem partes, quas antecedenter habebat involutas & coarctatas, evolvat & explicet, & nullā ipsi factā superadditione, ad majorem locum occupandum extendat.

673 Ad Confirmationem concessio Antecedenti, neganda est Consequentia. Ad cujus probationem concedendum est similiter Antecedens, negandaque Consequentia. Quāvis enim vis occupativa loci arguit quantitatem ; inde tamen non infertur, novam vim, novam semper quantitatem arguere. Sicut enim nova vis ad calefaciendum non infert novam calorem in subjecto, sed eundem magis in eodem subjecto radicatum ; sic nova vis loci repletiva novam quantitatem non arguit, sed eandem aliter modificatam, & per Raritatem extensam.

674 **A**rguitur quintò. Per Rarefactionem producuntur nova puncta : ergo etiam producitur nova quantitas. Consequentia constat, Quia non possunt dari nova puncta, quin detur novæ partes, nec novæ partes, quin detur nova quantitas. Antecedens verò probatur. Nam si detur vas rarum, cujus medietatem cera condensata repletet, tunc singula puncta ceræ singu-

singulis punctis superficiiei concavæ vasis circumscriberentur, & mensurarentur: si verò prædicta cera liquefieret, tunc puncta illius corresponderent quamplurimis aliis punctis prædictæ superficiiei; sed hoc fieri nequit nisi ceræ nova superaddantur puncta: ergo adduntur.

675 Confirmatur. Partes proportionales ceræ plus distant inter se post Rarefactionem, quàm antea distabant; sed magis non distarent, nisi aquæ ipsi partes per Rarefactionem adderentur: ergo adduntur. Major constat, Nam ex majore distantia partium in ordine ad locum optimè arguitur major distantia earumdem partium inter se; per Raritatem autem magis distant in ordine ad locum. Minor verò probatur. Si enim novæ partes non adduntur, solum distabunt ratione puncti inter partem & partem mediantis; sed ratione puncti magis inter se distare nequeunt, punctum enim est indivisibile; ac proinde non potest distantiam causare; ergo ut magis distent, partium superadditio postulatur.

676 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem dicendum est, vel quòd cum vas illud esset rarius, ut supponit Argumentum, non esset omnimoda commensuratio inter illius puncta & puncta ceræ: ista namque essent magis compressa. Vel (ne Argumenti efficaciam fugere videamur) dato etiam & concessio,

quòd esset omnimoda commensuratio inter puncta determinata extremitatis ceræ, & puncta superficiiei concavæ vasis; essent tamen plura puncta quæ vago & confuso modo includerentur in partibus proportionalibus ceræ, quæ quia magis esset, ut supponitur, condensata, plures partes, proindeque plura etiam puncta contineret: quæ cum cera rarefieret, facili negotio possent punctis medietatis vasis, & superficiiei concavæ illius accommodari.

677 Potest hoc explicari exemplo motus tardi collati cum motu velocissimo primi mobilis. Nam sicut cuilibet *mutato esse* determinato motus tardi correspondet ex parte motus primi mobilis aliquod *mutatum esse*, & tamen ex hoc non tollitur, quòd plura *mutata esse* vaga & indeterminata contenta in partibus illius proportionalibus transeant, quin mutatis esse motus tardi commensurentur, aliàs non esset velocior unus motus ac alter; pariter in nostro casu est dicendum. Ex quo facile dignosci potest qualiter esse possit correspondentia inter puncta vasis & ceræ, quamvis non sint ejusdem Raritatis & condensationis.

678 Ad Confirmationem respondetur distinguendo Majorem, partes proportionales ceræ, quæ non immediatè uniuntur plus distant inter se post Rarefactionem, quàm antea distabant, conc. Maj. quæ immediatè uniuntur, neg. Maj. & distingo Min. non

magis distarent quæ immediatè uniuntur, nisi novæ partes adderentur, concedo Minorem, quæ immediatè non uniuntur, nego Minorem & Consequentiam. Ex quibus patet ad probationem Minoris: convincit enim de partibus immediatè unitis, non verò de partibus, quæ non nisi ratione aliarum partium proportionalium uniuntur: quia cum punctum sit indivisibile, non potest ratione illius modò minor, modò major distantia dari. Partes verò cum possint magis ampliari, & hoc ipsis competat ratione qualitatis & modificationis, quas à Raritate desumunt; hinc est, quòd quæ ratione alterius partis mediantis distabant, magis ampliatae & extensæ, majorem distantiam ratione majoris illius ampliationis & dilationis acquirant.

679 **A**rguitur sexto (& potest esse Replica præcedentis Argumenti) ex triplici absurdo, quod inferri videtur, si per Raritatem nova pars quantitatis non acquiritur. *Primum* est eandem quantitatem esse in duplici loco circumscriptivo. Probatur. Quia cera, quæ medietatem vasis occupabat, transiret ad alteram medietatem occupandam: ac proinde ad alterum locum extenderetur. *Secundum* est, duas quantitates partiales penetrari. Quia eadem cera, quæ rarefacta totum vas prædictum occupabat, si postea condenseretur, ad solam medietatem replendam coarctabitur. *Tertium* est,

quantitatem esse intensibilem & remissibilem. Ex eo enim eadem albedo v. g. est intensibilis & remissibilis quia reddit subjectum, in quo recipitur, modò magis, modò minus album; sed in nostro casu eadem qualitas constitueret materiam modò magis, modò minus extensam: ergo quantitas etiam esset intensibilis, & remissibilis.

680 Respondetur negando Sequelam quoad omnes partes. Ad probationem primi absurdi dicendum est, quòd si illa cera rarefiat, transibit ad totum vas occupandum; hoc autem non est duplicem locum occupare, sed ad majorem ratione Raritatis extendi: quod nullum est absurdum, immò nunquam contingit oppositum.

681 Ad secundum respondetur, quòd sicut Rarefactio quoad repletionem loci æquivalet additioni materiæ & quantitatis; sic Condensatio æquivalet diminutioni. Unde sicut cera, si aliquid auferatur quantitatis, potest minore loco absque aliquâ penetratione circumscribi, sic cum condensatur, sine ullâ etiam penetratione, sed per majorem strictioremque partium conjunctionem, minore loco contineri.

682 Ad probationem tertii absurdi respondetur concessâ Majore, & Minore, distinguo Consequens esset intensibilis & remissibilis ratione qualitatis, concedo Consequentiam, ratione sui, nego Consequentiam. Quamvis enim quantitas non possit ratione sui re-

cipere magis & minus eo rigore, quo qualitas, potest tamen aliquid qualitativum accipere, ratione cuius intendi & remitti videatur. Cum enim Raritas sit vera qualitas, ut

suprà vidimus, & hanc recipiat quantitas, potest ratione illius magis minusve extendi subiectum; proindeque aliquo modo intendi, vel remitti.



QVÆSTIO VII.

DE ACTIONE, ET REACTIONE.

ARTICVLVS VNIC.

*Virum omne agens in agendo repatiatur?*

§. I.

*Quibusdam suppositis; statuitur  
Conclusio.*

683 **S**Upponendum est primò ut probabilius, agens nõ posse agere in sibi simile, quando est omninò simile passio. Et ratio est, Quia omne agens intendit assimilare sibi passum, in quod agit: ergo non potest agere in passum omninò sibi simile. Patet Consequencia. Eo namque ipso, quòd deficiat finis alicuius actionis, deficit ipsa actio, sicut deficiente termino motus, deficit ipse motus: ergo positã omnimodã similitudine inter agens & passum, non potest agens agere. Probatur Consequencia. Nam finis agentis est similitudo cum passio; sed si omninò similia supponatur, cessat hic finis;

ergo si agens & passum sunt omninò similia, non potest agens agere in passum.

684

Nec obest si contra hanc Suppositionem objicias, Quòd quanto est inter agens & passum minor resistentia, tantò est facilior operatio; sed inter duo similia nulla datur resistentia, resistentia namque ex contrarietate dimanat, quæ non est inter similia: ergo agens potest agere in passum omninò sibi simile.

685

Non, inquam, id obest. Quamvis enim inter duo valde similia nulla sit resistentia, nec contrarietas positiva; est tamen contrarietas & resistentia negativa, quatenus scilicet passum omninò simile agenti est incapax ut recipiat novum terminum, vel gradum: ut si ponamus duo callida ut quatuor, neutrum potest

ab altero recipere majorem, vel minorem gradum caloris, quia utramque tantum est potens ad producendum calorem ut quatuor. Quare nisi detur aliqua dissimilitudo, non poterit unum agere in alterum, siquidem est mutuum impedimentum inter utrumque; ex parte unius ad recipiendum, ex parte verò alterius ad agendum. Ex quo infertur, quod si agens sit simile passivo in specie, ut duo calida, dissimile autem in gradu, ut si unum est intensum ut duo, alterum autem ut quatuor; hoc potest agere in illud: quia calidum excedens alterum in intensione potest illud sibi subicere, & in eadem intensione assimilare.

686 Secundò supponendum est, quòd ut agens agat in passivum, major debet esse activitas agentis, quàm resistèntia passivi. Vel (ut aliter dici solet) à proportione minoris inæqualitatis non fit actio, benè tamen à proportione majoris. Ut hoc autem explicetur, notandum est, duplicem esse resistèntiam, alteram activam, alteram verò passivam. Activa est, medià quà unum agens contrarium, ut ignis respectu aquæ, debilitat vires illius: unde medià actione calefactivà, ignis resistit aquæ, quatenus per suam activitatem diminuit frigiditatem aquæ. Passiva autem resistèntia est indispositio subjecti, seu improprio respectu agentis, & ejus virtutis; ut contingit in lapide, qui propter suam gravitatem, &

pondus, nequit, nisi difficulter, ab agente moveri: & vocatur passiva, quia se tenet ex parte passivi non potentis in se recipere formam ab agente introducendam. Hæc autem resistèntia solet etiam appellari materialis, & formalis: materialis quidem, quia se tenet ex parte materiæ; formalis verò, quia convenit ratione aliqujus formæ, à quâ provenit indispositio ad prædictum effectum ab intendente movere lapidem, absque eo quòd medià actione ad hoc concurrat.

687 Hoc supposito, dicimus, quòd si fiat sermo de resistèntià passivà, ut agens agat, major requiritur activitas illius, quàm sit resistèntia passivi. Si verò loquamur de resistèntià activà, potest agens agere in aliud, quamvis resistèntia unius sit major, quàm activa virtus alterius.

688 Probatur prima pars. Agens enim semper intendit introducere formam in passivum: ergo quando hoc resistit, major requiritur activitas ex parte agentis. Probatur Consequentia. Impossibile namque est, quòd lapis magnus moveatur, extrahaturque a suo loco, quin activitas illum extrahentis excedat pondus lapidis, aliàs immotus remanebit, sed hæc est resistèntia passiva: ergo respectu hujus major semper requiritur virtus agentis, quàm sit resistèntia passivi.



689) Secunda pars etiam probatur. Posito enim igne calido ut octo, & aqua frigida ut sex, hæc agit in illum; & tamen resistentia ignis est activa: ergo vera est secunda pars. Major contat. Inter ignem enim, & aquam datur mutua Actio & Reactio. cum aqua aliquem gradum frigiditatis in igne introducat, ratione cujus debilitetur virtus ignis. Minor autem probatur. Nam per virtutem calefactivam resistit ignis. virtuti frigeactivæ aquæ, & utraque virtus est activa; sed ex suppositione factâ virtus ignis est ut octo, aquæ verò virtus est ut sex: ergo aqua, quæ est inferior, agit in ignem, qui est superior; proindeque à proportionem minoris inæqualitatis datur actio, loquendo de resistentiâ activâ.

690. Hoc autem taliter est intelligendum, quod aqua secundum omnes gradus frigiditatis agit in ignem non secundum omnes caloris gradus, sed secundum illum tantum, quem vincit, respectu cujus aqua excedit. In quo sensu salvatur, quod Majus agit in minus secundum aliquam ejus partem. Quamvis predictum Aristotelis Axioma potius in passivo resistente passivè, ut in lapide, quam activè resistente, ut in igne, locum teneat. His itaque præsuppositis,

691) Circa præcipuam Difficultatem in Titulo Articuli propositam Notandum est, Agens in agendo repati, nihil aliud esse, quam quod ita agit in aliquod passum, quod hoc etiam

agat in agens. Quare actio, quæ passum agit, dicitur Reactio, quia mediâ illâ operatur in agens, quasi agens, passum sit respectu illius.

692) Ad istum autem mutuum ordinem Actionis, & Reactionis tres condiciones concurrunt. *Prima* est, quod agens & passum communicent in materia, taliter quod agens habeat materiam, quæ possit pati à Reactione, quia passum agit in illud. Defectu cujus conditionis Cælum, & Angelus possunt agere in hæc inferiora, quin ab illis repatiuntur. *Secunda* conditio est, quod agens, & passum sint in potentiâ ad formam vel effectum utriusque: sicut calidum, & frigidum, quorum quodlibet est in potentiâ ad cujuslibet formam vel effectum, calidum nempe ad frigus, frigidum autem ad calorem. Quare si calidum magis intensum agit in calidum remissum, ab hoc illud non repatitur, quia non caret calore, quem communicat. *Tertia* conditio est, quod agens & passum sint, intra sphaeram activitatis utriusque, quia extra propriam sphaeram non datur actio. His igitur conditionibus prænotatis,

693) Nostra Conclusio est, quod omne agens in agendo repatitur. Probatur primò. Ut enim aliquid agat, & patiatur, necessariò requiritur, quod simul sit in actu & in potentiâ, sed positus predictis conditionibus, omne agens simul est in actu & in potentiâ: ergo

prædictis conditionibus observatis, omne agens in agendo repatiatur. Major constat, Eatendū enim aliquid agit, quatenus est in actu; & eatendū patitur, quatenus est in potentiâ. Minor autem probatur. Nam ignis, v. g. agens in aquam simul est in actu calidus, & in potentiâ frigidus: aqua similiter agens in ignem simul est in actu frigida, & in potentiâ calida: nulla est enim repugnantia, quod respectu diversarum qualitatum idem simul sit in actu, & in potentiâ: ergo vera est Minor. Unde optimè dixit Aristoteles lib. 4. de Generat. animalium cap. 3. quod *Omne agens patitur etiam à patiente, ut quod secat hebetatur ab eo, quod secatur: quod calefacit, refrigeratur.*

694 Secundò probatur Conclusio pluribus experiētiis. Si enim ferrum ignitum mittatur in aquam, illam calefacit, & ab illâ infrigidatur. Similiter aqua infrigidat ferrum, & sic agit, & à ferro redditur calida, & sic patitur. Deinde gutta aquæ in ignem projecta aliquam illius partē extinguit, proindeque in illum agit; & tamen simul patitur, in vaporem quippè convertitur: ergo in agendo repatiatur. Rursus, Duo gladii se invicem percutientes hebetantur; hoc autem aliunde provenire non potest, nisi quia agendo repatiuntur: ergo, &c.

695 Denique probatur Conclusio. Si agens in agendo non repateretur, esset impossibilis mixtio, hoc autem est falsum: ergo & illud,

ex quo sequitur. Minor, & Consequentia constant. Major autem, vel Sequela probatur. Mixtio enim nihil aliud est, quam *Miscibilium alteratorū unio*; sed hæc mixtio fieri omninò nõ potest, nisi ea, quæ miscētur, in se invicem agant, & repatiantur: ergo si agens in agendo nõ repatiatur, non potest dari mixtio.

## § II.

### *Solvuntur Argumenta.*

696 **A**rguitur primò. Si omne agens in agendo repateretur, inde fieret, quod agens æqualis virtutis cum passio repateretur ab illo; hoc autem est impossibile: ergo & quod omne agens in agendo repatiatur. Probatur Minor. Nam à proportionē æqualitatis non fit actio: ergo ut unum repatiatur ab alio, debet esse inæqualis virtutis. Sed nec hoc modo verificatur, quod agens repatiatur in agendo: ergo, &c. Probatur Minor. Tunc enim illud, quod esset majoris activitatis tantum ageret, non autem repateretur: nam à proportionē minoris inæqualitatis non fit actio; ut si ponatur calidum ut octo, & frigidum ut quatuor, hoc non poterit agere in illud: ergo sive sit æqualis virtutis, sive sit virtutis inæqualis, nullum agens in agendo repatiatur.

697 Confirmatur. Ignis numquam potest repati ab aquâ, & tamen se habet ut agens respectu illius: ergo, &c. Probatur Major, Nam

Nam ignis resistit aquæ per calorem, & simul per substantiam: ergo majorem habet resistentiam, quam aqua activitatem. Probatur Consequencia, Quia aqua solum agit in ignem ratione qualitatis frigoris, non verò ratione substantiæ, hæc enim tantum est operativa ratione accidentium: ergo tunc ignis agit, & non repatiatur.

698 Respondetur, quod semper fit actio à proportionemajoris inæqualitatis, juxta superius dicta num. 686. & 689. Calidum enim ut octo repatiatur à frigido ut quatuor quatenus agit in illud non secundum se totum; sed secundum aliquem gradum caloris, qui destruitur per introductionem gradus frigiditatis, ratione cujus calidum repatiatur à frigido, & sensim debilitatur, non tamen adæquatè destruitur, quia totaliter à frigido non exceditur: cujus contrarium eveniret, si frigidum in gradibus calidum superaret.

699 Ad Confirmationem respondetur, quod resistentia activa ignis æquatur cum virtute activâ aquæ: utrumque enim agit per qualitates proximè & formaliter, & per substantiâ remotè & radicaliter. Resistentia autè passiva ignis minor est resistentiâ activâ aquæ; unde hæc agit in calidum, & usquedum talis resistentia vincatur, non erit actio: quia cum ignis & aqua sint contraria, adinvicem agunt, & patiuntur.

700 **A**rguitur secundò. Si ali-  
quod agens repatere-

tur in agendo, sequeretur, quod idem subjectum secundum eandem partem moveretur motibus contrariis; hoc est falsum: ergo & quod in agendo repatiatur. Minor supponitur. Major autem, vel Sequela probatur. Ponamus ignem calefacere aquam, & aquam infrigidare ignem medio aëre; tunc aër simul moveretur motu calefactionis, & frige-  
factionis; sed hi motus sunt contrarii: ergo idè subjectum simul secundum eandem partem contrariis motibus moveretur. Probatur major. Nam aër simul recipit calorem ab igne, & frigus ab aquâ; non enim potest recipi calor in aquâ, neque frigus in igne, nisi prius utrumque, & simul transeat per medium, quod est aër: ergo, &c.

701 Variis Solutionibus prætermisissis, Respondetur ex Mag. Joan. à S. Thomâ in casu Argumenti aërem simul calefieri & frige fieri in gradibus remissis, non verò in gradibus intensis, quod nullum est inconveniens, sicut inconveniens nullum est, quod duæ qualitates contrariæ in gradibus remissis simul in eodem subjecto recipiantur. Ratio autem est, Quia omnis distinctio motus, à termino per se producto desumitur. Quare ex distinctio terminorum distinctio etiam motuum rectè infertur. Similiter impossibilitas motuum ab impossibilitate terminorum desumi debet. Nulla enim est ratio, cur qualitates productæ, si sint remissæ, simul reperiantur in uno eodemque subjecto secundum

dum eandem partem (nam secundum diversam nullus dubitat posse recipi, cum prout sic nullam dicant contrarietatem) & motus acquisitivi talium qualitatum, illarumque productivi non possint in eodem subjecto, eademque illius parte simul recipi. Tunc enim qualitates illæ atemperantur, quando ignis, & aqua adinvicem agunt, & reagunt. Quare non impediuntur ab operari remissè, sed ab operari tantum intensè: utrumque enim intendit suum effectum vel qualitatem in alterum subjectum inducere medio aère. Unde hic duplicem illam qualitatem remissam, & atemperatam habebit, quousque altera illarum adæquatè alteram vincat: & tunc illa prædominabitur, quæ fuerit victoriâ consequuta.

702 Dices cum Mag. Barez, Si aër simul celestis, & frigesit:

ergo nunc calidior est, quam antea, & similiter frigidior: ac proinde simul erit frigidior, & calidior pro eodem instanti, quod videtur contradictionem implicare.

703 Respondetur concedendo Consequentiam. Cum enim calor introducatur successivè, & paulatim in aère, & similiter frigus; sicut nullum est inconueniens, quòd simul sit calidus & frigidus in gradibus remissis; ita nullum erit inconueniens quòd simul sit frigidior & calidior, dummodò ad summum frigoris, & caloris gradum non perveniat: nam juxta probabiliorè Sententiam, duo concraria in gradibus intensis non possunt, etiam divinitus in eadem subjecti parte reperiri. Quòd autem in gradibus remissis reperiantur, non solùm non repugnat, sed & naturaliter evenit.



## QVÆSTIO VIII.

## DE MIXTIONE.

## ARTICVLVS I.

*An sit; & quid sit Mixtio: Et ex quibus fieri possit?*

§. I.

*Quibusdam prænotatis, due priores Quæsitipartes resolvuntur.*

704 **P**RO intelligentiâ præsentium Difficultatum Notandum est primò, Mixtionem posse dupliciter accipi. Primò improprie pro conjunctione, seu agglomeratione. multorum in unum; quæ quidem remanent in propria formâ & figurâ. Et hoc modo appellatur Mixtio, quando triticum v. g. adjungitur hordeo, utroque in suo esse permanente; hæc autem potius est aggregatio, quam Mixtio. Secundo modo dicitur Mixtio proprie, quando scilicet plura miscibilia ita inter se ununtur, ut nullum ipsorum in proprio esse remaneat, sed resultet quoddam tertium, quod mixtum appellatur: ut quando duo liquores conjunguntur.

705 Secundo Notandum est, ad veram & rigorosam

Mixtionem quatuor Conditiones requiri. *Prima* est, quòd miscibilia, ex quibus fit Mixtio, prius sint separata, & tendant ad unum faciendum. Quod docuit Arist. in hoc Libro textu 83. dicens: *Oportet existere separabile utrumque mixtorum.* Ubi Angelicus Doctor lect. 24. *Omnia* (inquit) *miscibilia primò sunt separata.*

706 *Secunda* Condicio est, quòd miscibilia mutuò dividantur, ut partes unius intra partes alterius collocentur. *Tertia* est, quòd talia miscibilia sint activa & passiva secundum aliquas qualitates, non taliter quòd virtus activa unius totaliter alterum ad se trahat, & illud veluti absorbeat. Unde quando ex liquoribus fit mixtum, qualitates illorum manent temperatæ, refractæ, & ad medium reductæ: quod sine alteratione, & mutuâ actione & reactione minime posset fieri.

707 *Quarta* denique Condicio est, quòd miscibilia sic alterentur.

tur, quòd, Mixtionæ factà, non manent sicut antea. Hoc etiam docuit Philosophus loco citato textu ult. mo dicens: *Hæc enim (Miscibilia) nec corrupta esse necesse est, quando mixta; nec adhuc simpliciter eadem esse, quæ prius.* Qualiter autem in mixto manent, Articulo sequenti videbimus. His igitur prænotatis,

708. Dicendum est primò, dari Mixtionem. Probatum primò experientiâ. Videmus enim plura corpora, quæ non sunt simplicia, ut Elementa, sed ex Elementis constituta: ergo sunt composita & mixta; proindeque datur Mixtio.

709. Secundò probatur. Nam, ut supra vidimus, datur mutua actio & reactio: ergo datur etiam Mixtio. Patet Consequentia. Mixtio enim consistit in hoc, quòd simplicia taliter inter se uniantur, quòd eorum qualitates reducuntur ad debitum temperamentum, & resultat quoddam tertium; sed hæc omnia sunt per mutuam actionem & reactionem. eo namque ipso, quòd unum miscibile agat in alterum, & ab illo repatiatur, talia miscibilia non manent sicut antea: ergo resultat Mixtum.

710. Nec obest, si contra hanc Conclusionem primò obijcias, Quòd ea, quæ non sunt, misceri nequeunt; sed miscibilia non sunt in instanti, quo misceri dicuntur, eum in eodem instanti corrumpantur: ergo non datur Mixtio.

711. Secundò. Nam vel miscibilia sunt æqualis virtutis, vel

inæqualis? Neutrum dici potest: ergo &c. Minor quoad primam partem probatur, à proportionem enim æqualitatis non datur actio: ergo si miscibilia sunt æqualis virtutis, neutrum agat in alterum. Quoad secundam verò partem non minus certa videtur. Si namque miscibilia fuerint inæqualia, quòd fuerit fortius, vincet alia, convenietque in seipsum; ac proinde deficiet una ex conditionibus ad veram Mixtionem requisitis.

712. Non, inquam, hæc obstant. Ad primum enim respondetur, quòd licet miscibilia in instanti, quo datur Mixtio, formaliter corrumpantur, virtualiter tamen perseverant, ut Articulo sequenti videbimus: quòd sufficit, ut detur vera Mixtio.

713. Ad secundum respondetur negando Minorem quoad secundam partem. Cujus probatio non obest. Ut enim vidimus Articulo præcedenti *num. 689.* Agens magis activum potest à minus activo repati, proindeque hoc in illud agere: ac per consequens, quavis miscibilia sint in virtutibus inæqualia, poterunt invicem debilitari, & commisceri.

714. Secundò dicendum est, Mixtionem sic optimè à Philosopho hic, & D. Thomâ *lect. 25.* diffiniri. *Mixtio est miscibilium alteratorum unio.* Cujus Diffinitionis bonitas non aliter melius probatur, quàm illius particulas exponendo. Per illam particulam *miscibilium* denotatur terminus à

quo Mixtionis, quod scilicet non fiat ex vno tantum, quod totaliter corrumpatur, sed ex pluribus, quæ inter se possint refringi, in unumque congregari: quæ est una ex conditionibus essentialiter ad Mixtionem requisitis.

715 Per illam particulam *alteratorum* duo inter alia denotantur. Primum est, quod Mixtio per se primò debet fieri in qualitatibus, quæ sic mediâ alteratione confunduntur, ut in unam virtutem, aut mediam qualitatem, quæ in mixto maneat, redigantur. Secundum est, quod talis alteratio perveniat usque ad corruptionem miscibiliû, aliàs unum ex ipsis miscibilibus non fiet. Utrumque docuit D. Thomas lectione citatâ in fine per hæc verba: *Quæ quidem alteratio solum est intelligenda in virtutibus, sive qualitatibus eorum. Sed si etiam alteratio sumatur improprie, Mixtio est miscibilium alteratorum, id est, corruptorum secundum formas, unio.*

716 Per illam denique particulam *unio* simul terminus ad quem Mixtionis, & actio mixtiva denotantur. Terminus quidem ad quem, quod scilicet ex miscibilibus in seipsis non manentibus fiat unum tertium, nam unio non potest dari sine uno. Actio etiam mixtiva: hæc enim non ad aliud, quam ad miscibilia congreganda, uniendaque terminatur, ut ex illis unum substantialiter faciat, quod est mixtum.

717 Sed contra hæc Dis-

initionem objicies primò. Quia in illâ explicatur Mixtio per miscibile; sed miscibile æquè est ignotum ac Mixtio: malè igitur definitur Mixtio per miscibile.

718 Secundò. Nam melius definiretur Mixtio per hoc, quod esset transitus de non esse sub formâ mixti ad esse sub tali formâ: ergo non ita benè per definitionem, quam apposuimus, definitur. Probatur Antecedens. Quia Generatio in communi optimè definitur per hoc, quod sit transitus de non esse formæ ad esse sub illâ: ergo Mixtio optimè etiam definiretur per hoc quod sit transitus de non esse sub formâ mixti ad esse sub tali formâ. Patet Consequentia. In hoc enim ex parte termini ad quem simplex Generatio, & Mixtio distinguuntur, quod illa ad formam absolutè, hæc verò ad formam, quæ in mixto resultat, terminatur.

719 Tertio, Quia in traditâ à nobis Diffinitione videtur committi circulum vitiosum, siquidem miscibile definitur per Mixtionem: ergo Mixtio nequit per Miscibile definirî.

720 Ad primam ex his Objectionibus responderetur negando Minorem. Prius enim explicatâ naturâ miscibilis, qualiter illam Philosophus explicavit, optimè potuit Mixtionem per miscibile declarare, quin ignotum per æquè ignotum definirèt. Quemadmodû qualitatem per quale explicuit, quin hoc inconveniens incurrerit.

721 Ad secundam respondetur negando. Antecedens. Ad cujus probationem concessio Antecedenti, nganda est Consequentia. Cum enim Mixtio differat à Generatione, sicut species differt à genere, in ejus definitione debet superaddi specialis differentia contractiva Generationis in communi; talis autem differentia declaratur per hoc quòd Mixtio sit transitus ad formam mixti, non utcumque (sic enim à Generatione in communi non differt) sed per hoc, quòd sit transitus de formâ miscibiliâ ad formam mixti, secundum quòd illorum supponitur alteratio. Quia verò in Generatione, licet supponatur materia alterata & disposita ad recipiendam unam formam præ aliâ, non supponitur tamen cõgregatio multorum ad constituendum unum tertium, sed simplex tantum materia; hinc est, quòd Mixtio rectè per traditam Definitionem explicatur; in illâ namque exprimitur per quid cum Generatione in communi conveniat, & per quid differat: convenit enim in hoc, quòd sit transitus ad formam mixti; differt autem per hoc, quòd ea, nempe miscibilia, à quibus transit, non totaliter corrumpuntur, sed remanent in potentia, aut in virtute; in Generatione verò ea, à quibus sit transitus (unicâ exceptâ materiâ primâ) nedum formaliter, verum etiam virtualiter evanescent.

722 Ad tertiam Obje-

ctionem quid respondendum sit; constat ex dictis ad primam.

§. II.

*Tertia pars Quæstii resolvitur.*

723 **D**icendum est tertio, Mixtionem posse fieri ex quatuor Elementis. Oppositum hujus Conclusionis aliqui tenent judicantes, quòd licet Mixtio fieri possit ex duobus, aut tribus Elementis, non tamen ex omnibus. Conclusio tamen est communis, & expressa D. Thomæ in hoc Libro, lect. 24. Et probatur. Nam si aliquod Elementum non posset ingredi Mixtionem, maxime ignis, ut Adversarii ipsi fatentur; sed ignis potest ingredi Mixtionem: ergo Mixtio fieri potest ex quatuor Elementis, Probatur Minor, *Tum*, quia in parte inferiori, scilicet Terrâ, ubi est locus Mixtionis, datur verus ignis, ex quo possit fieri Mixtio, qui cum sit elementaris, licet non ita purus sicut est in propriâ Sphæra, nihil illi deficit ad Mixtionem. *Tum* etiam, quia ignis potest descendere ad locum Mixtionis: ergo ex illo potest fieri Mixtum. Probatur Antecedens, Nam ignis movetur à Cælo non minus quàm cetera Elementa; & motus, quibus moventur, sunt peculiare, ut fasè docet D. Thomas lectione citatâ, ubi omnium Elementorum motus, eorumque diversitatem assignat, & ex quibus Sphæris, astrive proveniant, mani-

fe.



festat: ergo potest Cœlum movere ignem ut descendat in terram, quia talis motus sit igni violentus: eo quod, ut docet D. Thomas citato loco, & probat ex Philosopho 1. Meteororum, *Ambitus ignis per aërem frequenter spargitur motu, id est, per virtutem cœlestis motus, & fertur violentia deorsum: idè sunt aliquæ partes ignis & in rore, & in vaporibus pluvialibus descendentes: quas vapores accipiunt in regione aëris calefacta: & idè aquæ pluviales sunt vaporosæ & calidæ: & hæc etiam est causa, quod, nive descendente, non est tanta intensio frigoris, sicut in aliis hiemalibus temporibus. Sic ergo cum pluvia & rore, & aliis hujusmodi descendunt partes ignis ad locum Mixtionis.*

724 Ex hac Ratione solvitur principale, immò & unicum Argumentum Contrariorum, quia ignis (inquiunt) nequit nisi per violentiam descendere, cum sit corpus leve. Unde deducunt Mixtionem ex illo factam non posse esse naturalem, sed violentam.

725 Solvitur, inquam. Licet enim descensus ille sit violentus attentâ solum particulari ignis inclinatione, quod innuit Div. Thomas illis verbis, *Fertur violentia deorsum; ut à corpore tamen cœlesti motus, propter commune bonum & pulchritudinem Univerſi, est naturalis: quod paulò inferius expressit D. Thomas, sic concludens: Ex his patet, quod*

*ad Mixtionem non movet violentia, sed natura: & idè Mixtio nō est violēta, sed naturalis. Quemadmodum ergo lapis contra particularem sui ipsius inclinationem naturaliter ascendit sursum, ne detur Vacuum; ita ignis contra propriam inclinationem naturaliter descendit deorsum, ut detur Mixtum.*

725 Dicendum est quarto, ex liquoribus posse fieri Mixtionem, sive fiat diversæ speciei, sive ejusdem, dum tamen habeant contrarias qualitates. Conclusio est omnium Thomistarum. Et quidem de liquoribus diversæ speciei, quales sunt vinum, & aqua, expressè id docet D. Thomas 3. p. q. 77. art. 8. Et probatur ratione. Quandocumque enim duo aut plura miscibilia possunt adinvicem agere, & pati, potest ex illis fieri vera Mixtio; sed hoc contingit quando liquores sunt diversæ speciei, & habent contrarias qualitates: ergo ex illis potest fieri vera Mixtio. Probatur Minor, Nam mediis qualitatibus contrariis possunt adinvicem alterari & corrumpi quoad suas substantias, cum alteratio in contrarietate fundetur: ergo si predicti liquores habent contrarias qualitates, poterunt se corrumpere per veram actionem, & reactionem, proindeque Mixtum ex illis resultabit.

726 Si autem ejusdem fuerint speciei, eadem ratione probatur. Nam si dentur duo vina v. g. ejusdem speciei, quorum unum habeat qualitatem contrariam alteri, ut si activius sit, quia calidius,

habet quiddam requiritur, ut ex utrisque fiat vera Mixtio: ergo non solum potest fieri Mixtum ex liquoribus diversæ speciei, se ejusdem. Probatur Antecedens. In casu enim posito qualitas unius liquoris potest agere in alium, ab illoque repati, cum inter illos sit contrarietas ad Corruptionem sufficiens: ergo poterit alter destruere qualitates conservativas alterius, & è contrâ. Sed tunc generabitur quoddam tertium, quod est Mixtum: ergo &c.

727 Ex quo inferitur, quod si prædicti liquores non habeant contrarias qualitates, non poterunt concurrere ad veram Mixtionem: ad hanc enim necessariò requiritur alteratio inter miscibilia, ut in Definitione Mixtionis dictum est. Cum autem alteratio sine contrarietate non detur; consequens est, quod deficiente in liquoribus contrarietate, minimè ex illis potest fieri vera Mixtio.

728 Dices: Unum individuum ejusdem speciei non potest agere in aliud, cum sint similia, simile enim non agit in simile: ergo quando liquores sunt ejusdem speciei, non dabitur inter illos mutua actio & reactio; ac per consequens nec Mixtio.

729 Respondetur nullum esse inconveniens, quod liquores sint ejusdem speciei, dummodo habeant contrarias qualitates: tunc enim unum individuum poterit in virtute qualitatis contrariæ alteri agere in illud, & oppositam de-

struere qualitatem propter majorem activitatem, taliter quod qualitates utriusque perseverent, refractæ tamen, & ad medium reductæ in uno tertio. Sic autem contingit quâdo unum vinum est alio vigorosius. Ex hoc tamen non sequitur, quod simile agat in simile. Licet enim utrumque sit simile in specie, est tamen dissimile in qualitatibus: sicut duo homines, qui ejusdem sunt speciei, & similes in naturâ, in conditionibus tamen individualibus sunt dissimiles, quorum unus potest agere in alium. Immò ejusdem hominis una pars potest agere in alteram, ut contingit quando illi deficit alimentum.

730 Contra nostram Conclusionem, & præsertim contra illam partem, in quâ asserimus ex duobus liquoribus ejusdem speciei posse fieri veram Mixtionem Arguitur ex P. Suarez Tomo 3. in 3. p. disp. 57. sect. 4. Nam si duo liquores ejusdem speciei, ut duo vina consecrata ita inter se conjungerentur, ut ex illis fieret propria Mixtio, sequeretur quod nullum illorum maneret consecratum; hoc autem non est dicendum: ergo ex duobus liquoribus ejusdem speciei non potest fieri vera Mixtio. Probatur Sequela. Nam illud tantum vinum permanet consecratum, ad quod fuit consecratio terminata; sed consecratio non fuit terminata ad Mixtum, quod resultat, sed ad vina, quæ miscentur, & per Mixtionem corrumpuntur: ergo non

non permaneret vinum consecratum.

731 Respondetur, quòd species consecratæ in Sacramento Eucharistiæ virtute consecrationis remanentes sequuntur modum essendi substantiæ proindeque habent eundem modum agendi & patiendi, ut docet D. Thomas loco suprâ citato ex 3. p. Unde sicut substantia, si ibi adesset, posset agere & pati, ita species consecratæ. Quarè ex duobus vinis consecratis per mutuam actionem & reactionem non minus potest fieri Mixtio, quàm si consecrata non essent, si semel, ut diximus, diversas habeant, & contrarias qualitates: si enim eadem habeant, non fiet Mixtio, sed mera continuatio unius cum alio. Positâ ergo verâ Mixtione, restat difficultas Argumenti de permanentia Sanguinis Christi sub prædictis speciebus.

732 Ad quod respondetur primò, quòd ibi non remanet, sed definit esse Sanguis Christi, quia non manent eadem numero species, quæ antea erant, cum resulet alterum individuum, super quod non cadit consecratio, quæ priùs fuit terminata ad species seorsim sumptas. Et hoc dixit D. Thomas ibidem, quòd *Corpus & Sanguis Christi remanet in hoc Sacramento, quandiu illæ species manent eadem numero: consecratur enim hic panis, & hoc vinum. Unde si fiat tanta permixtio liquoris cuiuscumque, quòd pertingat ad totum vinum consecratum, & fiat*

*per mixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi Sanguis Christi.*

733 Secundò respondetur, quòd licèt ex duobus vinis consecratis fiat unum tertium individuum; quia tamen omnes illius partes erant consecratæ, totum etiam illud ratione suarum partium remanet consecratum. Cujus exemplum est in ipsâ Hostiâ, quæ, si in duas partes dividatur, sub qualibet manet Corpus Christi, & quælibet retinet suam consecrationem: quia licèt non fuerint consecratæ ut duo individua, fuerunt tamen consecratæ in suo principio: ac proinde quodlibet individuum permanet consecratum. Idè ergo dicendum est de duobus vinis in uno tertio permixtis.

734 Nec huic Solutioni opponitur D. Thomas. Loquitur enim, quando vinum non consecratum miscetur consecrato, ita ut per totum diffundatur: in quo casu fit tertium individuum ex utroque, quòd cum non sit ratione omnium suarum partium consecratum, potest dici quod in illo non remanet Sanguis Christi.

735 Quia tamen hoc valde difficilè potest percipi, docent Auctores, vinum illud sic permixtum religiosè esse tractandum quoadusque clarè innotescat, accidentia in illo vini non manere: eò quòd summa illa partiù divisio & penetratio ad veram Mixtionem requisita rarò contingere potest: vel quia non potest repetiri nisi inter liquores valde subtilis, vel quia ad

ad id requiritur multum temporis, vehementisque commotio. Si verò utrumque sit vinum consecratum (in quo casu procedit Argumentum) tertium, quod resultat, permanebit etiam consecratum.

## ARTICULUS II.

*Quomodo Elementa manent in Mixto?*

## §. I.

*Quibusdam suppositis, prima conclusio stabilitur.*

736 **S**upponendum est primo, Elementa aliquo modo in Mixto permanere: aliàs Mixtio non esset miscibilium unio, sed adæquata corruptio, quod manifestè repugnat essentia Mixtionis in ejus definitione superius explicatæ.

737 **S**ecundò supponendum est Elementa non manere in Mixto virtualiter ratione cujusdam mediæ qualitatis ex illis derivatæ, quæ virtualiter contineat qualitates Elementorum, & ex illis sit virtualiter composita, formaliter tamen simplex.

738 **R**atio hujus Suppositi est, Nam si Elementa tantum permanerent in Mixto ratione prædictæ mediæ qualitatis, è medio tolleretur viventis Mixti corruptio, ipsiusque conservatio; hoc autem non est dicendum: ergo &c. Probatur Major, Eatenus enim homo

in vitâ conservatur, quatenus primæ qualitates ad temperamentum sunt redactæ; & idèò corrumpitur, quia hujusmodi qualitates inter se pugnant, & una prædominatur alteri; sed si Elementa tantum permanerent in Mixto ratione prædictæ qualitatis, numquam hoc contingere posset: ergo &c. Major, & Consequentia constant.

739 **M**inor autem probatur. Nam qualitas illa, juxta Auctores eam adstruentes, est simplex formaliter, licet composita virtualiter: ergo ubi illa præcisè fuerit, nec potest esse temperamentum qualitatum ad vitæ conservationem requisita, nec ipsarum contrarietas ad corruptionem exactam. Probatur Consequentia, Hujusmodi namque qualitas omnes alias continens qualitates nequit sibiipsi esse contraria, aliàs seipsam corrumpere: nec potest alias ad temperamentum reducere, quæ ibi non sunt: ergo &c. Probatur Antecedens. Nam ad contrarietatem qualitatum requiritur mutua actio & reactio. Cum ergo quodlibet Mixtum sit ab intrinseco corruptibile, in seipso debet habere principium corruptionis; sed hæc non aliter exercetur, quàm mediis qualitibus pugnantibus inter se: nec aliter vita conservatur, quàm prædictis qualitibus temperatis: ergo Elementa nequeunt in Mixto permanere mediâ illâ qualitate alias virtualiter continente, sed necessaridò requiritur quoddam formaliter in Mixto permanens.

740 Hæc de causâ dixit Philosophus quòd in quolibet vivente est compositio quatuor primarum qualitatum; si autem huiusmodi qualitates essent virtualiter contente in tertiâ prædictâ qualitate, non esset vera compositio, quod tamen est falsum.

741 Divus etiam Thomas quæst. 5. de Malo, artic. 5. ad 6. docet. *Quod ita sunt contrariæ qualitates in corpore mixto, sicut sunt contrariæ Elementa in Mundo*; sed Elementa non sic sunt in Mundo cõtraria, ut ad unicum redigantur: ergo qualitates quæ sunt in Mixto non sunt ad unicam redactæ, sed divisæ.

742 Tertiò supponendum est contra Scotum, & alios Elementa virtualiter permanere in Mixto, quatenus hujus forma substantialis continet eminenter formas Elementorum, quemadmodum anima rationalis continet eminenter formam vegetativam & sensitivam. Probatur hæc Suppositio. Nam forma eminentialiter continens inferiores formas est principium operationum tantum formarum perfectiori modo ac ipsæ formæ; sed forma Mixti non perfectiori modo, immò nec æquè perfectè operatur ac formæ Elementorum: ergo formæ Elementorum nequeunt in formâ Mixti eminentialiter contineri. Major constat, *Tum* in eadem animâ rationali, quæ, quia eminentialiter continet vegetativam, & sensitivam, perfectiore modo quàm illæ

est principium vegetandi, & sentiendi. *Tum* etiam in existentia, & subsistentia divinâ, quæ propter eandem rationem, perfectiori modo reddunt naturam humanam Christi Domini existentem & subsistentem, quàm si eadem natura humana propriam haberet existentiam & subsistentiam.

743 Minor autem non minus certa videtur. Nam Mixtum (ut quotidianâ experientiâ comprobatur) ratione continentia ignis, & aquæ, non ita perfectè calefacit, & infrigidat, sicut ignis, & aqua; sed si eminentialiter ignem, & aquam contineret, perfectius infrigidaret, & igniret; sicut de animâ rationali dicebamus, quæ perfectiori modo tribuit effectum vegetandi, & sentiendi, quàm anima vegetativa, & sensitiva, eò quòd has formas eminentialiter continet: ergo formæ Elementorum minime in formâ Mixti eminentialiter continentur.

744 Confirmatur. Si forma Mixti contineret formas Elementorum eo modo, quo anima rationalis continet gradum vegetandi, & sentiendi, sicut huiusmodi gradus de homine prædicantur, verum enim est dicere: *Homo est vegetativus, & Homo est sensitivus*; ita etiam formæ Elementorum de quolibet Mixto dicerentur; unde quodcumque Mixtum verè esset quodlibet Elementum; hoc autem aperte constat esse falsum: ergo forma Mixti non continet eminenter formas

Elementorum. His igitur præsup-  
politus, sit

745 *Prima Conclusio.*

Elementa non manent formaliter in Mixto. Conclusio hæc est contra aliquos Philosophos antiquos, & recentiores Medicos. Et probatur primò ratione communi. Nam manere Elementa formaliter in Mixto, idem est, ac in eodem Mixti composito esse plures formas substantiales; sed hoc repugnat, ut supponimus ex Libris Physicorum: ergo Elementa non possunt in Mixto formaliter permanere.

746 *Secundò*, Nam si formæ Elementorum essent in Mixto, vel informarent eandem partem materiæ Mixti, vel diversam; sed neutrum potest dici: ergo formaliter in ipso non manent. Minor quoad primam partem probatur, Nam si formæ Elementorum essent in eadem parte materiæ Mixti, eorum qualitates eodem modo essent in illâ parte, ac sunt in ipsis Elementis; sed in Elementis sunt in summo, & sunt contrariæ: ergo jam plures qualitates contrariæ, & in summo essent in eadem parte materiæ. Sed hoc juxta communem Sententiam naturaliter repugnat, secundum veriolem autem, etiam supernaturaliter implicat: vera est ergo Minor quoad primam partem. Quoad secundam verò non minùs est certa. Si enim illæ formæ non reciperentur in eadem parte materiæ, ex illis non

fieret Mixtum, sed quoddam ex pluribus specie formis aggregatum.

747 *C*ontra hanc Conclusionem opponunt Adversarii primò Philosophum hic dicentem, quòd quando Elementa veniunt ad Mixtionem, non corrumpuntur: ergo formaliter in Mixto perseverant.

748 *Secundò*. Nam Mixtum resolvitur in Elementa; sed nihil resolvitur in ea, quæ in ipso formaliter non existunt: ergo Elementa formaliter manent in Mixto. Minor, & Consequentia constant. Major autem probatur experientiâ. Nam si ligno viridi applicetur ignis, egreditur aqua; in evaporatione autem ascendit aër, in flammâ verò ignis, & in cineribus tandem manet terra: ergo Mixtum in quatuor resolvitur elementa.

749 *Tertiò*. Nam Philosophus hic Textu 84. sic ait: *Videntur enim quæ miscentur, priùs ex separatis convenientia, & possibilia separari rursus: ergo juxta Philosophum, Elementa possunt à Mixto separari: & consequenter formaliter sunt in illo.*

750 Confirmatur primò experientiâ. Nam si aqua miscetur vino, potest per artem unus liquor extrahi ab altero: ergo factâ Mixtione, utrumque ibi miscibile formaliter perseverat.

751 Confirmatur secundò ex Diffinitione Mixtionis, & Miscibilis. In illâ namque dicitur, quòd

quòd Est *Miscibilium alteratorum unio*: ergo *Miscibilia* tantùm alterantur, non autem corrumpuntur; proindeque formaliter permanent. In *Diffinitione* autem *Miscibilis* vel *Elementi*, ut infra videbimus, dicitur, quod est *intus existens*; sed quod intus existit non corrumpitur: idem ergo quod prius.

752 Respondetur ad primum, quòd quando *Elementa* veniunt ad *Mixtionem* non corrumpuntur quidem quoad suas qualitates, ut in *secundâ Conclusionem* videbimus; corrumpuntur verò quoad formas *substantiales*. Quare *D. Thomas* hîc *Leçt. 25.* in fine docet, quòd *Mixtio est miscibilium alteratorum, id est, corruptorum secundum formas, unio*. Unde verificatur *Elementa* corrumpi & non corrumpi, secundùm *diversas* tamen rationes, quod nullum est inconueniens.

753 Ad secundum respondetur negando *Minorem*. Licet enim *Elementa* formaliter in *Mixto* non existant, in illa *resolvi* potest, quia existant in illo *virtualiter*, ut videbimus. Ad *experientiã* respondetur, illud *lignum* non *resolvi* in *Elementa*: nam *aqua*, quæ ibi apparet non est *Elementum*, sed *humor* quidam *virtute ignis & caloris* expulsus, ut disponatur *lignum*, & in illo *introducatur forma ignis*. Si autem velis *humorem illum & flammam* à *ligno* egredientia esse *veram aquã*, & *ignem*, dicendum est non esse *formaliter in ligno contenta*, sed tunc per *accidens generata*,

754 Ad tertium respondetur, *sensum Aristotelis esse*, *Miscibilia* posse *separari* quatenus ex *Mixto* possunt *generari Elementa*, quæ in illo *virtualiter continentur*.

755 Ad primam *Confirmationem* respondetur quòd in ipso *fieri Mixtionis aquæ & vini* potest per *artem fieri separatio*: *transacto* verò *tempore* (requiritur quippè *têpus* ut fiat, cùm *Mixtio* sit *motus successivus*, non autè *mutatio instãntanea*) talis non potest fieri *separatio*: quod enim *semel corruptum* est, nullã potest *arte redire*; *Elementa* autem per *Mixtionem* *substantialiter* corrumpuntur; unde *illorum formæ* nõ possunt à *Mixto* extrahi, à *privatione* enim ad *habitu* non datur *regressus*. Quod si *vinum & aqua* separantur, tunc *casus* non *miscentur*.

756 Ad secundam *Confirmationem* dicendum est, *idèd Philosophum dixisse alteratorum*, non autem *corruptorum*, ut *ianueret Elementa* per *Mixtionem* non omninò *perire*, sed *aliquã ratione*, *virtualiter scilicet in Mixto remanere*: ad hoc enim *alterantur*, ut *eorum formæ substantiales* corrumpantur, & *nova forma* *substantialis Mixti* generetur. Nec hoc potuit *Philosophus negare*: nam *juxta ipsum*, *Generatio unius est Corruptio alterius*. Quare si per *Mixtionem* *nova* *substantialis forma* *produci* tur, *necessarium est*, quòd *formæ Elementorum*, quæ *Mixtionem ingrediuntur*, *corrumpantur*.

illud, quod dicitur de Elemento. Licet enim *intus existat* in mixto, nō existit tamen formaliter, sed virtualiter, secundum suam nimirum qualitatem, non verò secundum formam substantialem. Si autem illa particula *intus existens* intelligatur de existentia formali, dicendum est Philosophum nomine Elementi materiam primam intellexisse: quia prima principia, quale est materia prima, etiam dicuntur Elementa.

## §. II.

*Secunda Conclusio statuitur.*

758 **S**ECUNDA Conclusio. Elementa manent virtualiter in Mixto, quatenus primæ quatuor qualitates in illo formaliter perseverant. Conclusio hæc est Philosophi in hoc Libro textu 84. sic dicentis: *Neque manent igitur actu Elementa, ut corpus, & album, neque corrumpuntur, neque alterum, neque ambo, salvatur enim virtus eorum: quem sequitur D. Thomas ibidem lectione 24. in fine. Idem docet 2. cōtra Gent. cap. 55. opusc. 33. in fine: & 1. p. quæst. 76. art. 4. ad 4. ubi sic inquit: Secundum Philosophum in primis de Generatione, formæ Elementorum manent in Mixto non actu, sed virtute: manent enim qualitates propriæ Elementorum, licet remisse, in quibus est virtus formarum elementariū.*

759

Probatur ratione.

Nam Elementa aliquo modo manent in Mixto ut omnes fatentur; sed non manent in illo ratione cuiusdam mediæ qualitatis ex ipsis derivatæ, nec ratione formæ Mixti eminentialiter Elementorum formas continentis, nec quia ipsæ formæ Elementorum in Mixto permaneant, ut omnia hæc supposita relinquimus & probata: ergo tantum manent in Mixto, quatenus eorum qualitates in ipso formaliter perseverant. Patet Consequentia. Non est enim alius excoigitatus modus, quo Elementa in Mixto permaneant.

760

Observandum est tamen, qualitates manentes in Mixto non esse easdem numero cum illis, quæ erant in Elementis, sed tantum easdem specie: quod sufficit, ut verè dicatur Elementa virtualiter in Mixto permanere. Ratio primi est, Accidentia namque, quæ fuerant in corrupto, non perseverant in genito, aliàs daretur transmigratio formarum de subiecto in subiectū, quod repugnat; sed quando Mixtum generatur, Elementa corrumpuntur: eorum igitur qualitates non manent eadem numero.

761

Secundum etiam est certum. Nam calor, qui est in aquâ, diversus numero est à calore, qui est igne, & specie tantum est idem; & tamen ignis virtualiter dicitur in aquâ permanere, & aqua in virtute ignis calefacere: quamvis ergo qualitates Elementorum non maneant eadem



dem numero in Mixto, sed specie, verè & propriè dicetur Elementa virtualiter in Mixto permanere.

762 Dices: Prædictæ qualitates sunt in Mixto ut in subjecto: ergo agunt in virtute Mixti, non autem in virtute Elementorum; & consequenter Elementa ratione harum qualitatum non manent virtualiter in Mixto. Secunda Consequentia ex primâ colligitur. Prima verò probatur. Nam omne accidens in virtute illius operatur, à quo habet esse; sed prædictæ qualitates habent esse à Mixto: ergo in virtute Mixti operantur.

763 Respondetur, quòd accidens potest esse vel in subjecto proprio & connaturali, vel in subjecto extraneo. Quando autem fuerit in subjecto connaturali, quia ab illo habet esse, ab illo etiam habet operari; sicut calor existens in igne. Si autem fuerit in subjecto extraneo, non operatur in virtute illius; sicut idem calor existens in aquâ, non operatur in virtute aquæ; sed ignis, quia non est connaturalis aquæ, sed igni: ignis enim est calidus per naturam; aqua verò per participationem; omne autem quod est tale per participationem ad illud reducitur, & in virtute illius operatur, quod est tale per naturam.

764 Qualitates ergo, cum sint formæ accidentales, à formis substantialibus perficiuntur; unde oportet omnem earum efficaciam in virtutem substantialis formæ re-

ducere, cui sunt connaturales: quod constat in luce, cujus efficacia in Solem reducitur, ubicumque talis lux reperitur.

765 Ex quibus constat, quòd qualitates Elementorum, cum sint illis connaturales, & illarum vis operativa, in ipsa debent Elementa resolvi, in Mixtum autem tamquam in subjectum non connaturale: & consequenter ab illo non perficiuntur, sed solum est subjectum utens illis. Quæmodum animal, quod est Mixtum, utitur quidem calore, quem participat, refertur tamen in ignis Elementum tamquam in proprium subjectum, à quo & esse, & virtutem habet operandi.

§. III.

*Soluuntur Argumenta.*

766 ARGUITUR primò. In Mixto manent formaliter qualitates Elementorum: ergo & ipsa Elementa. Probatur Consequentia, Quia nullum accidens potest sine proprio subjecto manere absque miraculo, ut constat in Sacramento Eucharistia; sed qualitates habent proprio subjecto: ergo si illæ permanent, etiam ista.

767 Idem fit Argumentum è converso. In Mixto corrumuntur Elementa quantum ad eorum formas substantiales: ergo eorum etiam qualitates corrum-

pantur. Probatur Consequentia. Destructâ namque substantiâ & subjecto accidentium, impossibile naturaliter est ipsa accidentia remanere; sed substantia & forma Elementorum est subjectum illarum qualitatum: ergo substantiâ Elementorum destructâ, eorum etiam destruantur qualitates.

768 Respondetur distinguendo Antecedens, manent formaliter quoad speciem, concedo Antecedens, quoad numerum, nego Antecedens, & Consequentiam. Ad cujus probationem distinguo Majorem, non potest manere quoad numerum, concedo Majorem, quoad speciem, nego Majorem, & concessâ Minore, distinguo Consequens, si illæ permanent quoad numerum, concedo Consequentiam, si quoad speciem tantum, nego Consequentiam. Idem nâque numero accidens non potest absque proprio subjecto, nisi per miraculum, permanere: & hoc tantum probat Argumentum; ut autem idem permaneat quoad speciem, nullum est miraculum necessarium: ut constat in calore ab igne in aquâ causato, qui licet non sit idem quoad numerum, idem est tamen quoad speciem.

769 Ad secundam partem Argumenti eodem modo respondetur, quod destructis Elementis quantum ad formas substantiales, possunt manere quantum ad eorum qualitates secundum unitatem specificam, non verò secundum numericam. Et hoc patitur

manifestam instantiam in Sententiâ asserentium Elementa manere in tertiâ mediâ qualitate, quæ remanet in Mixto, quamvis Elementa destruantur: ergo possunt Elementa corrumpi, & eorum virtutes remanere.

770 Dices: Qualitates, quæ sunt in Elementis, non possunt manere in Mixto: ergo nulla est assignata Solutio, nec Instantia. Probatur Antecedens. Nam qualitates, quæ sunt in Elementis, sunt in gradibus intensis, & contrariæ; sed plures qualitates contrariæ, & in gradibus intensis, juxta veriorum Sententiam, non possunt simul esse in eodem subjecto: ergo quamvis sint in Elementis, in Mixto esse non possunt.

771 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus probationem concessâ Majore, & Minore, distinguo Consequens, in Mixto esse non possunt in gradibus intensis, concedo Consequentiam, remissis, nego Consequentiam. Licet enim qualitates Elementorum maneant in Mixto, non tamen cum eadem intensione ac sunt in Elementis: quia ut supra num. 758. vidimus ex Div. Thomâ: *Formæ Elementorum manent in Mixto non actu, sed virtute: manent enim qualitates propriæ Elementorum, licet remissæ.* Quod autem plures qualitates contrariæ in gradibus remissis in eodem sint subjecto, non repugnat.


772 **A**RGUITUR secundò. Idèò dicimus Mixtum continere virtualiter Elementa, quia continet quatuor illorum qualitates; sed hoc non sufficit, ut dicatur Mixtum virtualiter Elementa continere: ergo ratio, quâ probamus Mixtum virtualiter Elementa continere, nulla est. Probat<sup>ur</sup> Minor. Sequeretur enim, unum Mixtum continere virtualiter omnia Mixta, & unum Elementum aliud; hoc autem est impossibile: ergo & quod Mixtum virtualiter contineat Elementa. Probat<sup>ur</sup> Major, Quia unum Mixtum continet qualitates repertas in aliis Mixtis: & similiter unum Elementum continet qualitates alterius, ut aër continet in virtute calorem ignis: ergo vel continet virtualiter ipsum ignem, vel Mixtum non continebit virtualiter Elementa.

773 Respondetur negando Minorem. Ad probationem nego Sequelam. Ad cujus probationem distinguo Antecedens, continet aliquas qualitates alterius, transeat Antecedens, omnes, nego Antecedens, & Consequentiam. Unum igitur Elementum non potest aliud continere: tum, quia qualitas in uno reperta non derivatur ex alio.

Tum etiam quia non habet omnes qualitates alterius; ut constat in Aère continete calorem Ignis, non continentet amen illius siccitatem. Mixtum autem cõtinet omnes qualitates Elementorum ab eisdem provenientes & derivatas; quapropter hujusmodi qualitates operantur in Mixto virtute Elementorum, quæ sunt propria & connaturalia subjecta talium qualitatum. Nec unum Mixtum continet omnia alia Mixta, quia non continet omnes eorum qualitates, sed tantum communes & non proprias cujuscumque. Cum autem quatuor qualitates elementares semper reperiantur in quolibet Mixto; in Mixto verò qualitates alterius Mixti non contineantur; verè dicitur; quòd quodlibet Mixtum continet omnia Elementa, non tamen alia Mixta.

774 Si autem inquiras, An qualitates Elementorum, quæ in Mixto reperiuntur, sint ipsi Mixtis connaturales? Respondetur affirmativè, si tamen illæ qualitates cõsiderantur ut refractæ quia prout sic sunt propriæ Mixtorum: non verò si secundum se considerentur; prout sic enim tantum sunt propriæ Elementorum.





# LIBER II.

## DE GENERATIONE ET CORRPTIONE.

### QVÆSTIO I.

#### DE ELEMENTIS, EORVMQVE QUALITATIBVS.

#### ARTICVLVS I.

*Quid sit, & quotuplex Elementum, & quæ primæ qualitates?*

§. I.

*Traditur Elementi Definitio.*

**E**lementum generaliter sumptum sumitur pro quovis rei principio: quâ ratione literæ respectu dictionis, materia etiam & forma respectu compositi, Elementa nuncupantur. De Elemento igitur sub hâc communi ratione non loquimur, sed magis pressè strictèque; de Corpore nimirum simplici, ex quo alia corpora

componuntur, & in quod tandem resolvuntur.

2 Elementum igitur sic acceptum hoc modo definit, aut descripsit Philosophus lib. 3. de Cœlo, textu 31. *Sic itaque Elementum corporum, ad quod alia corpora dividuntur, intus existens potentia, aut actu... ipsum autem est indivisibile in altera specie.* In quâ Definitione, aut Descriptione per illam particulam *corporum* denotatur, Elementum debere esse corpus, in quo convenit cum mixtis; & per eam excluditur materia;

& forma, quia non sunt corpora ex materiâ & formâ composita: quâ ratione materia non dicitur corpus, sed pars corporis, & idem est de forma. Unde prima principia solâ dicuntur universalia Elementa, ut docet D. Thom. citato loco prædictam Diffinitionem exponens.

3 Ad quod alia corpora dividuntur, denotat quodlibet corpus ex Elementis compositum, in ipsa Elementa resolvi. Est etiam de ratione Elementi, quod in mixto, quod componit, existat, sive actu, sive potentiâ, ut supra diximus. Per ultimam particulam *indivisibile in alterâ specie*, denotatur differentia inter mixta & Elementa: illa enim possunt resolvi in diversa secundum speciem, secus verò ista.

4 Nec obest si primò obijcias, illam particulam *actu* opponi iis, quæ supra diximus, Elementa scilicet actu in mixto non manere: ergo vel falsa est illa doctrina, vel illa particula *actu* non benè Diffinitioni Elementi apposita.

5 Secundò contra ultimam particulam opponens, Nam in quolibet corpore reperiuntur plures partes integrales, in quas est divisibile, & ipsum non est divisibile in alias specie distinctas. Si enim lignum v.g. dividatur, partes in quas dividitur, ab ipso specie non differunt, siquidem sunt etiam lignum.

6 Non, inquam, hæc obstant. Ad Primum enim respondetur, non idè Philosophum apposuisse illas particulas *actu vel potentiâ*, quia putaverit, Elementa

actu in mixto posse remanere, sed idè fuisse sub illâ disjunctione loquutum, quia adhuc sub lite erat, utro horum modo remanerent in mixto: quod tunc non determinavit, sed in hoc Libro determinandum reliquit. Quod autem hic sic Philosophi sensus, ex verbis ipsius manifestè convincitur: hæc enim in Diffinitione, quam ex ipso assignavimus, interponit: *Hoc enim utroque modo adhuc dubitabile.*

Ad secundum respondetur, lignum dupliciter posse dividitur: divisione quâtitativâ & integrali, & divisione alterativâ & corruptivâ: primo modo non dividitur in plura distincta specie, quia est totum homogenium constans partibus ejusdem rationis. Secundo autem modo non dividitur in partes ejusdem rationis, sed resolvitur in Elementa, quæ specie distinguuntur. Desumitur hæc Solutio ex D. Thom. 5. Metaph. lect. 4.

§. II.

Numerus Elementorum assignatur.

8 **D**icendum est, quatuor esse tantum Elementa, scilicet Ignem, & Aërem, Terram, & Aquam. Conclusio est Philosophi, & communis. Ratio autem, quâ illam probat, desumitur ex quatuor primis qualitatibus, Calore, nimirum, & Frigore, Humiditate, & Siccitate. Et potest ad hanc formam reduci. Quatuor sunt tantum primæ qualitates: ergo quatuor sunt tantum

Elementa. Probatur Consequentia. Nam ex quatuor primis qualitatibus quatuor tantum possunt fieri combinationes, quæ competant Elementis: ergo quatuor sunt tantum Elementa. Probatur Antecedens. Nam prædictæ quatuor qualitates hoc tantum modo possunt combinari, nempe Calidum cum Sicco, Calidum cum Humido, Frigidum cum Humido, & tandem Frigidum cum Sicco.

9 Secundum quas combinationes quatuor constituuntur Elementa. Calidum enim & Siccum convenit Igni, Calidum & Humidum Aëri, Frigidum & Humidum Aquæ, Frigidum & Siccum Terræ; sed non sunt aliæ primæ qualitates, nec aliæ excogitabiles combinationes, ex quibus constituuntur Elementa: ergo quatuor sunt tantum assignata.

10 Dices: Possè fieri alias duas combinationes, scilicet Calidum, & Frigidum, Humidum, & Siccum: ergo Ratio, quam assignavimus, est nulla.

11 Respondetur, hanc Objectionem sibi ipsi opposuisse Philosophum, Cui tamen facilè respondet, huiusmodi combinationes repugnare, *Calidum enim* (inquit) *& Frigidum esse idem, & rursus Humidum & Siccum, impossibile.* Ratio autem impossibilitatis est, quia duo contraria, ut infra videbimus, in gradibus intensis non possunt esse simul; Calidum autem & Frigidum, Humidum & Siccum contrariantur, & in Ele-

mentis deberent esse summè intensa.

12 Contra Elementorum numerum objicies. Si darentur quatuor Elementa, quatuor etiam deberent dari differentie loci; hoc autem est falsum, cum non dentur nisi duæ tantum loci differentie, sursum scilicet & deorsum: ergo falsum est quod dentur quatuor elementa.

13 Respondetur quod differentie loci sunt duæ tantum in Argumento assignatæ: ad Ignem enim, & Aërem pertinet locus sursum; ad Terram verò, & Aquam locus deorsum; non ita tamen quod æqualiter illis competant: sed Ignis, qui est simpliciter Levis, simpliciter fertur sursum, Terra verò, quia est simpliciter gravis, simpliciter fertur deorsum. Media autem Elementa, qualia sunt Aër & Aqua, participant ex extremis, cum hæc tamen differentia, quod Aqua, quæ magis habet de gravitate, quam de levitate, magis participat de Terræ: & idè Terræ & Aquæ unicus tantum datur locus. Aër verò quia plus habet de levitate, quam de gravitate, idè magis participat de Igne, quam de Terræ, unde idem locus illi correspondet, ac Igni. Levitas ergo & gravitas in summo correspondent Igni & Terræ; citra summum Aëri & Aquæ. Quare huiusmodi quatuor Elementa non occupant nisi locum sursum & deorsum; juxta distributionem assignatam.

ARTICVLVS II.

*Quæ qualitates, & quomodo cui-  
libet convenient Elemento?*

§. I.

*Vtraque pars Quæsti resolvitur.*

14 **D**icendum est primò, Ele-  
mento Ignis conveni-  
re Caliditatem, & Siccitatem; Ele-  
mento Aëris Caliditatem, & Hu-  
miditatem; Elemento Aquæ Frigi-  
ditatem, & Humiditatem; Elemen-  
to denique Terræ Frigiditatem &  
Siccitatem. Conclusio hæc est ex-  
pressa Philosophi & D. Thomæ, &  
ab omnibus unanimiter admiffa.  
Vnde non est cur in probatione  
illius immoremur.

15 Dicendum est secun-  
dò, quatuor prædictas qualitates  
hoc modo singulis Elementis con-  
venire: ita nimirum, ut Ignis sit ca-  
lidus in summo, & siccus citra  
summum: Aër sit humidus in sum-  
mo, & calidus citra summum: Aqua  
sit frigida in summo, & humida ci-  
tra summum: Terræ denique sit  
sicca in summo, & frigida citra  
summum. Conclusio hæc videtur  
conformior menti D. Thomæ,  
quamquam opposita sit etiam satis  
in ejus doctrinâ probabilis.

16 Probatur primò ex  
Philosopho hic textu 23. sic di-  
cente: *Cum simpliciter quatuor  
sunt, unius unumquodque est. Terra*

*enim sicci magis quam frigidi,  
Aqua autem frigidi magis quam  
humidi, Aer autem humidi magis  
quam calidi, Ignis autem calidi  
magis quam sicci.*

17 Quem sequens & ex-  
plicans D. Thom. ibi lect. 3. literâ  
E. sic ait: *Ostendit quæ qualitas in  
quolibet Elemento dominetur, di-  
cens, quòd Elementa, cum sint qua-  
tuor, & quodlibet habeat duas  
qualitates, non tamen habet eas  
æqualiter, sed unumquodque est  
unius, id est, in unoquoque domina-  
tur una; sicut in Terra magis domi-  
natur siccitas quam frigiditas: in  
Aqua magis frigiditas quam hu-  
miditas: in Aère magis humiditas  
quam caliditas: in Igne verò magis  
dominatur caliditas quam siccitas.*  
Id ipsum & expressius adhuc do-  
cuit lib. de Sensu & Sensato expli-  
cans Philosophum dicentem: *Sicca  
enim Ignis natura: sed proprium  
Ignis calidum est. Quamvis qua-  
tuor prædictarum qualitatum duæ  
singulis conveniat Elementis, In  
singulis tamen (inquit) Elementis  
singule harum qualitatum princi-  
paliter inveniuntur quasi proprie  
ipsis.*

18 Deinde probatur ratione.  
Nâ in quolibet Elemêto debet ali-  
qua qualitas in summo reperiri, in-  
nullo autem possunt reperiri duæ  
qualitates in summo: ergo vera est  
nostra Conclusio. Anteced. quoad  
primam partem constat. Nam que-  
libet prima qualitas debet esse in  
aliquo subiecto cum omni eâ na-  
turali perfectione, quam potest ha-  
bere;

beret; sed hanc perfectionem nec habet, nec habere potest in mixto, in hoc enim est refracta: ergo illam habet in elemento, hoc enim est connaturale subjectum illius.

19 Quoad secundam verò partem, in quâ est difficultas, probatur idem Antecedens. Quilibet prima qualitas in summo est ultima dispositio ad formam substantialem, sicut calor in summo est ultima dispositio ad formam ignis; sed in nullo subjecto possunt connaturaliter esse duæ ultimæ dispositiones ad duas formas substantiales, aliâs tales formæ possent in eodem subjecto simul esse: ergo in nullo Elemento possunt reperiri duæ qualitates in summo.

20 Contra distinctionem assignatam primarum qualitatum Arguitur primò. Terræ convenit summa frigiditas: ergo ipsa non convenit summa siccitas. Probatur Antecedens. Tum, quia maxime distat à Cœlo, cujus lux & motus est causa caloris: ergo est maximè frigida. Tum etiam, quia maximè distat ab Igne, qui est summè calidus: ergo ipsa est summè frigida.

21 Confirmatur. Si esset aliquod aliud Elementum, cui summa frigiditas conveniret, maximè Aqua; huic non convenit: ergo Terræ. Probatur Minor, Nam si Aqua esset summè frigida, semper esset naturaliter congelata; hoc autem experienciâ constat esse falsum, frequentius enim est fluida: ergo, &c.

22 Respondetur, quòd sicut duplex est calor, alter elementaris, qui provenit ab Igne, alter verò cœlestis, qui à Cœlo causatur; ita etiam est duplex in his inferioribus frigiditas, alia elementaris & intrinseca cuilibet Elemento: alia extrinseca & cœlestis à Cœlo in his inferioribus causata. Quâdo autem diximus Terram esse summè siccam, & citra summum frigidam, loquuti sumus de Siccitate & frigiditate elementari & intrinsecâ, non verò extrinsecâ & cœlesti: sub hâc enim ratione Terra est frigidior Aquâ, & sub illâ, Aqua est frigidior Terrâ.

23 Ad Confirmationem respondetur negando Minorem. Ad cujus probationem neganda est Major. Congelatio namque ex solâ frigiditate non provenit, sed ex frigiditate admixtâ siccitate; siccitas autem non convenit naturaliter Aquæ, sed ex vaporibus Terræ: unde non semper congelatur, cum non semper requisitus in illam vapor exhaletur.

24 Arguitur secundò. Nam Aqua est humidior Aëre: ergo Aër non est humidior Aquâ. Probatur Antecedens, Tum experienciâ: persæpè quippè videmus vestes plus Aquâ humectari, quàm Aëre. Tum etiam, Nam ipsæ humectatæ vestes, non Aquâ, sed Aëre desiccantur: Ergo, &c.

25 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus utramque probationem dicendum est, idè aërem magis exiccare, & Aquam



magis humectare, quia aliqua qualitas ipsis extranea ab aliis Elementis proveniens admiscetur: quod convenit conservationi mixtorum.

§. II.

*Aliæ Difficultates resolvuntur.*

26 **I**nquires primò: *Quomodo definiantur prima Qualitates?* Respondetur ex Philosopho, & D. Thomâ hinc Lectione 2. sic optimè definiiri: *Calidum est, Quod congregat homogenia sibi. Frigidum est Quod congregat & conjungit & homogenia, & heterogeneia.* Humidum est, *Quod facillè suscipit terminum alienum, difficulter autem proprium.* Siccum è contrario est *Quod facillè terminatur termino proprio, difficillè tamen alieno.*

27. Ad has quatuor primas Qualitates reducunt hic Philosophus & D. Thomas omnes alias, quales sunt *Subtile, Grossum, Lubricum, Aridum, Durum, Molle.* Quod breviter ex ipsis explicatur. *Subtile* enim est effectus *Humidi*, *Grossum* autem *Sicci*. Nam cum Humidum sit, ut vidimus, *Quod facillè suscipit terminum alienum, difficulter autem proprium,* est repletivum; sed *subtile* est repletivum: suâ enim ipsius subtilitate quodlibet minimum subintrat: ergo *Subtile* est effectus *Humidi*, ad ipsumque reducitur,

Ex quo deducitur, per oppositum, *Grossum* esse effectum *Sicci*: quod facillè discurrenti constabit.

28 *Lubricum* autem reducitur ad *Humidum*. Tunc enim aliquid sit *Lubricum*, quando *Humidum* patitur commixtionem subtilis terrei & est unctuosum. *Aridum* verò per oppositum idem est ac perfectè *Siccum* nil retinens subtile terreum, nec humidum unctuosum: ergo *Lubricum* reducitur ad *Humidum*, *Aridum* autem ad *Siccum*.

29 Similiter *Molle* reducitur ad *Humidum*, & *Durum* ad *Siccum*. Ratio prioris est, Nam *Molle* cedit tangenti. Differt tamen ab *Humido*, quia *Humidum* transmutat tangens, quia humectat; sed *Molle* in quantum tale non transmutat tangens: & consequenter *Molle* non est *Humidum*, est tamen effectus *Humidi*. Ratio verò posterioris est, Quia *Durum* est *Quod tangenti non cedit*, quia est coagulatum; sed coagulatum causatur à *Sicco*: ergo *Durum* est effectus *Sicci*.

30 Aliæ quoque dantur *Humidi* & *Sicci* differentia. Est enim quoddam humidum, quod habet humiditatem in profundo: & hoc potest esse dupliciter. Si enim habeat propriam humiditatem, quemadmodum uva, proprie dicitur *Humidum*. Si vero habeat humiditatem extraneam sicut sponsa, dicitur *Humidum infusum*, udum, vel ut Commentator nominat, irroratum.

31 Siccum etiam multipliciter dicitur: Aliud est enim Siccum, Corpus scilicet grossum, & aridum in superficie: aliud verò Siccum coagulatum, quod habet humiditatem in profundo. Quocumque autem modo considerentur hæc Sicca, & illa Humida, sunt effectus primi Humidi, & primi Sicci.

32 De Aspero autem & Leni, quamvis nullam hæc Philosophus faciat mentionem; manifestum est illud ad Siccum, hoc verò ad Humidum reduci, ob rationem, quam adfert D. Thomas. Asperum enim est *Quod habet siccitatem in superficie, quæ inequaliter partes ejus constare facit.* Lene autem est *Quod in superficie habet humorem, qui equaliter facit fluere partem ad partem:* Ergo Asperum est effectus Calidi, & Lene Sicci.

33 Inquires secundò: *Quarè primæ Qualitates dicantur primæ?* Respondetur, Ideò primas dici, quia omnes aliæ ad ipsas reducuntur ipsæ autè nõ reducuntur ad alias.

34 Inquires tertio, *An primæ Qualitates sint activæ, vel passivæ?* Respondetur omnes illas esse activas & passivas, Quia sunt inter se contrariæ, & agendo & patiendò mutuo ab eodem subjecto se expellunt.

35 Dices, Philosophus hæc textu 9. & D. Thomas ibidem Lect. 2. docent quod *Calidum, & Frigidum sunt activa, Humidum, & Siccum sunt passiva;* ergo non

omnes primæ qualitates sunt activæ simul & passivæ.

36 Respondetur ex eodem D. Thoma 4. Metaph. Lect. 1. quòd quando Philosophus asserit duas qualitates esse activas, & duas passivas *Intelligi debet quantum ad victoriam unius supra aliam in corpore mixto, quia secundum se, qualibet sunt activæ, & qualibet passivæ, cum sint contrariæ adinvicem.*

37 Inquires quartò: *An unum Elementum possit ex altero generari?* Dicendum est primò, quodlibet Elementum posse alterum generare. Probatur. Quia inter omnia Elementa datur contrarietas: ergo quodlibet Elementum potest alterum generare. Consequentia constat, Generatio enim est ex contrariis, & inter contraria, cum sit transitus de non esse ad esse, quod contrarietatem importat. Antecedens verò probatur. Contrarietas namque inter Elementa attendi debet penes eorum qualitates; sed qualitates Elementorum sunt contrariæ: ergo ipsa Elementa sunt contraria. Major, & Consequentia constant.

38 Minor autem probatur. Ignis enim ratione Caliditatis, & Siccitatis contrariatur Aquæ, quæ est Frigida, & Humida: Aër autem qui est Calidus, contrariatur Aquæ: Terra verò, quæ est frigida, contrariatur Aëri & Igni: ergo ratione duarum qualitatum, vel saltè unius, datur sufficiens contrarietas, ut quodvis Elementum possit aliud generare,

cùm nullum sit, quod cum altero in duplici qualitate conveniat.

39 Dices: Non potest dari transitus de uno extremo ad aliud, nisi per medium: ergo quando duo Elementa se habent ut extrema in contrarietate, sicut contingit in Igne, & Aquâ, quæ in nullo conveniunt, sed sunt extremè opposita, non poterit unum immediatè ab altero generari.

40 Respondetur distinguendo Antecedens, non potest dari transitus successivus & localis de uno extremo ad aliud, nisi per medium, concedo Antecedens, non potest dari transitus, qui sit mutatio instantanea, nego Antecedens, ex Consequentiam. Licèt enim non possit dari transitus, successivus & localis de uno extremo ad aliud, nisi per medium; transitus tamen, qui est mutatio instantanea, qualis est Generatio Elementorum, dari potest, *Tum*, quia non indiget medio, quod prius percurratur. *Tum* etiam, quia materia Elementi habet immediatam habitudinem ad formam Elementi; unde formæ Elementorum ita sunt immediatæ materiæ, ut non sit necessarium alias præcedere Generationes. Quare D. Thom. in 2. dist. 12. quæst. 1. art. 4. in corpore docet ex Commentatore 11. Metaph. quòd *Prima habitus, quæ est in materia, est ad formam Elementi.*

41 Dicendum est secundò facilius fieri transitum de uno Elemento symbolo ad aliud symbolum, quàm inter duo Elementa dis-

symbola. Pro cuius intelligentiâ notandum est, illa dici Elementa symbola, quæ in aliquâ Qualitate conveniunt, qualia sunt Ignis, & Aër, quæ licèt differant in Siccitate, conveniunt tamen in Caliditate. Ea verò dicuntur Dissymbola, quæ in nullâ conveniunt Qualitate, qualia sunt Ignis, & Aqua, quæ in nullâ Qualitate conveniunt, sed in utràque sunt contraria. Hoc ergo supposito,

42 Probatur Assertum. In symbolis enim, cùm sit major convenientia, quàm in dissymbolis, consequenter minor est ex parte patientis resistentia: ergo facilius est transitus de uno Elemento symbolo ad aliud symbolum. Probatur Antecedens, Quando enim Ignis agit in Aërem, ejus Humiditatem corrumpendo, agit intendendo calorem in Aëre, Aër autem solum resistit per Humiditatem: quando verò Ignis agit in Aquam per Calorem, & Siccitatem, Aqua resistit per Frigiditatem & Humiditatem, cùm in utràque qualitate disconveniant: ergo minor est resistentia inter Ignem & Aërem, quæ sunt Elementa symbola, quàm inter Ignem, & Aquam, quæ dissymbola; ac proinde facilius erit transitus.

43 Hoc tamen intelligendum est, quando cetera sunt paria: potest enim aliquando contingere, quòd inter Elementa dissymbola facilius fiat transitus, ob defectum debitæ paritatis, potest quippè impedimentum ex aliis qualitatibus

provenire, ex maiore scilicet raritate, aut densitate existente in uno Elemento, quàm in alio. Quapropter licet Terra magis in Siccitate cum Igne symbolizet, quàm Aqua, quæ cum ipso Igne nõ est symbola; quia tamen Terra magis habet de densitate, non ita facilè potest reduci ad raritatem necessariò ad formam Ignis requisitam. Unde si Terra esset æqualis in raritate cum Aquâ, faciliùs transiret in Ignem.

44 Dices: Transmutatio unius Elementi in aliud, ex eorum contrarietate desumitur, hæc enim ratione diximus, ex quodlibet Elemento posse aliud generari; sed inter Elementa dissymbola est major contrarietas, etenim ratione utriusque qualitatis opponuntur, proindeque duplici activitate unum agit in alterum: ergo Elementum dissymbolum faciliùs transit in alterum, quàm symbolum.

45 Respondetur, eate-  
nis contrarietatem ad Generatio-

nem requiri, quatenus hæc est transitus de termino à quo ad terminum ad quem; ut autem sit facilior transitus inter prædictos terminos potius exigitur & juvat minor resistèntia, & major convenientia, licet hæc sit cum contrarietate. Convenientia ergo, quæ inter duo reperitur, tollit impedimenta, quibus poterat actio retardari. Quemadmodum motus, qui spatium, per quod fit, minùs impeditum invenerit, est velocior. Haud dissimiliter ergo, ut unum Elementum generetur ex altero, requiritur quidem contrarietas in aliquâ qualitate, quia transmutatio est recessus ab uno, & accessus ad aliud; major tamè facilitas majorè exigit convenientiã, & præsupponit contrarietate. Ex quo deducitur, quòd Elementa symbola faciliùs transmutantur, quia sunt contraria in aliquâ qualitate, & simul habent majorem convenientiam, in quâ formaliter facilitas in transmutatione consistit.



## QVÆSTIO II.

DE TEMPERAMENTO MIXTORVM, ET REPRODU-  
ctione rerum.

## ARTICVLVS VNICVS.

*Quid sit Temperamentum? Quomodo detur? An  
Qualitates contraria possint in eodem subiecto  
simul esse? Et res semel extincta re-  
produci?*

S. I.

*Duae priores Articuli partes re-  
solvantur.*

46 **T**EMPERAMENTVM nihil aliud est, quàm Plurium inter se distantium & discordantium moderatio: Unde Temperamentum mixtorum, de quo tantum loquimur in præsentî, Est qualitatum elementarium in ipsis virtualiter, ut diximus, permanentium ad mediocritatem reductio.

47 Huiusmodi autem Temperamentum est duplex: Uniforme, & Difforme. Temperamentum *Vniforme* illud dicitur, in quo omnes qualitates eundem habent gradum intensiõnis: quod etiam dicitur Temperamentum æquale ad pondus: si enim datur hoc Tempe-

ramentum, ratione illius omnes qualitates sũnt in æquali pondere, & æquilibrio. Hoc autem temperamentum, cùm in indivisibili consistat, non potest in alia membra subdividi.

48 Temperamentum *Difforme* est illud, in quo primæ qualitates à perfectâ æqualitate recedunt, eò quòd una, vel plures aliis dominantur: & est duplex, *Simp' ex* scilicet, & *Compositum*. Simplex est, in quo una tantum qualitas aliis dominatur, ut si calor v. g. sit ut sex, ceteræ verò qualitates ut duo: & hoc Temperamentum quadrupliciter potest dividi, juxta numerum quatuor primarum qualitatum.

49 Temperamentum *Compositum* illud dicitur, in quo duæ qualitates duabus aliis dominantur:

N

quod

quod etiam, juxta numerum quatuor primarum qualitatum, in quatuor membra dividitur. Quare si Calor & Siccitas dominantur, Temperamentum est Igneum, & in Animalibus Cholericum. Si dominetur Calor, & Humiditas, est Aëreum, & in Animalibus Sanguineum. Si dominantur Humiditas & Frigiditas, dicitur Aqueum, & in Animalibus Phlegmaticum. Si tandem Frigiditas & Siccitas dominantur, Temperamentum erit Terreum, & in Animalibus Melancholicum. His ergo suppositis,

50 Dicendum est non posse dari Temperamentum ad pondus. Conclusio est expressa Philosophi hujus Operis, lib. 1. cap. 10. & Angelici Præceptoris ibidem, *lect. ultimâ*. Quod idem docet in 2. dist. 19. quæst. 1. art. 4. ad 2. & in 3. dist. 16. quæst. 1. art. 1. ad 4. Ex cujus doctrinâ talis deducitur Ratio. In omni mixtione necessarium est, quod aliquod miscibile aliis dominetur: ergo impossibile est Temperamentum ad pondus. Antecedens constat, Ad mixtionem namque necessariò requiritur, quod aliquod miscibile agat in alterum; sed à proportionè æqualitatis non datur actio: ergo in omni mixtione necessariù est, quod aliquod miscibile aliis dominetur.

51 Consequentiâ verò probatur, Eo namque ipso, quod unum miscibile prædominetur aliis in mixtione, necessarium est, quod tale miscibile perseveret prædominans in mixto; sed in mixto manet ratione qualitatis: ergo qualitas miscibilis manet in mixto prædo-

minans; & consequenter non potest in illo dari Temperamentum ad pondus. Patet Consequentiâ. Nam in temperamento ad pondus, nulla debet qualitas aliis dominari.

52 Confirmatur. Si in mixto daretur Temperamentum æquale & ad pondus, mixtum non esset ens per se; hoc est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Minor & Consequentiâ constant. Major autem, vel Sequela probatur. Tunc non est aliquid ens per se, quando omnes illius partes se habent ut actus; sed si in mixto daretur Temperamentum ad pondus, omnes illius partes se haberent ut actus: ergo non esset ens per se. Probatur Minor, Eatenus enim qualitates, quæ manent in mixto, non se habent omnes ut actus, quatenus una agit in alteram; & consequenter quæ agit, se habet ut actus, quæ vero patitur, ut potentia; sed si daretur prædictum Temperamentum, & omnimoda æqualitas qualitatum, nulla illarum in alteram ageret, à proportionè enim æqualitatis non datur actio: ergo &c. Quapropter D. Thomas citato loco ex 2. Sent. *Ad mixtionem* (inquit) *exigitur Elementorû alteratio quam esse non cõtingeret, si penetrètur eorum æquales virtutes; oportet enim, quod virtus alterantis virtutem alteri excedat.*

53 Contra hanc Conclusionem Arguitur primò. Juxta Philosoph. 1. de Cælo, textu 44. Si unum contrariorum est naturaliter possibile, potest etiam dari naturaliter alterum; sed Temperamen-

mentum æquale & inæquale contrariantur, & hoc est naturaliter possibile: ergo & illud.

54 Respondetur, Philosophum intelligendum esse de iis, quæ opponuntur contrariè strictè & rigorosè; æquale autem, & inæquale potius opponuntur privativè, quam contrariè.

55 Arguitur secundò ex D. Thomâ 1. p. quæst. 91. art. 1. in corpore docente hominè habere *maximam æqualitatem complexionis*. Et art. 3. ejusdem quæst. ad 1. ait esse in homine *perfectam complexionis æqualitatem*; sed maxima, perfecta quæ æqualitas complexionis sine Temperamento ad pondus non datur: ergo &c.

56 Respondetur, Angelicum Præceptorem debere intelligi de maximâ æqualitate non mathematicâ, qualis est æqualitas ad pondus, sed solum de æqualitate quasi physicâ latitudinem admittente, quæ dicitur in homine maxima, quia magis accedit ad æqualitatem arithmeticam. Quòd autem hæc sit Angelici Præceptoris mens, constat ex ipso hinc *lect. 8. in fine docète*, quod mixtorum complexionum variantur, *sicut est homo, cujus complexio maxime vicina est Temperamento*. Quòd autem maxime vicinum est Temperamento, in ipso Temperamento nondum est.

Arguitur tertidò. Quòd datur Temperamentum æquale, vel ad pondus, nec repugnat ex parte subjecti mixti, nec repugnat ex parte agentis: ergo ex nullo repug-

nat capite. Probatur Antecedens quoad primam partem. Nam qualitates æquales quoad gradus remissos possunt simul compati in eodem subjecto, ut si ponatur in illo calor ut quatuor, & in eodè gradu omnes aliæ qualitates. Quoad secundam etiam partem probatur. Si in aliquo mixto prædominetur Calor, & Humiditas, & postea ab aliquo Sicco, & Frigido patiat, tantum remitti poterit de Calido & Humido, quantum crescit de Frigido, & Sicco: ergo tunc casus ad illum perveniet punctum, in quo omnes qualitates sint æquales. Probatur Consequentia. Siccum enim, & Frigidum non possent transire ad majorem intensiorem; quin prius ad æqualitatem cum Humido, & Calido pervenirent: ergo in illo tunc esset qualitatum æqualitas.

57 Respondetur negando Antecedens. Ad probationem primæ partis dicendum est, repugnantiam non esse ex parte subjecti, sed ex parte agendi & patiendi per mutuam actionem, & reactionem, ad quod necessariò requiritur quòd una qualitas sit prædominans, propter adductam supra rationem, quia nimirum à proportionem æqualitatis non fit actio. Ad Probationem secundæ partis respondetur, quòd si in aliquo puncto detur omnimoda æqualitas, cessabit tunc actio unius qualitatis in aliam, & immediatè post erit inæqualitas, ut detur motus, & actio. Cum autem in mixtis semper detur mutua actio, & reactio, æquale in ipsis Temperamentum

numquam datur. Et hoc præcipuè constat in homine, in quo calor dominatur, propter operationes animæ, quæ indigent calore ut instrumento, ut docet D. Thom. loco cit. ex 3. Sent.

## §. II.

*Duabus aliis Articuli partibus respondetur.*

58 **D**UÆ Qualitates contrariæ in gradibus summè intensæ nequeunt, etiam diviniùs, esse in eodem subjecto. Conclusio hæc, quamvis aliquibus Thomistis opponatur, est tamen in Scholâ D. Thomæ communior, & tam Philosopho, quam ipsi Angelico Præceptorî conformior. Probatur primò. Duo opposita contradictoriè, aut privativè nequeunt, etiâ diviniùs, simul esse in eodem subjecto; sed duæ qualitates contrariæ in gradibus summè intensæ, oppositionem contradictoriam, vel privativam essentialiter inferunt: ergo nequeût, etiam diviniùs, in eodem subjecto simul esse. Major, & Cõseq. constât.

59 Minor autem probatur primò ex ipsâ naturâ Contrariorum, quæ ut in eorum dicitur Definitione, *ab eodem subjecto mutuo se expellunt*: ergo unam essentialiter arguit non esse alterius; sed in gradibus remissis hujusmodi negationem non arguunt: ergo illam non possunt in gradibus summè intensæ non arguere.

60 *Secundò probatur ea-*

dem Minor. Esse aliquam formam contrariâ in aliquo subjecto summè intensam, nihil aliud omninò est, quàm totam subjecti actuabilitatem implere quantum illud subjectum actuabile est à tali formâ; sed eo ipso nihil in illo subjecto relinquitur actuandû ab alterâ formâ cõtrariâ: ergo esse aliquam formâ in aliquo subjecto summè intensam, necessariò infert negationem vel privationem alterius.

61 Tertiò probatur Minor. Contraria versantur circa idè, hoc est, in eodem subjecto, & secundùm eandem ipsius potentialitatem recipiuntur: ergo implicatorium est, quòd tale subjectum summè ab uno contrario actuetur, & in sensu cõposito locus contrario alteri relinquitur: proindeque unû contrariû summè intensum essentialiter infert negationem vel privationem alterius.

62 *Secundò probatur Conclusio.* Si idem subjectû posset esse summè calidû, & simul summè frigidû, simul esset summè calidû, & non summè calidû, summè frigidum, & non summè frigidû; hoc repugnat: ergo & illud. Probatur Major. Imprimis esset summè calidum, & summè frigidû, ut supponitur; aliàs summè calidum, & summè frigidum nõ esset: ergo vera est Major. Probatur Minor. Quod potest esse magis calidum, non est summè calidum, & quod potest esse magis frigidum, non est summè frigidum; sed illud subjectum posset esse magis calidum, & magis frigidum: ergo summè calidum, & summè frigidum



dum non esset. Probatur Minor. Nā in eādē potentiā subjecti, quā recipitur calor, recipitur frigus, aliās contraria non versarentur circa idem; sed illum subjectum summè calidum posset esse summè frigidū: magis ergo calidum, & magis frigidum posset esse. Patet Consequentia, Quia non repugnante receptivo, non repugnat receptibile; sed receptivum calidi idem est, ac receptivum frigidi: ergo si subjectum summè calidum potest simul esse summè frigidum, poterit etiam simul esse magis calidum, & summè frigidum poterit similiter esse magis frigidum.

63. Contra hanc Conclusionem Arguitur primò. Cōtraria sunt formæ positivæ: ergo ex simultaneā utriusque positione nō sequitur conradictio immediatè, sed mediatè tantum, insequutivè, & secundariò; sed effectus secundarius potest divinitus impediri: ergo duò cōtraria in gradibus summè intensi possunt de potentiā absolutā in eodē subjecto simul esse.

64. Confirmatur. Consequutio propriæ passionis potest divinitus impediri; sed expulsio unius formæ contrariæ consequitur ad alteram formam per modum propriæ passionis: ergo potest divinitus impediri.

65. Respondetur negando primam Consequentiam. Ex eo namque præcisè, quòd duò contraria sint formæ positivæ, non sequitur, quòd negatio unius immediatè ad negationem alterius non sequatur.

Quia duæ formæ substantiales sunt formæ positivæ; & tamen positio unius immediatè infert negationem alterius. Assensus similiter & dissensus sunt aliquid positivum; & tamen existentia unius negationem alterius immediatè & essentialiter infert. Quamvis ergo formæ contrariæ sint aliquid positivum, poterunt, reduplicato statu suæ perfectionis, essentialiter & immediatè se excludere; sicut si secundum se considerentur, expulsio unius mediatè tantum ad positionem alterius consequatur.

66. Ad Confirmationem respondetur concessā Majore, dist. Min. consequitur per modum propriæ passionis ad alteram formam secundum se consideratam, quoniam Minorem, reduplicato statu summæ intensiōis, nego Min. & Consequentia. Licet enim expulsio unius formæ contrariæ, sequelā tantum connaturali, & per modum propriæ passionis ad alteram formam secundum se consideratam consequatur; ad illam tamen, reduplicato statu summæ intensiōis, sequelā essentiali consequitur, sicut consequitur expulsio unius formæ substantialis ad positionem alterius, & negatio dissensus consequitur ad assensum.

67. Arguitur secundò. Possunt duo corpora esse simul divinitus in eodē loco: ergo & duæ qualitates summè intensæ in eodē subjecto.

68. Respondetur concessō Antecedenti, negando Consequentiam.

quentiam. Disparitatis ratio constat ex dictis, Quia scilicet expulsio unius corporis ab eodem loco provenit ab impenetrabilitate, quæ est effectus secundarius quantitatis, ut diximus in Libris Physicorum. Expulsio verò unius formæ contrariæ ab alterâ, reduplicato statu summæ intensiōis, est effectus, ut diximus, essentialiter ad talem formam consequutus.

69 Arguitur terriò. Licet qualitas summè intensa adæquet totam capacitatem naturalem subjecti, illius tamen capacitatem obedientialem non adæquat: ergo de potentiâ absolutâ duæ qualitates summe intensæ possunt in eodem subjecto coexistere.

70 Respondetur negando suppositum Antecedentis; ad eamque, quæ contradictionem involvunt, nec datur, nec dari potest potentia obedientialis; duas autem qualitates summè intensas esse simul in eodem subjecto, apertâ imbibit contradictionem, ut diximus. Nec etiamsi illa capacitas admittatur, quidquam prodest. Vel enim esset ad recipiendum plus frigoris, v. g. vel caloris: ergo quando perveniretur ad summum cujuslibet harum qualitatum, tota subjecti capacitas repleretur; & consequenter in illo subjecto coexistentia alterius qualitatis repugnaret.

71 AD ULTIMAM Articuli partem Dicendum est, rem semel extinctam non posse naturaliter reproduci, divinitus autè potest, si tamen illa res non fuerit suc-

cessiva, sed permanens. Conclusio hæc quoad omnes partes est expressa in D. Thomâ Quodlibeto 4. art. 5. Et quoad singulas ex doctrinâ, quàm ibi adducit, est probanda.

72 Quoad primam quidem, Quia non potest idem numero effectus reproduci, nisi redeat eadem numero actio, quæ fuit productus; sed eadem numero actio non potest naturaliter redire: ergo nec idem numero effectus. Major constat, Quia identitas numerica effectus depêdet ab unitate numericâ actionis, actio enim est ipsum fieri effectus. Minor autè probatur. Quia nequit eadem numero actio redire, non redeunte eadè entitate numerica motûs, nec hæc redire potest, quin redeat unitas numerica temporis; sed non potest esse idem numero tēpus, quo res reproduci- tur, ac quo fuit primò producta: ergo res semel extincta non potest naturaliter reparari. In quo sensu verisimilimum est illud Prologium ex Philosopho desumptum cap. de Oppositis, *A privatione ad habitum non est regressus.*

73 Quoad secundam partem prob. Quidquid Deus potest producere mediis causalibus secundis, potest se solo facere, præsertim in genere causæ efficientis, quod nullam involvit imperfectionem: ergo idem numero effectus corruptus & extinctus potest à Deo reproduci. Probatur Consequètia, Quia manente eadem causâ cum eadem virtute, potest idem numero effectus reproduci; sed causa divina, illiusque

virtus semper est eadem: ergo effectus semel extinctus potest virtute divinâ reparari. Hoc autem intelligendum est de rebus permanentibus, non verò de successivis, quæ est

74 Tertia pars Conclusio- nis. Et probatur. Si eadem numero res successiva posset reproduci, esset eadem numero, & non esset eadem numero; hoc repugnat: ergo & illud, ex quo sequitur. Major quoad primam partem supponitur. Quoad secundam verò probatur, *Tum*, quia res successiva est una numero per continuationem, ut docetur in Lib. Physicorum; sed si res successiva extinguitur, discontinuatur: ergo non potest divinitus eadem numero reparari.

75 *Tum* etiam, Nam si eadem numero res successiva reproduceretur, diceret habitudinem ad idem numero tempus, in quo fuit: hoc repugnat: ergo &c. *Tum* denique, Quia coëxisteret tempori præterito, & præsentis; præterito quidem, quia ipsa præteritio reproduceretur: præsentis verò, si nunc enim reproduceretur, huic nunc, quod est tempus præsens, coëxisteret; hoc autem non minus repugnat, quam quòd idem corpus duobus simul spatiis sit præsens: ergo implicatorium omninò est eandem rem numero successivam reproduci.

76 Contra rationem, quâ primam partem præcedentis Conclusionis probavimus, objicies primò. Siquid enim illâ convincitur,

convincitur utique neque Deum posse semel corruptam reparare; hoc autem est contra secundam partem: ergo. Probatur Major, Quia non potest, juxta nostram rationem, idem numero effectus redire, quin redeat eadem actio, idem motus, & tempus; sed hæc etiam divinitus redire nequeunt, ut constat ex tertiâ parte ejusdè Conclusionis: ergo vel Ratione nostrâ nil probatur, vel cõvincitur neque Deum posse rem semel corruptam reparare.

77 Secundò contra eandem primam partem objicies, Quia motus, & tempus non sunt intrinseca principia individuationis rerum, sed extrinseca: ergo quamvis hæc iterum redire non possint, non exinde colligitur eandem rem numero non posse redire.

78 Confirmatur, Quia idem numero agens creatum potest diversis actionibus, & temporibus eundem numero effectum conservare: ergo poterit etiam eundem numero effectum reproducere.

79 Ad primam ex his Objectionibus respondetur negando Majorem. Ad cujus probationem concessâ Maj. distinguo Min. non possunt redire in seipsis, concedo Minorem, in causâ eminentialiter illa continente, nego suppositum, & Consequentiam. Licet enim eadem res numero permanens semel extincta non possit naturaliter reparari, eò quòd actio, motus, & tempus, quibus primò fuit producta, redire nequeunt in seipsis, quia

in nullâ causâ creatâ eminentialiter continentur; divinitus tamen potest: quia Deus illam eandem actionem, motum & tempus eminentialiter continet: & consequenter potest quamoptimè effectum ab illis dependentem reparare.

80 Consultò diximus *Nego suppositum*, Ad hoc enim, ut ille effectus prout eminentialiter continetur in Deo deperiret, necessarium erat, quòd divina virtus, & actio desinerent, quòd tamè omninò falsum est: trāsire nāque non possunt, sed immutabiliter perseverant.

81 Ad secundam Objectionem respondetur distinguendo Antecedens, non sunt intrinseca principia individuationis rerum in factò esse, concedo Antecedens, in fieri, nego Antecedens, & Consequentia. Quamvis enim actio, motus, & tempus intrinseca principia non sint individuationis rerum in factò esse; sunt tamen intrinseca principia individuationis earum in fieri. In hoc autem secundo sensu loquimur in præsentì. Nam sermo est de Reproductione rerum, quæ indispensabiliter actionem, per quam reproducuntur, importat.

82 Præterquamquòd licet eadem intrinseca principia individuationis perseverent, non infertur eundem posse redire numero effectum. Quemadmodum licet maneat idem agens, & passum, ut sæpè manent, non colligitur, quòd iteratò possint eundem numero effectum producere, sed tantum eundem specie.

83 Ad Confirmationem respondetur distinguendo Antecedens, potest eundem numero effectum conservare, conservatione extrinsecâ, concedo Antecedens, intrinsecâ, nego Antecedens, & Consequ. Dupliciter enim potest res aliqua conservari, extrinsecè, & intrinsecè. Conservatur extrinsecè, quando illi convenientia applicantur, & cõtraria remouentur. Intrinsecè autem conservatur, quando causa conservans, per verum influxum in rem conservatam, eam in suo esse continet, ne pereat. Quòd autem idem numero effectus possit discontinuatis actionibus extrinsecè conservari, non repugnat: huiusmodi namque actiones habent diversas partes correspondentes diversis partibus durationis continuatæ effectus conservati. Quòd verò per distinctas actiones idem effectus numero intrinsecè conservetur, manifestam implicat contradictionem: eo namque ipso, quòd per desitionem illius effectus actiones discontinuantur, qualiter reverà discontinuantur, impossibile est eundem numero esse effectum, qui reproducitur & qui perit.

84 Contra tertiam partem Cõclusionis sic Objicies. Effectus in causâ contentus potest ab illâ produci; sed res successiva corrupta in divinâ omnipotentia continetur: ergo res successiva corrupta potest à Deo reproduci. Major, & Consequentia constant. Minor autem probatur. Nam quòd est absolute possibile, in divinâ omnipotentia continetur; sed res successiva est

est absolutè possibilis; ergo in divinâ omnipotentia continetur.

85 Respondetur concessâ Majore, distinguo Minorem, continetur in divinâ omnipotentia ut producenda, concedo Minorem, ut reproducenda; nego Minorem, & Consequentiam. Licet enim res successiva ut producenda sit absolutè possibilis; & ideò in divinâ omnipotentia contineatur: ut reproducenda tamen non est possi-

bilis, sed repugnans, ob implicationes assignatas; unde prout sic minime in divinâ omnipotentia continetur. Hanc doctrinam & Solutionem in simili tradidit D. Thomas 1. p. quæst. 25. art. 4. ad 2. ubi sic attendatur. (inquit) *immutabilitas divinæ potentie, quidquid Deus potuit, potest. Aliqua tamen olim habuerunt rationem possibilium dum erant fienda, quæ jam deficiunt à ratione possibilium dum sunt facta.*



QVÆSTIO III.

DE SVBJECTO ACCIDENTIVM, ET PRINCIPIO INDIVIDUATIONIS rerum materialium.

ARTICVLVS I.

*Virum accidentia materialia recipiantur in materia prima, an verò in toto composito?*

§. I.

Quibusdam suppositis, statuitur Conclusio.

86 QVAMVIS hæc Quæstio ad Metaphysicâ potius, quam ad hos Libros attineat; quia tamen gravissimi Auctores, quales sunt Mag. Joannes à S. Thomâ, Colleg. Complut. PP. Carmelitarû, & novissimè Colleg. Complut. S. Thomæ hic illam opponunt; ideò & nos illâ in præsentî subjicimus.

Pro luce autem præsentis Articuli

87 Supponendum est primò aliud esse subjectum inhesionis, aliud verò denominationis. Subjectum inhesionis est illud, in quo forma accidentalis recipitur & inhaeret, ut albedo in pariete. Subjectum verò denominationis est illud, quod à formâ denominatur. Nec semper huiusmodi subjecta coincidunt. Paries enim denominatur visus à visione, quæ ipsi non inhaeret.

88 Secundò Supponendum est subjectum accidentium aliud esse *quod*, & aliud *quo*. Subjectum *quod* accidentium est quod illa recipit & sustentat. Subjectum autem *quo* est id, ratione cuius habet illa recipere & sustentare. Quemadmodum aliud est subjectum *quod* operativum, nempe homo, & aliud est operativum ut *quo*, ipsa nimirum virtus, ratione cuius operatur.

89 Tertiò supponendum est accidentia spiritalia, seu supernaturalia sint, qualis est gratia, seu naturalia, qualia sunt intellectus & voluntas, in animâ tantum subjectari, quia talium accidentium operationes à corpore non dependent. Presens ergo Difficultas procedit de subjecto *quod* inhaesionis accidentium materialium.

90 Prima Sententiâ docet omnia accidentiâ materialia immediatè recipi in materiâ primâ tamquam in subjecto inhaesionis, licet exigat per modum conditionis, quod sit informata formâ substantiali. Sic P. Suarez in Metaph. disp. 14. sect. 3. in principio. Secunda per oppositum tenet materiam primam non posse esse subjectum *quod* receptivum accidentium materialium. Sic omnes Thomistæ, cum quibus sit.

91 Nostra Conclusio. Materia prima est subjectum *quo* receptivum accidentium materialium, non est tamen subjectum *quod* immediatum, sed hoc tantum est totum compositum. Con-

clusio hæc quoad omnes suas partes unanimiter à Thomistis omnibus propugnatur: & meritò sane est enim expressa Angelici Præceptoris.

92 Quoad primam ergo partem illam docuit in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1. quæstiunculâ 3. in corpore, ubi sic ait: *Quantitas non recipit formam nisi ratione materiae; unde formæ immateriales, dimensionibus carent: & idèò cum alia accidentia, mediante quantitate, referantur ad substantiam, non poterat forma existens sine materia accidentium sensibilibus subjectum esset.* Quod expressius adhuc docuit inferius in eodem corpore articuli, ubi *Sciendum autem* (inquit) *quod substantia corporalis habet quod sit subjectum accidentium ex materia sua, cui primò inest subjici alteri.* Primâ etiam parte quæst. 29. art. 2. ad 5. sic ait: *Individuum compositum ex materia & formâ habet quod substat accidenti ex proprietate materiae.* Et paucis interjectis, rationem assignat, dicens: *Quia materia est principium substandi, & forma est principium subsistendi.*

93 Ratione autem probatur eadem prima pars Conclusionis. Eatenus unumquodque in se recipit aliud, quatenus est in potentiâ ad illud: ergo accidentia materialia in tantum recipiuntur in subjecto, in quantum hoc est in potentiâ ad illa. Sed subjectum solum dicit potentialitatem ratione materiae, non autem ratione formæ.

*mæ*: ergo materia est ratio quæ, seu subjectum quo recipiendi accidentia. Probatur Minor. Nam tota radix potentialitatis non aliunde desumitur, quàm ab eo, quod est prima & pura potentia; primum quippè in unoquoque genere est mensura & radix ceterorum; sed materia prima est prima & pura potentia: ergo omnis potentialitas à materiâ primâ desumitur. Probatur Minor, Quia omnis forma substantialis est primus actus: ergo prima & pura potentia tantùm est materia prima: ac proinde hæc erit ratio quæ, seu subjectum quo recipiendi accidentia.

94 Respondebis huic Rationi cum Durando, ex illâ sequi formam substantialem esse immediatè susceptivam accidentium, præcipuè quantitatis, quia materia prima non est principium proximum, sed remotum; sed inter materiâ primam, & quantitatem solum mediat forma substantialis: ergo hæc erit immediatum & proximum subjectum quantitatis; hoc autem manifestè est contra nostram Conclusionem: ergo ratio assignata non subsistit.

95 Respondetur negando Sequelam, cujus probatio non convincit. Licèt enim inter materiâ, & quantitatem mediet forma substantialis, non tamen inde infertur hanc esse immediatum subjectum quod quantitatis, vel cuiusvis alterius accidentis: tale quippè subjectum tantùm est com-

positum substantiale, ut statim probabimus.

96 Secunda pars Conclusionis probatur primò ratione desumptâ ex D. Thomâ 1. p. quæst. 76. art. 6. in corpore, quæ potest ad hanc formam reduci. Materia prima est pura potentia receptivâ formæ substantialis, quàm accidentalis: ergo non potest prius recipere formam accidentale, quàm substantiale. Probatur Consequentiâ, Tum, Quia materia prima prius debet recipere id quod tribuit esse primum, quàm id, quod tribuit esse secundum; sed forma substantialis tribuit materiæ primæ esse primum, accidentalis verò forma secundum: ergo prius debet recipi in materiâ primâ forma substantialis, quàm accidentalis.

97 Tum etiam, Nam forma substantialis tribuit esse simpliciter materiæ, forma verò accidentalis tribuit illi tantùm esse secundum quid; sed esse secundum quid necessariò præsupponit esse simpliciter: ergo materia prima prius recipit formam substantialem, quàm accidentalem.

98 Tum denique, Quia accidentis esse, ut communiter, & verè dicitur, est *in esse*; sed *in esse* idem omninò est, ac recipi in eo, quod præsupponitur habens esse: ergo esse accidentis aliud supponit esse. Sed hoc aliud esse, quod supponit, aliud esse non potest, quàm quod à formâ substantiali præstatur: ergo prius recipiur in materiâ primâ forma substantialis, quàm acciden-

talis. Quare D. Thomas loco proxime citato sic concludit: *Impossibile est ergo materiam prius esse calidam, vel quantam, quam esse in actu. Esse autem in actu, habet per formam substantialem, qua facit esse simpliciter.*

99 Hęc Ratione præcluditur Evasio respondentium, ordine quidem intentionis prius recipi in materiâ primâ formam substantialem, quàm accidentalem; ordine verò executionis prius recipi formam accidentalem, quàm substantialem.

100 Præcluditur, inquam. Ordo enim executionis exposcit, quòd materia prima prius recipiat id, à quo habet primum esse, quàm id, à quo tantum habet esse secundum: & quòd prius recipiat id, cum quo habet immediatam proportionem, quàm id, cum quo talē proportionem non dicit, sed materia prima recipit à formâ substantiali primum esse, à formâ verò accidentali secundum: & cum formâ substantiali dicit immediatam proportionem, non verò cum formâ accidentali, eò quòd prima potentia substantialis solum potest immediate proportionari cum primo actu substantiali, non verò cum actu secundo accidentali, ergo ordine etiam executionis prius recipit materia prima formam substantialem, quàm accidentalem.

101 Dices, Ex nostrâ Ratione potius oppositum sequi. Ordo quippè naturæ postulat, ut ab imperfectioribus ad perfectiora procedatur. Hęc enim de causâ

communiter docent Metaphysicæ priorem esse cognitionem confusam, quàm distinctam. Cum ergo forma accidentalis minùs perfecta sit, quàm substantialis, prius, ut naturæ ordo fervetur, illa debet recipi in materiâ, quàm ista.

102 Respondetur non idèò præcisè formam substantialem prius recipi in materiâ primâ, quàm accidentalem, quia illa fit istâ perfectior, sed quia hæc illam essentialiter præsupponit. Quòd autem illam essentialiter præsupponat, satis superque probatum est: ex eo, quòd forma substantialis tribuit materiæ esse primum, esse simpliciter, dicitque immediatam cum illâ proportionem. Forma verò accidentalis tribuit esse secundum, esse secundum quid, & non habet immediatam proportionem cū materiâ primâ. Hęc de causâ ipsa materia prima non potest, ut communiter docetur in Libris Physicorum, etiam divinitus, existere sine formâ, eò quòd forma est primus actus, & existentia ultimus; actus autem ultimus non potest nõ præsupponere primū. Quævis ergo forma substantialis sit perfectior accidentali, prius debet recipi in materiâ, quia forma accidentalis, necessariò & essentialiter præsupponit substantialem. Quæmodum licet doctrinæ ordo postulet, ut à facilioribus incipiatur, & Logica sit difficilior aliis Scientiis; Logica tamen prius acquiri debet, quia parat viam, & præbet methodum, quâ aliæ Scientiæ debeant comparari.



103 Ex hâc Doctrinâ, & Solutione inferes contra Suarez, formam substantialem non solum esse conditionem, à quâ materia dependet, ut recipiat accidentia; sed esse necessariò & essentialiter requisitam tamquam aliquid dans proportionem essentialem, utpote præbens primum esse simpliciter: ad differentiam aliarum dispositionum, quæ connaturaliter tantùm exiguntur. Quare Deus potest introducere formam in materiâ non dispositâ; minimè tamen potest introducere in illâ actum secundum absque eo, quòd prius introducat actum primum, propter essentialem dependentiam, quam habet ab actu primo actus secundus.

104 Secundò probatur eadem secunda pars Conclusionis ratione desumptâ ex D. Thomâ 2. p. quæst. 77. art. 6. in corpore. Subiectum formæ accidentalis debet esse ens actu existens & subsistens; sed materia prima antecedenter ad formam substantialem non est ens actu existens & subsistens: ergo nequit esse immediatum subiectum receptivum formæ accidentalis. Minor constat, & in Sententiâ Thomistarum est nota, quia nullam admittunt existentiam in materiâ ab omni formâ substantiali denudatâ.

105 Major autem probatur ex differentiâ quæ versatur inter utramque formam. Nam forma substantialis dat primum esse, ac proinde non supponit in mate-

riâ aliquam actualitatem; forma verò accidentalis dat esse secundum, & ideo necessariò supponit esse primum, quod à primo actu desumitur: ergo sicut actualitas prius in formâ substantiali, quàm in ejus subiecto reperitur, ita è contrariò actualitas prius invenitur in subiecto formæ accidentalis, quàm in ipsâ formâ accidentali.

106 Probatur Consequentiâ. Quia forma substantialis ita dat esse materiæ, quòd illam sine aliquo esse & actu præsupponat, aliàs nec daret primum esse, nec esset primus actus; forma verò accidentalis taliter dat esse subiecto, quòd ab ipso subiecto etiam recipit esse: ergo subiectum accidentis præsupponitur actu existens. Patet consequentiâ, Quia subiectum respectu formæ accidentalis habet duo munera, illam scilicet recipere, & producere, dummodò talis forma sit accidens proprium & per se; sed in quantum illam formam recipit, est in potentiâ, & in quantum illam causat est in actu: ergo subiectum accidentis semper supponitur ens in actu: ad causandum enim aliquid effectivè; necessariò requiritur existentia. Quare albedo v. g. in pariete posita, ab ipso existens redditur, & sustentatur, quòd sustentandi genus non est purè receptivum, sed effectivum: & ideo potest à Deo suppleri, qualiter de facto suppletur in Mysterio Eucharistiæ. In formâ verò substantiali respectu materiæ primæ oppositum opposita de causâ contingit.

git : materia namque prima solum se habet ut subjectum receptivum formæ, non autem sustentativum, eò quòd materia non tribuit esse formæ, sed potius forma tribuit esse materiæ.

107 Hinc deducitur alia differentia inter formam substantialem & accidentalem, quòd scilicet forma substantialis non est propter materiam, sed è contrâ, materia est propter formam substantialem : hæc enim est illâ principalior & perfectior. Forma verò accidentalis est propter subjectum, cum hoc sit illâ perfectius ; omne autem minus principale est propter magis principale : ad istam ergo verificandam differentiam necessariò requiritur, quòd subjectum formæ substantialis sit pura potentia, & subjectum formæ accidentalis sit ens actu.

108 Tertia denique pars Conclusionis probatur primò ex hucusque dictis. Si namque materia prima solum est principium *quo*, & nullo modo principium *quod*, tantum superest compositum ex materiâ & formâ, quod sit subjectum *quod* receptivum accidentium.

109 Secundò, Quia illud est subjectum *quod* receptivum accidentium materialium, quod immediatè illis substat ; hoc autem est compositum : ergo compositum est subjectum *quod* receptivum accidentium materialium. Major constat. Eatenus enim compositum talia recipit accidentia, quatenus

illis substat, siquidem ad hoc substat, ut recipiat. Minor autem probatur. Nam esse subjectum immediatè substans accidentibus solum convenit primæ substantiæ ; sed compositum singulare est prima substantia, quia juxta Aristotelem, Prima substantia est, quæ nec de subjecto aliquo dicitur, nec in subjecto aliquo est, & ideò vocatur maximè substantia, & ratione illius adsunt alia prædicata, sive substantialia, sive accidentalia : ergo solum composito convenit substatere accidentibus, quamvis hæc sit proprietas ad substantiam consequuta, substantia namque constituitur per esse & subsistere per se.

110 Ex hac Ratione denuò Confirmatur secunda pars Conclusionis, Quia materia prima nec est prima substantia, cum non sit directè in rectâ lineâ prædicamentali, eò quòd est substantia partialis & incompleta reductivè pertinens ad Prædicamentum non minus quàm forma, cum utraque sit pars, & neutra totum : ergo materia prima non potest esse id, quod immediatè substat accidentibus, sed composito tantum hoc convenit.

111 Nec obest, si dicatur, compositum substatere accidentibus tamquam subjectum denominationis, non verò inhæsionis.

112 Non, inquam, hoc obest, Compositum enim substantiale eatenus substat accidentibus, quatenus supponitur subsistens per se, & ideò dat esse accidentibus illa sub-

sustentando ; hoc autem sine verâ receptione intelligi nequit , cùm accidentia , quæ subjectum denominant , in illo recipiantur , aliàs de illo non possent prædicari : in composito ergo substantiali , non autem in materiâ primâ recipiuntur omnia accidentia tamquam in subjecto non solum denominationis , sed etiam inhæsionis : ad hoc quippe accidentia in toto composito recipiuntur , ut illud exornent ; cuius perfectionis non est immediatè capax materia prima , propter rationes superius assignatas.

§. II.

*Solvuntur Argumenta.*

113 **A**RGUI TUR primò. Nulla est repugnantia & improportio , ut materia prima possit esse subjectum receptivum quantitatis : ergo & aliorum accidentium materialium. Consequentia constat , Ratio enim de aliis accidentibus probans , etiam de quantitate convincit. Antecedens autem probatur. In corpore humano non est nisi unica forma substantialis , quæ est anima rationalis spiritualis & omnino indivisibilis ; sed quantitas nequit in illâ recipi : ergo tantum potest recipi in materiâ primâ. Probatur Minor. Quia in subjecto spirituali nequit recipi accidens materiale , sicut in subjecto materiali nequit recipi accidens spirituale : ergo si anima rationalis est spiritualis , in illâ non

potest recipi quantitas , sed tantum in materiâ , quæ est materialis. Patet Consequentia , Nam totum nihil aliud est , quàm ejus partes , materia scilicet , & forma simul sumptæ : ergo si quantitas non recipitur in formâ , necessarium est quòd recipiatur in materiâ.

114 Ut huic Argumento , quod est fundamentum P. Suarez , respondeamus , ostendendum est primò materiâ primâ esse subjectum incapax recipiendi quantitatem. Quantitas enim in illo subjecto recipitur , cui tribuit suum effectum formalem ; sed materia non est capax effectus formalis quantitatis : ergo nec ipsius quantitatis. Major constat. Minor autem probatur. Nam effectus formalis quantitatis est extensio & divisibilitas partium. & ex consequenti subjectum quantitatis divisibile & extensum acquirit locum divisibilem , & mutatur de loco in locum ; sed sola materia nec est extensa & divisibilis , nec mutatur de loco in locum , cùm hoc tantum competat habenti potentiam loco motivam , quod dumtaxat est compositum : ergo solum compositum , non verò materia prima est subjectum capax effectus formalis quantitatis ; proindeque quantitas non in materiâ , primâ , sed in toto composito potest recipi.

115 Si autem Argumentum Suarez est efficax , convincit utique quantitatem non posse recipi in materiâ primâ. Ideò namque

que juxta doctrinam ejus non potest recipi in formâ substantiali hominis, quia quantitas (inquit) univertur subjecto ut forma & actus ejus; unde illud tantum subjecto univertur potest, quod sit capax effectus formalis illius; hoc autem non habet anima rationalis, quæ non est capax extensionis quantitativæ: ergo si sola materia prima non est capax talis extensionis, sed totum compositum, juxta doctrinam Suarezii, non sola materia prima, sed totum compositum erit subjectum receptivum quantitatis. Hæc ergo probatione suppositâ,

116 Respondetur ad Argumentum negando Antecedens. Ad ejus probationem dicendum est, quod accidens corporeum, quale est quantitas, non potest recipi in subjecto, quod est totaliter & completè spirituale. Quæ de causâ Angelus est incapax quantitatis corporeæ: potest tamen recipi in subjecto, cujus una pars est formaliter corporea, & altera eminenter, ut in homine. Ad probationem in contrarium adductam respondetur, quod anima rationalis, quia est eminenter corporea, sicut potest esse principium & radix operationum materialium, & potentia proxima talium operationum non sunt in animâ solâ, sed in toto composito ut in subjecto, ut docet D. Thomas 1. p. quæst. 77. art. 5. in fine Corporis; ita similiter anima poterit esse principium & subjectum quantitatis: ex hoc enim tantum sequitur, quod anima

sit actus corporis physici organici; & potest subjecti munus exercere absque eo, quod sit divisibilis & extensa; quia sicut sustentat actiones & operationes sensitivas & materiales sine materialitate formali; ita poterit sustentare quantitatem extensam sine extensione formali; sed solum eminente.

117 Diverso autem modo se habet anima respectu accidentium spiritualium ac materialium: respectu enim illorum est principium quod, & non solum quo; quia ipsa est spiritualis ut quod. Respectu vero materialium tantum se habet ut quo, quia non concurrat quatenus est spiritualis, sed quatenus dat gradum corporeum & sensitivum eminenter: quo eodem modo existens in corpore dat esse corporeum. Quare ergo immaterialis existens non poterit esse principium quo terminandi accidentia materialia, & compositum subjectum quod receptivum illorum? Numquam tamen dicitur anima subjectum quod receptivum talium accidentium, sed tantum quo terminativum.

118 Dices. Quantitas numquam potest recipi in toto composito, nec terminari per formam, eò quod quantitas sequitur ad materiam, sicut qualitas ad formam: ergo quantitas necessariò recipitur in materia, ita ut præcedat formam, aliàs tam quantitas, quàm qualitas defumeretur à formâ contra commune Prologium.

119 Respondetur ne-  
gando Antecedens. Ad cujus im-  
bibitam probationem dicendum  
est quantitatem sequi ad totum  
compositum, non autem ad ma-  
teriam nude sumptam: quia for-  
ma ut dat gradum corporeitatis  
est principium & radix quantita-  
tis. Sensus autem illius Axioma-  
tis est, quod quia quantitas so-  
lum reperitur in rebus materialibus,  
ideo sequi dicitur ad mate-  
riam: quia convenit cum illâ in  
hoc, quod sicut materia nullo  
modo est activa, sed purè recep-  
tiva; ita quantitas est medium quo  
reliqua accidentia recipiuntur in  
composito, quin activè aliquid  
operetur.

120 Quemadmodum  
communiter etiam dici solet ge-  
nus desumi à materiâ, & diffe-  
rentiam à formâ; non ita tamen,  
quod esse animal in homine à  
materiâ desumatur: certum quip-  
pe est tam animal, quam ratio-  
nale in homine ab eâdem animâ  
secundum diversum gradum pro-  
venire. Dicitur tamen desumi à  
materiâ, quia sicut hæc est poten-  
tialis, determinabilis, & actu-  
abilis per formam; ita genus est  
potentiale, determinabile, &  
actuabile per differentias: uterque  
tamen gradus ab eâdem formâ  
emanat. Pariformiter ergo in præ-  
senti est discurrendum de quanti-  
tate respectu materiæ, & de quali-  
tate respectu formæ.

121 ARGUITUR secun-  
dò. Dispositiones,  
quibus materia ad receptionem  
alicujus formæ disponitur, imme-  
diatè in ipsâ materiâ recipiun-  
tur: ergo materia est immedia-  
tam subjectam receptivum acci-  
dentium. Antecedens constat. Dis-  
positiones enim in illo subjecto  
recipiuntur, quod disponunt; non  
disponunt autem compositum, sed  
materiam: ergo non in compo-  
sito, sed in materiâ recipiuntur.  
Consequentia verò probatur. Nam  
dispositiones illæ sunt accidentia:  
ergo si immediatè in materiâ re-  
cipiuntur, aliqua accidentia im-  
mediatè recipiuntur in mate-  
riâ.

122 Confirmatur pri-  
mò. In eo subjecto accidentia re-  
cipiuntur, de cujus potentialitate  
educitur forma virtute agentis  
naturalis; sed forma educitur ex  
potentialitate materiæ: ergo in  
materiâ recipiuntur accidentia. Mi-  
nor constat, Nam forma non  
educitur ex seipsâ, nec ex compo-  
sito, hoc enim actu includit  
ipsam formam: ergo tantum edu-  
citur ex materiâ, in quâ antee-  
denter erat in potentiâ, & postea  
fit in actu.

123 Confirmatur se-  
cundò. Generatio substantialis  
est accidens; & tamen imme-  
diatè recipitur in materiâ: ergo  
&c. Probatur Minor, Nam Ge-  
neratio est fieri totius compositi:  
ergo non potest recipi in toto  
composito. Patet Consequentia,

Quia compositum non præsupponitur ad Generationem, cum sit illius terminus; nihil autem potest esse terminus alicujus actionis, & simul subjectum illius.

124 Respondetur ad Argumentum negando Antecedens. Ad cujus probationem neganda est Major. Nulla enim dispositio recipitur immediatè in materiâ primâ, sed in toto composito, & per mediatam inhaerentiam dicitur materia disposita; ut quando calor ignis in ligno producit ad introducendam in illo formam ignis, calor, qui est dispositio ad talem formam, non in solâ materiâ ligni, sed in toto ligno recipitur, totum enim lignum dicitur & est calidum. In materiâ autem primâ pro priori ad formam substantialem nulla potest recipi dispositio. Quod expressè docuit Div. Thomas loco supra relato ex 1. p. quæst. 76. art. 6. in corpore, ratione, quam supra tetigimus, Quia nimirum materia prima priùs debet recipere esse primum, quàm secundum; forma autem substantialis tribuit esse primum; dispositiones verò tantùm tribuunt secundum. Quare corpus prædicti Articuli sic concludit: *Vnde impossibile est, quòd quæcumque dispositiones accidentales præexistant in materiâ ante formam substantialem*

125 Sed inquires. Si materia prima mediatè tantùm recipit dispositiones, quomodò dici potest immediatè disposita?

126 Respondetur satis appposito exemplo ex sanctitate substantiali humanitatis Christi desumpto. Hæc enim in communiore Sententiâ non sanctificatur substantialiter à personalitate verbi pro expresso, sed à naturâ divinâ; & tamen non natura divina, sed personalitas Verbi immediatè unitur humanitati. Quæ admodum ergo natura divina, quamvis non immediatè uniantur humanitati, eam immediatè sanctificat; ita dispositiones, tamen immediatè non uniantur materiæ primæ, eam immediatè disponunt.

127 Ad primam Confirmationem respondetur ex dictis, omnes dispositiones inhaerere toti composito, & sic disponere materiam, ut ex illius potentialitate agens educat formam. Neque requiritur, quòd in eodem subjecto, à quo forma educitur, dispositiones recipiantur: in composito enim existentes possunt disponere & determinare materiam, cum omne accidens (ut diximus) recipiatur in toto composito, mediante tamen materiâ prima ut principio quòtalis receptionis; quod sufficit, ut dicantur disponere & præparare materiam ad hanc potiùs formam, quàm ad aliam.

128 Ad secundam Confirmationem respondetur ex dictis supra Lib. I. Quæst. II. Art. IV. num. 178. ubi simile Argumentum objecimus, & duplici viâ occurrimus. Recolantur quæ ibi di-

ximus, ne hic eadem inutiliter repetamur.

129 **A**RGUITUR tertio duplici Angelici Doctoris Testimonio. Primum desumitur ex 4. contra Gentes, cap. 81. ubi Nullum (inquit) principiorum essentialium hominis per mortem omnino cedit in nihilum, nam anima rationalis, quæ est forma hominis, manet post mortem.... materia etiam manet, quæ tali formæ fuit subjecta, sub dimensionibus eisdem, ex quibus habebat, ut esset individualis materia. Sed prædictæ dimensiones sunt accidentia, ut per se constat: ergo aliqua accidentia immediatè in materiâ primâ subjectantur.

130 Secundum Testimonium habetur in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 2. quæstiunculâ 4. ubi docet ex commentatore in 1. Physicorum, quod *In materia generabilium & corruptibilium oportet intelligere dimensiones interminatas ante adventum forme substantialis, aliàs non posset intelligi divisio materie, ut in diversis partibus materie diversæ forme substantiales essent.* Sed in diversis partibus materie diversæ formæ substantiales recipiuntur: ergo in materiâ præsupponitur quantitas, à quâ talis divisio desumatur.

131 Ad primum Testimonium respondetur Div. Thomam ibi non loqui ex priorâ, sed ex Gentilium Sententiâ, & ex his quæ ipsi concedebant, manere scilicet post mortem animam, &

materiam cum suis dimensionibus, infert posse eadem numero reparari & resurrectionem fieri. Unde ex præmissis fallis, à Gentilibus tamen, contra quos arguebat, admissis, Conclusionem, quam intendebat, ostendit.

132 Vel potest secundo dici, quod dimensiones eadem manent in materiâ non actu, sed in radice quatenus in materiâ manet ordo ad tales dimensiones sicut & ad formam substantialem. Quare sicut substantia materialis dicitur habere partes substantialiter distinctas, quia est radix quantitatis, & dicit respectum ad ipsam, quamvis quantitas illi actualiter non inhereat; similiter dici potest, quod prædictæ dimensiones remanent in materiâ, non quia materie actu inhereant, sed quia materia est radix illarum.

133 Ad secundum Testimonium similiter respondetur, in illo non loqui Angelicum Præceptorem ex propriâ, sed ex Commentatoris Sententiâ, quam Opusculo 32. cap. 4. rejecit. In locis autem pro nostrâ Conclusionem adductis ex propriâ loquitur mente. Unde numquam sensit aliquod accidens recipi in materiâ, sed in toto composito.



## ARTICVLVS II.

*Quodnam sit principium indi-  
uiduationis substantiæ mate-  
terialis?*

§. I.

*Quibusdam prænotatis ; prima  
Conclusio stabilitur.*

134 **P**RO intelligentiâ hu-  
jus gravissimæ Dif-  
ficultatis Notandum est primò , In-  
dividuationem posse tripliciter su-  
mi , metaphysicè nimirum , lo-  
gicè , & physicè. Metaphysicè di-  
cit ultimum gradum in serie cu-  
juscumque Prædicamenti, sicut ge-  
nus supremum dicit gradum pri-  
mum , qui fit ultimus per differen-  
tiam individualem , quæ contrahit  
speciem. Logicè dicit relationem  
subiicibilitatis ad prædicata supe-  
riora , & prædicabilitatis de uno  
tantum, scilicet de seipso, & utrum-  
que est secunda intentio. Physicè  
autem est ipsa unitas numerica,  
quâ aliquid ita est unum, quod est  
indivisum in se, & divisum à quo-  
libet alio: qualiter Individuum  
definit Div. Thomas 1. part.  
quæst. 29. art. 4. In præsentem autem  
non loquimur de Individuatio-  
ne metaphysicè aut logicè sump-  
tâ, , sub hæc enim consideratio-  
ne consistit in eo , quod modò  
diximus: sed Difficultas de Indi-  
viduatione physicè tantum consi-  
deratâ procedit.

135

Secundò Notan-  
dum est , nomine principii Indivi-  
duationis intelligi id , quod est  
primum fundamentum & radix  
physica , ratione cujus est aliquid  
indivisum in se , & divisum à quo-  
libet alio ejusdè speciei, quæ radix  
non potest non esse substantialis.  
Cum enim Individuum substan-  
tiale pertineat ad Prædicamentum  
substantiæ , ratio , quâ tale consti-  
tuitur , à principio substantiali non  
potest non provenire. De hoc au-  
tem inquirimus , Quid sit ? An ma-  
teria ? an forma ? an natura ? an  
subsistentia ? Et quidem subsisten-  
tiam non posse esse Individuationis  
principium vel radicem , quam-  
vis aliqui oppositum judicave-  
rint , apud ferè tamen omnes  
est certum. Quia subsistentia se  
habet per modum termini &  
ultimi in composito substantia-  
li ; proindeque subsistentia , vel  
suppositalitas non erit principium  
individuationis , sed potius illius  
terminus.

136

Tertiò notandum  
est Individuationem esse dupli-  
cem , alteram mixtam cum distin-  
ctione specificâ , qualiter differunt  
Petrus, & equus; alteram verò purè  
numericam , servatâ prorsus con-  
venientiâ formali inter prædicata  
quidditativa, specificâ & essentialia,  
qualiter differunt Petrus & Paulus,  
qui numero tantum distinguuntur,  
servatâ convenientiâ in prædicatis  
quidditativis. Et de hæc secundâ lo-  
quimur in præsentem non autem de  
primâ. Tum quia hic de Angelicâ  
In-



Individuatione non differimus, quæ ex ipsâ essentiâ desumitur. *Tum* etiam, quia in substantiis materialibus major est difficultas in assignando principio Individuationis purè numerica, quàm simul etiam specificæ: in substantiis enim materialibus distinctio purè numerica minimè potest, ut infra constabit, à principio specifico & essentiali desumi.

137. Quartò denique Notandum est, pura in Individuatione reperiri, quæ difficulter possunt in unicum reduci principium & radicem. In Individuatione enim reperitur unitas, quæ videtur sequi ad entitatem. Invenitur etiam divisio à quolibet alio, quæ videtur sequi ad quantitatem. Reperitur quoque ultimus gradus in lineâ prædicamentali, & sic ad formam videtur pertinere, ad quam sequuntur alii gradus. Invenitur etiam non constituere gradum quidditativum, nec facere differre essentialiter: & ex hâc parte videtur sequi ad accidentia. Reperitur tandem incommunicabilitas: Individuatio namque non dicit communicabilitatem, vel cõmunitatem ad plura: & prout sic videtur sequi ad materiam.

138. Hinc orta est varietas Sententiarum. *Prima* est Scoti in 2. dist. 3. quæst. 6. docentis Individuationem desumi ab aliquâ entitate absolutâ ab extrinseco proveniente naturæ, absolute, saltem modaliter, ab illâ distinctâ, quæ ab ipso appellatur hæcitas: cujus effectus formalis est

reddere naturam indivisibilem in partes subjectivas. *Secunda* asserit, principium Individuationis desumi à formâ substantiali. Pro quâ referuntur Averroës, Avicena, & alii. *Tertia* docet, quamlibet substantiam singularem seipsâ per suâ entitatem, nullo alio superaddito, esset principium Individuationis: quam tenent aliqui cum P. Suario §. Metaph. sect. 4. *Quarta* denique Sententia tenet materiam primam esse primum Individuationis principium, non tamen nudè sumptam. Sic Thomistæ.

139. In assignando autem quid sit illud, quod debet materiæ superradi, dividuntur. Nam alii docent esse formam substantialem, quia actus est qui distinguit. Alii materiam ut signatam quantitate actualiter informante materiam. Alii materiam ipsam ut radicaliter præhabentem quantitatem. Alii materiam quantitatem præcisè connotantem. Alii denique materiam quantitatem per modum tantum conditionis includentem. His igitur prænotatis, sit

140. *Prima Conclusio.* Principium Individuationis substantiæ materialis non potest esse hæcitas prout est entitas absoluta, adhuc modalis, superaddita naturæ ab extrinseco, quin aliqua ratione ab ipsâ naturâ originetur. Probatur primò. Nam talis entitas, aut modus vel esset accidentalis, vel substantialis; neutrum potest dici; ergo repugnat talis entitas, aut

modus. Major, & Consequentia constant. Minor autem quoad primam partem probatur, *Tum*, Quia constituit Individuum substantiæ, vel primam substantiam in lineâ & Prædicamento substantiæ; accidens autem minimè potest rem intrinsecè substantialem constituere. *Tum* etiam, Quia vel esset accidens commune, vel proprium? Non proprium: aliàs omni naturæ conveniret, cum accidens proprium vel propria passio ex principiis intrinsecis & essentialibus oriatur; Individuatio autem non omni naturæ convenit, sed unico dumtaxat Individuo. Deinde, non esset accidens commune, Hoc enim potest adesse, & abesse absque subjecti corruptione; Individuatio autem nequit deficere, quin Individuum corrumpatur.

141 Quoad secundam etiam partem probatur eadem Minor, Primò, Quia natura ut antecedit pro aliquo priori entitatem illâ hæcceitatis ab extrinsecò proveniente, est singularis & individua: ergo hæcceitas pro altero posteriori adveniens est omninò superflua. Antecedens probatur. Pro illo namque priori non est universalis metaphysicè, aut logicè: ergo pro illo priori est individua & singularis. Probatur Antecedens, Quia pro illo priori intelligitur exercitè terminans actionem generativam; sed nil potest actionem generativam terminare nisi prout singulare, aliàs à parte

rei darentur naturæ universales productæ, vel universale Platonicum, quod repugnat: ergo antecedenter ad hæcceitatem ab extrinsecò provientem intelligitur natura individua & singularis.

142 Secundò, Nam talis hæcceitas vel esset entitas, vel modus? Si dicatur primum, materia etiam, & forma sunt entitas, & similiter natura ex utrâque constata, possuntque actionem productivam non minùs quàm hæcceitas terminare: ergo vel materia, forma, & natura sunt seipsis principium Individuationis, vel non potest esse principium Individuationis hæcceitas. Si verò dicatur, hæcceitatem esse modum, debet & consequenter dici esse modum naturalem naturæ, Individuatio namque illi naturaliter convenit: ergo debet ab ipsâ naturâ originari, qualiter substantia, quia est modus naturam complens, ab illâ dicitur resultare. Deinde modus est intrinsecà affectio & completio naturæ; ac proinde debet cum illâ proportionari, ipsique connaturaliter deberi: ergo modus singularis supponit naturam singularem. Patet Consequentia, Natura enim indifferens prout talis, singularitatem non exposcit. Præterquamquod eadem ratio militat, sive asseratur hæcceitas modus, sive entitas asseratur, sub utrâque enim ratione singularitatem præsupponit.

143 Dices, plures dari modos substantialis, qui ab ali-

quâ entitate substantiali non originantur: nec dari intra substantiam aliquod principium rigorosè fundans & exigens talem modum. Modus enim unionis inter materiam & formam tantum provenit ab efficiente, præsertim unio animæ rationalis, quæ non originatur effectivè ab ipsâ animâ tanquam quid subsequutum ad ipsam ut prius productam, cum entitas animæ rationalis non producat; ac proinde immediatè ab efficiente causetur, æquè primò & immediatè utrumque extremum unibile, materiam scilicet & formam uniente.

144 Rursus. Unio humanitatis ad subsistentiam Verbi nec originatur ab humanitate effectivè, nec in humanitate rigorosè exactivè fundatur: ergo ex eo, quòd hæcceitas sit modus, non sequitur debere ab entitate substantiæ originari, & in illâ fundari.

145 Prætereà. Intrinsicè indifferentia potentiæ operativæ per physicam prædeterminationem ab extrinseco proveniente aufertur, quin talis determinatio à potentiâ oriatur, vel in illâ fundatur: ergo pariter intrinsicè indifferentia naturæ auferri poterit per modalem hæcceitatis determinationem, quin talis determinatio à substantiâ oriatur, vel in illâ fundatur.

146 Respondetur ad primum, quòd licet modus unionis immediatè ab efficiente procedat, est tamen fundatus in extremis, cū

ipsisque proportionatus, in quorum unibilitate determinatâ fundatur unio producta. In entitate verò naturæ prout indifferenti non potest fundari modus hæcceitatis: ac proinde paritas adducta non tenet.

147 Ad secundum dicendum est, quòd unio humanitatis ad Verbum (si quæ datur ab extremis unitis condistincta) est supernaturalis; ac per consequens nec causatur, nec fundari potest in entitate naturali. Nostra autem Ratio tantum procedit de modo naturali ad entitatem naturalem comparato.

148 Ad tertium respondetur determinationem Prædeterminationis esse rationem ad causam primam tantum pertinentem; unde nequit ab aliquo principio creato procedere, nec in illius exigentiâ fundari, sed à Deo tantum provenit causas secundas ad omnes earum operationes quando, & quomodò voluerit, juxta earum naturas applicante. Prædictus autem modus, si daretur in substantiâ deberet, ut diximus, fundari, & radicari.

149 Si autem Scotus hæcceitatis nomine ultimam tantum differentiam individualemente intellexit, præsentem Difficultatem non resolvit, sed intactam omninò dereliquit, idemque per idem explicavit: hæcceitas enim idem prorsus est, ac Individuatio. Dicere ergo substantiam materialem radicaliter constitui Individuam per hæcceitatem, perinde est, ac si di-

corur radicaliter constitui Individuam per Individuationem.

## §. II.

*Statuitur secunda Conclusio.*150 *SECUNDA Conclusio.*

**S** Forma substantialis se solâ non est sufficiens principium Individuationis substantiæ materialis, neque suiplus. Probatur quoad primam partem. Principium enim Individuationis in substantiis materialibus est causa differentiæ materialis illarum; sed differentia materialis non potest à solâ formâ causari: ergo sola forma non potest esse principium Individuationis substantiæ materialis. Major constat, Ad hoc enim datur tale principium, ut Individua solo numero distinguantur; sed distinctio purè numerica, tantùm est distinctio materialis; ergo principium Individuationis in substantiis materialibus ad hoc datur, ut sit causa differententiæ materialis illarum.

151 Minor autem non minùs certa videtur, Distinctio namque a solâ formâ proveniens, tantùm est specifica & formalis: ergo differentia materialis non potest à solâ formâ causari. Probatur Antecedens, Nam distinctio à solâ formâ proveniens, non potest esse materialis: ergo tantùm potest esse specifica & formalis. Probatur Antecedens, *Tum*, quia si differentia purè materialis posset à solâ formâ provenire, nulla

esset ratio, ut per se constat, quare Angeli non possent multiplicari solo numero; sed iuxta communem Sententiam Thomistarum, etiam de potentiâ absolutâ, non possunt dari duo Angeli solo distinguî numero: ergo distinctio materialis à solâ formâ provenire non potest. *Tum* etiam, Quia distinctio formalis non potest provenire à solâ materiâ: ergo nec distinctio materialis à solâ formâ.

152 Quoad secundam etiam partem probatur Conclusio. Quia si forma per seipsam sine aliquo superaddito esset principium Individuationis suiplus, seipsâ differret individualiter ab aliâ formâ ejusdem speciei; hoc est falsum: ergo & quòd per seipsam sit principium Individuationis suiplus. Major constat, Esset enim per seipsam Individua; ergo ab aliâ individualiter differret per seipsâ. Minor autem probatur, Nam duæ formæ ejusdem speciei, à materiâ & ab ordine ad illam separatae, sunt actus in genere physico: ergo prout sic non possunt numericè, materialiterque distinguî. Probatur Consequentia, Nam differentia materialis & numerica debet habere primo principio materiam: ergo si formæ illæ non haberent materiâ, nec dicerent ordinem ad materiam, numericè & materialiter non differrent. Consequentia constat.

153 Antecedens verò probatur, Quia distinctio, illiusque principium & causa in eodè debent ordine existere: ergo si distinctio

talium formarum est in lineâ materiali, id, quod radicatur & causat hujusmodi distinctionem non potest non esse materiale, vel dicens ordinem ad materiam. Probatur Antecedens, Nam omnis effectus debet esse in eodem ordine cum suâ causâ; sed distinctio materialis est aliquis effectus: ergo habet pro causâ materiam, sicut distinctio formalis, & specifica habet pro causâ formam.

154 Contra hanc Conclusionem Arguitur primò. Formæ non individuuntur per ordinem ad materiam ut subest accidentibus, neque per ordinem ad illam nudè sumptam: ergo individuuntur per seipsas. Antecedens pro primâ parte probatur, Nam habitudo formæ ad materiam est substantialis: ergo in suo primario conceptu non includit accidentia. Pro secundâ etiam parte probatur. Nam si entitas formæ secundum se consideretur, aptitudo ejus intrinseca non est determinata ad informandam potius hanc materiam, quam aliam: ergo Individuatio talis formæ non potest desumi ab hac materiâ. Consequentia constat: hæc enim numero materia non est terminus adæquatus habitudinis formæ.

155 Antecedens verò probatur, *Tum*, quia de potentiâ absolutâ, forma, quæ hanc materiam modò informat, posset transferri ad aliam informandam: ergo est aptitudo & capacitas ad alteram materiam. *Tum* etiam, quia mate-

ria, quæ modò est sub unâ formâ, est potens informari ab aliâ: appetitus enim materiæ sublunaris nulâ formâ satiatur: quâ de causâ æqualiter appetit omnes formas; & idcirco quamvis sit sub perfectissimâ, appetit imperfectam: ergo forma etiam informans hanc materiam, poterit aliam informare: unde sicut adæquatus terminus materiæ est omnis forma; ita adæquatus terminus formæ erit omnis materia.

156 Respondetur negando Antecedens. Ad probationem primæ partis dicendum est, quòd formæ individuuntur per ordinem ad materiam, quæ est terminus hujus habitudinis, non quidem ut subest accidentibus illi in hærentibus actualiter, sed radicaliter tantum in illâ præhabitis. Ad probationem secundæ partis negandum est Antecedens. Ad cujus primam probationem dicatur, nec de potentiâ absolutâ posse eandem numero formam duplicem materiam totalem informare. Et si fuerit anima rationalis, non potest migrare de corpore in corpus, sed quæ hoc corpus modò informat, quando ab illo separatur, manet cum ordine ad ipsum, eò quòd de essentiâ cujuslibet formæ est quòd sit pars compositiva hujus Individui & non alterius; sicut de ratione cujuscumque causæ creatæ efficientis est quòd sit productiva quorundam determinantium effectuum, non autem quorumcumque. Quare prædicta forma non à quacumque

que, sed à determinatâ materiâ individuatur.

157 Ad secundam probationem Antecedentis respondetur, unam eandemque materiam posse recipere plures formas successivè; quia cum sit pura potentia, à nullâ formâ totaliter adæquatur, nec appetitus ejus expletur. Hæc autem ratio non tenet in forma, quæ est actus informativus materiæ. Forma enim vel est materialis & corporea, vel incorporea & spiritalis? Si fuerit materialis, eo ipso, quod à corpore separetur, corrumpitur; id autem, quod semel corruptum est, non potest naturaliter reproduci: unde non manet forma potens aliam materiam informare, nec eandem. Si verò fuerit forma immaterialis, qualis est animâ rationalis, quamvis à materiâ separetur, conservatur, quia est immortalis & incorruptibilis: in ipsâ tamen perseverat ordo ad idem corpus, cui in resurrectione iterum unietur; aliâs non idem numero homo resurgeret. Quare nulla forma substantialis est potens plures informare materias, licet eadem materiâ possit successivè pluribus formis actuari, propter rationem discriminis supra tactam. Quia nimirum materiam actuari per plures formas successivè, provenit ex imperfectione & potentialitate materiæ, quæ cum nullâ adæquatur, & per nullam expletur. Formam verò actuare materiam, provenit ex actualitate & perfectione formæ, idem autem actus &

forma non petit plures potentias perficere & actuare. Unde si fuerit forma accidentalis, corrupto composito, perit; accidentia namque, quæ fuerant in corruptio, non perseverant in genito.

158 Secundò contra eandem Conclusionem objicies. Datur distinctio numerica, & materialis à solâ formâ proveniens: ergo sola forma est principium talis distinctionis. Probatur Antecedens. Nam duæ animæ rationales à corporibus separatæ, numericè tantum, & materialiter distinguuntur, sed hæc distinctio ab ipsis formis desinitur, cum nullam esse materiâ supponatur: ergo sola forma est sufficiens principium distinctionis numericæ & materialis. Quare D. Thomas 2. contra Gent. cap. 81. docuit, quod sicut esse animæ intellectivæ non causatur à materia, ita nec ejus Individuatio. Unde forma ratione sui ipsius erit principium propriæ Individuationis.

159 Respondetur, animam separatam differre numericè & materialiter ab aliâ animâ separatâ sine materiâ, non tamen sine ordine ad materiâ: hæc enim habitudo semper remanet in animâ separatâ, quia semper est essentialiter pars corporis: ad hoc quippè à Deo creata est, ut corpus actuaret & informet. Neque dicitur habitudinem ad corpus vel materiam in communi, sed ad hoc numero corpus. Sicut enim de ratione animæ in communi est dicere ordinem ad corpus; ita de ratione hujus ani-

animæ est dicere ordinem ad hoc corpus. Et rationem assignat D. Thomas loco proximè allegato, *Hæc enim* (inquit) *anima est commensurata huic corpori, & non illi: illa autem alii: & sic de omnibus.* Quare anima D. Petri v.g. non dicit modò ordinem ad quodlibet corpus, sed ad idem numero, quod antecedenter informabat.

160 Dices: Substantiæ Angelicæ numericè & individualiter differunt non solum sine materiâ, sed etiam sine ordine ad illam: ergo ad numericam & individualement distinctionem habitudo ad materiam non requiritur; ac proinde quamvis duæ animæ separatæ nullam dicant habitudinem ad materiam, poterant individualiter distingui.

161 Respondetur Angelos non differre solo numero, sed etiam specie: & idè intra eandem speciem non possunt dari plures Angeli solo numero differentes, quia non solum carent materiâ, sed etiam habitudine ad illam. Conveniunt autem cum animâ rationali in hoc, quòd non habent materiam, ex quâ fiant. Distinguntur tamen ab animâ, hæc enim est forma corporis, & adhuc à corpore separata remanet cum ordine ad corpus: unde secundùm divisionem materiæ sunt plures animæ ejusdem speciei, & solo distinctæ numero: plures verò Angeli ejusdem speciei omninò esse non possunt, ut docet D. Thomas 2. contra Gent. cap. 93. & 1. p. quæst. 50.

art. 4. Unde formæ Angelicæ, quia sunt per se completè subsistentes, à seipsis individuantur, quia sunt irreceptibiles in materia. Anima verò rationalis, licet sit spiritualis, quia tamen dicit ordinem ad materiam, cum quâ facit unum compositum humanum, per talem ordinem individuatur: ac proinde animæ separatæ solo numero differunt; Angeli autem numero, & specie.

§. III.

*Tertia Conclusio statuitur.*

162 **T**ERTIA Conclusio. Principium Individuationis non desumitur à propriâ entitate substantiæ materialis, nullo alio superaddito. Probatur. Substantia materialis, ut Petrus v. g. non differt totaliter ab aliâ substantiâ materiali ejusdem speciei, v.g. à Paulo, nec istæ duæ substantiæ sunt primò diversæ: ergo principium illas distinguens non est entitas cujuscumque absque aliquo illi superaddito. Antecedens est certum. Illa namque duo Individua univocè conveniunt in naturâ specificâ, hæc enim de illis ut species prædicatur. Consequentia verò probatur. Nam in entitate substantiali præcisè sumptâ secundùm aliquid conveniunt, & secundùm aliquid differunt: ergo ut talia Individua distinguantur, aliquid debet assignari principium, quod taliter sit in uno, quod nullatenus sit in

in alio. Sed hoc nequit esse tota entitas substantialis, hæc enim in altero est etiam Individuum, & cum illo convenit in gradu specifico: ergo ad illas substantias individualiter distinguendas, aliquid debet ab earum entitatibus distinctum assignari.

163 Dices: Esse Individuum, etiam esse ex prædicatis intrinsicis constitutivis compositi substantialis, & ex ipsis oriri. Unde si in omnibus prædicatis intrinsicis conveniunt, & aliquo modo differunt, non est ratio, quare Individuatio prædicta ab aliquo superaddito entitati substantiæ materialis desumatur.

164 Respondetur, esse Individuum non esse prædicatum intrinsicum naturæ specificæ, sed potius ipsius naturæ modificationem. Quæ de causâ Individuum speciale Prædicabile non constituit, sed est id, de quo omnia Prædicabilia prædicantur. Unde non pertinet ad intrinsecam entitatem & constitutionem rei individualis, nisi per modum modificantis, & ad statum ejusdem naturæ pertinentis. Quapropter non est natura, sed terminus naturæ illam reddens singularem & determinatam. Hoc autem non potest non esse aliquid extrinsecum prædicatis constitutivis. Cujus ratio est. Nam prædicata constitutiva substantiæ materialis integrè absque hæc, vel illâ singularitate salvantur, ut in naturâ humanâ per se constat, cujus prædicata essentialia ab hæc vel illâ Individu-

uatione ejusdem in singulari non dependent: quod manifestum est signum, Individuationem non à prædicatis intrinsicis, sed ab aliquo esse extrinsecò desumendam. Quid autem sit hoc extrinsecum, sequenti Conclusionè dicemus.

165 Contra hanc tamen Objectionem primò, Natura prout est in re, est Individua & singularis: ergo aliquo à se distincto non indiget, ut sit hæc, & Individua. Antecedens constat, Natura enim prout est in re non est universalis, Universalis enim per intellectum tantum dari potest; ergo prout est in re, est Individua & singularis. Consequentia verò probatur. Nam singularitas opposito modo convenit naturæ, ac universalitas; sed universalitas convenit naturæ per intellectum, nullo alio superaddito: ergo singularitas naturæ, nullo superaddito, per se competit.

166 Secundò, Cuilibet naturæ à parte rei per se competit esse unam: ergo per se etiam competit esse Individuam. Probatur Antecedens. Quælibet enim natura est ens ratione sui: ergo ratione sui est una. Patet Consequentia. Nam unitas est passio entis: ergo eo modo, quo natura est ens, est una. Sed hæc unitas est realis, cum conveniat naturæ à parte rei: ergo à parte rei erit etiam singularis, siquidem à parte rei unitas communis dari nequit.

167 Respondetur ad primum distinguendo Antecedens, ly prout reduplicante statum contra-

ctio-



Gignis concedo Antecedens, reduplicante prædicata essentialia naturæ, seu statum naturæ secundum se tantum inspectæ, nego Antecedens, & Conseq. Naturæ namque secundum se tantum acceptæ nec singularitas, nec universalitas competit: quod expressè docuit D. Thomas cap. 4. de Ente & essentia, ubi *Si queratur ( inquit ) Verum ista natura possit dici una, vel plures, neutrum concedendum est, quia utrumque est extra intellectum humanitatis, & utramque potest sibi accidere.* Naturæ ergo secundum se nec universalitas, nec singularitas competit: illa enim convenit naturæ prout in statu abstractionis; hæc verò prout in statu contractionis. Quare esse universalem, vel singularem, ipsi accidit, & ab extrinseco convenit.

168 Ad secundum eodem modo responderetur distinguendo Antecedens, competit esse unam prout in statu contractionis, concedo Antecedens, secundum se, nego Antecedens, & Consequentiam. Licet enim natura prout est in statu contractionis sit una & Individua; secundum se tamen (ut ex D. Thomâ vidimus) non est una. Unitas enim sequitur ad entitatem prout est in tali statu. Unde si unitas fuerit specifica & formalis, convenit naturæ ratione formæ, quæ constituit speciem. Si autem unitas fuerit Individualis dicens incommunicabilitatē, sequitur ad materiam, hæc enim est principium incommunicabilitatis prout est in hoc Individuo.

Substantia igitur materialis ut constituat Individua, ab aliquo extrinseco dependet illam modificante & determinante, quod non potest ad prædicata intrinseca & essentialia ipsius substantiæ pertinere: si enim singularitas nature essentialiter conveniret, in omni statu illi competere, quod nulli non constat esse falsum.

§. IV.

Quarta & principalis Conclusio stabilitur.

169

QUARTA Conclusio

Materia prima sola non est principium Individuationis, sed ut signata quantitate non formaliter in hærente, sed radicaliter in ipsâ materiâ præhabita. Quoad primam partem probatur primò Conclusio ex D. Thomâ de Ente & Essentiâ, cap. 2. sic dicente: *sciendum, quod materia non quomodo libet accepta est principium Individuationis, sed solum materia signata.* Ubi, ut vides, Ang. Doctor materiam primam nudè sumptam à ratione principii Individuationis excludit.

170

Secundò probatur ratione, Quia ut unum Individuum numericè ab altero distinguatur, materia sola non sufficit: ergo materia prout sic non est principium Individuationis. Consequentia constat. Antecedens verò probatur primò, Omnis enim distinctio ab actu desumitur, vel ab ordine ad actum, nam juxta Philosoph. 5.

Metaph. textu 49. *Actus est qui distinguit: ergo à solâ Materiâ, quæ pura potentia est, desumi nequit. Secundo, Nam eatenus unum Individuum ab altero differt, quatenus est indivisum in se, & divisum à quolibet alio; sed hoc à solâ materiâ non potest provenire: ergo, &c. Probatur Minor. Licet enim materia prima habeat partes substantialiter entitative distinctas, ut in Logicâ vidimus, illas tamen non habet realiter separatas & extensas, quod necessariò requiritur, ut unum Individuum ab altero distinguatur: ergo ad hoc materia sola non sufficit.*

171 *Tertio probatur Antecedens, Nam materia omnium rerum corruptibilem est una: ergo si ipsa se solâ esset principium Individuationis, omnia corruptibilia nullatenus essent plura, sed unicum tantum Individuum. Patet Consequentia, Si enim in principio stat unitas, nequit stare in principiato diversitas, siquidem unitas vel diversitas effectus ab unitate, vel diversitate causæ desumitur. Cum ergo omnia Individua sublunaria inter se, ut constat, sint distincta, materia autem in omnibus sit una; manifestè convincitur huiusmodi distinctione à solâ materiâ non oriri.*

172 *Quoad secundam verò partem (nimirum quod materia non sit principium Individuationis prout sigillatur quantitate formaliter in hærente, ipsamque materiam actualiter informantem) probatur eadem Conclusio ex D.*

Thomâ Opusc. 70. quest. 4. art. 2. ad 2. ubi sic ait: *Dimensiones, cum sint accidentia, per se non possunt esse principium unitatis individue substantie, sed materia, prout talibus dimensionibus subest, intelligitur esse principium talis unitatis, & multitudinis.*

173 *Ex quo Testimonio talis deducitur Ratio. Per id constituitur aliquid Individuum, per quod individualiter differt ab alio; sed principium talis individualis distinctionis non potest esse materia cum quantitate actualiter informante: ergo materia prout sic non potest esse principium Individuationis. Major & Consequentia constant. Minor autem probatur, Nam omnis effectus petit causam in eodem ordine, quo est ipse effectus; sed distinctio individualis est effectus substantialis: ergo petit principium substantiale. Sed materia cum quantitate illi actualiter in hærente non est principium substantiale, quantitas enim est accidens: ergo à materiâ sic sumptâ prædicta distinctio non provenit. Minor subsumpta probatur, Ex materiâ namque & quantitate non potest unum per se, sed unum tantum per accidens resultare, constat enim ex rebus ad diversa Prædicamenta spectantibus: ergo materia cum quantitate illi actualiter in hærente non est principium substantiale.*

174 *Confirmatur. Si materia cum quantitate actualiter informantem esset principium Individualis distinctionis, ablata huiusmodi quan-*

quãtitate, individualis distinctio nõ maneret: hoc est falsum: ergo quãtitas actualiter informans & inhærens ad talem distinctionem non conducit. Major constat, Ablato namque principio, necessarium est auferri & principiatum. Minor verò probatur. Nam anima separata individualiter ab alterâ animâ separatâ distinguitur; & tamen non actualiter habet corpus vel materiam, per quam constituitur Individua: ergo quam is materia non habeat actualiter quantitatem, poterit esse principium individualis distinctionis. Patet Consequentia. Idèõ namque anima separata ab alterâ individualiter distinguitur, quia licet non informet actu materiam, ad illam tamen ordinatur; sed materia etiam ordinatur ad quantitatem: ergo quamvis illam non habeat actualiter inhærentem, poterit esse principium individualis distinctionis.

175 Respondebis, materiam, & quantitatem concurrere quidem ad Individuationem, sub diverso tamen munere. Nam materia præstat incommunicabilitatẽ, quantitas autem divisionem hujus Individui ab alio. Et quia utrumque ad Individuationem exposcitur, necessariò requiritur materia indivisionem communicans, & quãtitas actualis divisionem præstans: divisio enim non potest fieri nisi per actum, ut docet D. Thomas in 1. dist. 26. quæst. 2. art. 2. dicens: *Omnis distinctio, vel divisio est, vel per quantitatem, vel per formam,*

*secundum Philosoph. 5. metaph.* Cùm ergo divisio, quæ inter duo Individua reperitur, non sit formalis, sed materialis, ut fatemur, necessarium est, quòd non à formâ, sed à quantitate desumatur.

176 Contra tamen est primò, Nam per quantitatem actu inhærentem non potest unum Individuum esse divisum ab altero: ergo nulla est assignata Solutio. Probatur Antecedens, Per id enim ipsum, quo aliquid constituitur, ab alio distinguitur, siquidem constitutum & distinctivum idem sunt: ergo si materia sine quãtitate actualiter inhærente est in se indivisa, erit etiã divisa à quãvis aliâ. Quòd autem superadditur, non est quantitas actualis, sed radicalis ordo ad quantitatem, ut in secundâ Conclusionis parte monstrabimus.

177 Quando ergo asserit D. Thomas, quòd omnis divisio & distinctio est per quantitatem, intelligendus est de quantitate radicaliter præhabitâ in materiâ. Quæ admodum dicitur substantiam materialem habere partes entitative distinctas cum prædictâ continentia radicali. Nulla enim est major ratio, quare duo Individua totalia gaudeant distinctione substantiali, ablatiis quantitatibus, remanente tamen ordine ad illas; & quòd duæ substantiæ partiales per ordinem ad partiales quantitates simili distinctione non gaudeant.

178 Secundò. Nam divisio, quæ inter duo Individua reperitur, est, vt diximus, substantialis:

ergo non potest à quantitate actuali provenire, aliàs effectus excederet suam causam, quod repugnat: ergo necessariò recurrendum est ad materiam ut quantitatem radicaliter præhabentem: hæc enim præhabitió sufficit ad prædictam distinctionem, ut de Individuis totalibus, & de animabus separatis ostendimus.

179 Quoad tertiam denique partem probatur, Conclusio Primò ex dictis, Si enim materia secundum se, nec ut quantitatem actualiter habens, est principium Individuationis, non remanet alius modus, quo tale principium possit esse, nisi prout radicaliter præhabens quantitatem.

180 *secundò.* Nam illud est principium Individuationis, per quod substantia materialis primò intelligitur Individua & singularis; sed hoc habet materia prima ut radicaliter præhabens quantitatem: sub hæc igitur ratione materia prima est principium Individuationis. Major, & Consequentia probatione non indigent. Minor autem probatur. Prius namque est, quòd materia hanc potius, quàm illam quantitatem præcontineat, quàm quòd illà actualiter informetur; sed non potest hanc potius, quàm illam quantitatem præhabere, quin sit determinata & individua, quandoquidem prout est indifferens nullam determinatè præhabet quantitatem: ergo sub hæc ratione est Individua & singularis.

## §. V.

*Solvuntur Argumenta.*

181 **A**RGUITUR Primò. In Prædicamento substantiæ datur Individuatio substantialis, & Individuum substantiale: ergo distinctio substantialis inter duo Individua substantialia nequit à materiâ cum ordine ad quantitatem provenire. Probatur Consequentia, Nam effectus substantialis debet provenire à causâ substantiali: sed materia cum ordine ad quantitatem non est causa substantialis: ergo talis effectus nequit à materiâ cum ordine ad quantitatem provenire. Probatur Minor, Nam principium substantiale effectus substantialis debet habere intra se, & in ordine ad se omnia prædicata constituentia ipsum in ratione causæ substantialis, substantia enim, & quidquid ad illam pertinet, ab altero non dependet; sed materia in sensu dicto non habet intra se, & in ordine ad se quod illam constituat in ratione principii substantialis distinctionis: ergo materia prout sic non est causa substantialis. Probatur Minor, Nam materia in sensu explicato potius habet emendicatum ab alio constitutum principii Individuationis, nimirum à quantitate, ad quam radicaliter ordinatur; sed hoc est substantiam ab aliquo extrinseco dependeret: ergo prout sic nequit esse principium Individuationis substantialis.

Con-

182 Confirmatur primò ex communi Sententiâ Thomistarum asserentium, idèò substantiam non posse esse immediate operativam, quia specificaretur ab aliquo extrinseco, nempe ab operatione, quæ est accidens; hoc autem substantiæ repugnat: ergo materia prima non per ordinem ad quantitatem, sed per se ipsam est una & Individua.

183 Confirmatur secundò ex D. Thomâ quæst. 9. de Potentiâ, art. 1. ad 8. ubi hæc habet: *Dicendum, quòd accidentia non individuatur, nisi ex suis subjectis: sola autem substantia per se ipsam individuatur, & per propria principia. Et idèò convenièter in solo genere substantiæ particulare habet proprium nomen.* Et Articulo 2. sequenti, in corpore, *Dicendum (ait) quòd rationabiliter, sicut ex præmissis patet, individuum in genere substantiæ speciale nomen sortitur: quia substantia ex proprijs principijs individuatur, & non ex alio extrinseco, sicut accidens ex subjecto.* Ergo ex mente Angelici Præceptoris, materia prima per ordinem ad quantitatem nõ individuatur: per talè quippe ordinem à genere substantiæ removeretur, & in accidentis genere collocatur.

184 Respondetur ad Argumentum concessò Antecedenti, negando Consequentiam. Ad cujus probationem concedo Majorem & nego Minorem. Ad probationem concedò etiam Majorem, & nego Minorem. Ad probationem neganda est Major. Licèt enim mate-

ria prima radiceet quantitatem, inde tamen esse accidens non inferitur, sed oppositum manifestè colligitur. Nam prima radix unius accidentis non potest esse alterum accidens, quamvis unum accidens possit esse principium proximum alterius accidentis: ut constat in intellectiõne humanâ, cujus principium proximum est intellectus, qui est accidens, & principium radicale est anima rationalis, quæ est substantia radicaliter continens omnes suas potentias, earumque operationes, quin ex hoc inferre liceat, animam rationalem in Prædicamento accidentis collocari. Constat etiam in principio motûs naturalis, quod debet esse primum & radicale, tantùm competens enti mobili substantiali, juxta communioem Sententiam, ut vidimus Lib. I. Physic. Quæst. I. Procem. Artic. I. Quia de ratione naturæ est esse primum principium motûs, quod soli substantiæ convenit, non autem accidenti. Quamvis ergo materia prima hanc præ illâ radiceet quantitatem, rationem substantiæ non amittit.

185 Ad primam Confirmationem respondetur concessâ Majori & Minore, distinguo Consequens, non per ordinem ad quantitatem in seipsâ, concedo Consequentiam, prout in materiâ radicaliter præcontentâ, nego Conseq. Materia namq; prima non individuatur, ut diximus, per ordinè ad quantitatem in se ipsa formaliter sumptam, sed ut in materiâ radicaliter

præcontentam; hoc autem modo ordinari ad quantitatem, non est ad aliquid extra substantiæ genus ordinari: nam quantitas ut radicaliter præhabita in materiâ est ipsa materia, sicut effectus prout in causâ est ipsa causa. Quare substantiam ab aliquo extrinseco specificari non infertur.

186 Ad secundam Confirmationem respondetur, mentem Angelici Præceptoris in illis duobus locis, & aliis, quæ adduci solent, tantum esse, quod materia est principium Individuationis absque aliquo superaddito realiter ab ipsâ distincto. Hoc autem verissimum est, ut modò diximus, quia materia ut radicat quantitatem nil importat realiter distinctum à materiâ. Quare sicut in animâ duplex conceptus datur, & constituendi in esse specifico, & radicandi passionibus, qui realiter inter se non distinguuntur, sed per rationem unus concipitur ut primarius, alter verò ut secundarius; ita materia, quatenus est radix quantitatis, nihil accidentale ab eâ realiter distinctum importat. Cujus oppositum in accidentibus contingit: nam subjecta eorum sunt illis extranea, proindeque ab ipsis realiter distincta, utpote ad diversum Prædicamentum pertinentia.

187 **A**RGUITUR Secundò. Materia prima prius recipit formam substantialem, quam accidentalem: ergo prius respicit hanc numero formam substantialem, quam hanc numero quan-

titatem. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens verò probatur primò, Quia potentialitas materiæ est substantialis: ergo prius respicit actum substantialem, à quo accipit esse simpliciter, quam actum accidentalem, à quo tantum accipit esse secundum quid. Secundò probatur Antecedens, Materia namque prima non potest prius suum specificativum primarium non respicere; sed hoc non potest esse aliquod accidens, sed forma tantum substantiales: ergo hæc est, quæ prius à materiâ respicitur. Probatur Minor, Illud enim est specificativum primarium materiæ primæ, à quo accipit primum esse, & cum quo unum substantiale constituit; sed hoc habet formam substantialem, non verò accidentalem: ergo specificativum primarium materiæ primæ non est forma accidentalis, sed tantum substantialis: ac proinde non potest individuari per habitudinem ad formam accidentalem, qualis est quantitas, sed per respectum ad formam substantialem.

188 Confirmatur. Quia materia nequit præcontinere hanc numero quantitatem, nisi prius habeat formam substantialem: ergo per formam substantialem constituitur Individua. Probatur Antecedens. Quantitas enim non radicitur in materiâ antequam habeat formam substantialem, siquidē quantitas radicitur in corpore, corpus autem dicit materiam formâ corporeitatis informatam: ergo mate-

ria prima nequit præcontinere hanc numero quantitatem, quin prius habeat formam substantialem.

189 Responderetur ad Argumentum distinguendo Antecedens, prius respicit formam substantialem, quam accidentalem, ut materiam actualiter informantem, concedo Antecedens, ut materiam, ut sit hæc, & Individua, disponentem, nego Antecedens, & sub eadem distinctione Consequentis, nego Consequentiam. Quamvis enim materia prima prius respiciat formam substantialem, quam formam accidentalem, ut actualiter informantem, eò quod, ut ex superius dictis constat, prius recipit esse simpliciter, quam esse secundum quid; ut sit tamen hæc, & Individua, prius respicit quantitatem ut ipsam disponentem, quam formam substantialem: Quia ut docet D. Thom. 3. p. quæst. 77. art. 2. *Prima dispositio materiæ est quantitas dimensiva: non quidem actu inhærens, ut diximus, sed ut radicaliter præcontenta.*

190 Dices, Hanc Solutionem esse contra ipsum D. Thomam 1. p. quæst. 76. art. 6. ubi *Impossibile est (inquit) quod quæcumque dispositiones accidentales præexistant in materiâ ante formam substantialem: ergo quantitas non solum ut inhærens, sed etiam ut disponentis, supponit formam substantialem in materiâ. Ratio autem hujus est, Quia materia eo ordine præcõrinet suos effectus, quo illos causat, & recipit; sed prius causat & re-*

cipit formam substantialem, quam accidentalem, alias, ut sæpè diximus, prius haberet esse secundum quid, quam esse simpliciter, ergo materia prius in omni genere respicit formam substantialem, quam accidentalem.

191 Resp. mentem Angelici Doctoris in eo loco esse, quod accidentia materiam disponentia non mediant inter ipsam & formam ut ipsi materiæ inhærentia, eamque actualiter informantia, quod cum ipso D. Thomâ fatemur: & in hoc sensu supra diximus, quod materia non est subjectum receptivum accidentium. Sed quia dispositiones, quæ sunt in toto composito, disponentur immediatè materiam ad recipiendam potiùs hanc formam, quam alteram; ideò prius à materiâ, quam forma substantialis inspiciuntur.

192 Quòd autem hoc modo debeat intelligi D. Thomas, ex adductis illius verbis infertur: dixit enim, impossibile esse quod dispositiones præexistant in materiâ; sed præexistere idem omninò est, ac inhære, sicut accidentia in composito præexistunt, quia ipsi inhærent: ergo quando docet D. Thom. quod dispositiones nõ possunt mediare iuter materiam & formam, intelligi debet de mediatione informantis, non autem disponentis. Nec inconveniens ullum est, quod quantitas in genere causæ materialis dispositivæ prius inspiciatur à materiâ, & in genere causæ receptivæ ad ipsam subsequatur.

193 Ad Confirmationem respondetur distinguendo Antecedens, nequit præcontinere hanc numero quantitatem ut passionem formæ, nisi prius habeat formam, concedo Antecedens, ut dispositionem ad formam, nego Antecedens, & Consequenciam. Quantitas enim dupliciter considerari potest: & ut est passio formæ, & ut est dispositio ad ipsam formam. Prout est passio formæ supponit quidem formam receptam in materiâ: prout verò est dispositio ad ipsam formam, præcedit formam: omnis enim dispositio necessariò debet præcedere id, ad quod disponit.

194 **A**RGUITUR Tertio. Materia prima sine ordine ad hanc numero quantitatem potest esse una & Individua: ergo per talem ordinem non individuatur. Probatur Antecedens, Nam eadem materia, quæ erat in corrupto, perseverat in genito; & tamen non manet ordo ad eandem numero quantitatem: ergo materia prima sine tali ordine est una & Individua. Probatur Minor. Accidentia, quæ erant in corrupto, non perseverant in genito; sed unum eorù est quantitas: ergo accidens hoc nõ perseverat; ac proinde nec ordo ad idem numero.

195 Respondetur negando Antecedens. Ad probationem distinguo Majorem, eadẽ materia negativè, perseverat, concedo Majorem, eadem positivè, nego Majorem, & concessã Minore, nego Consequenciam. Etenim materia prima secun-

dum se tantum dicit unitatem negativam, quatenus ex se est indifferens ad omnes formas; quemadmodum natura secundum se dicitur una negativè, quia secundum se neque est una, neque plures. Dicitur autem materia una positivè, à præcontinentiâ radicali hujus numero quantitatis; ad quam præcontinentiam determinatur tanquã à principio intrinseco à suã ipsius potèntialitate cum connotatione ad actionem agentis, & dispositiones: quibus positis, hanc potius, quàm illam radicat quantitatem.

## §. VI.

*Due alie Difficultates ex dictis resolvuntur.*

196 **E**X Dictis Inferes primo Accidentia individuari per ordinem ad subjectum. Et probatur, Nam unitas & distinctio materialis non desumitur à formã, sed tantum à materiã, sed respectu accidentium subjectum eorù se habet ut materia: ergo unitas & distinctio materialis accidentium desumitur à subjecto.

197 Confirmatur. Ab illo principio Accidentia individuatur, per quod ulterius incommunicabilia redduntur; sed hoc habent à subjecto, per hoc enim, quod alicui subjecto insint, non possunt alteri inesse: ergo per subjectum, in quo recipiuntur, individuantur.

198 Nec obest si primo dicas, Quod quantitas est unum



Accidens; & tamen non individuatur per subjectum, sed per seipsam, ut sæpissimè asserit D. Thomas; ergo non omne accidens individuatur per subjectum.

199 *Secundo*. Nam si accidens individuatur per subjectum, omnia Accidentia ejusdem speciei, quæ successivè essent in eodem subjecto, essent eadem numero, cum subjectum idem esse numero supponatur; consequens autem est falsum: ergo & illud, ex quo sequitur.

200 *Tertio*, Quia Accidens non ita limitatur per subjectum, ut ab illo, diviniùs saltem, nequeat removeri, & alterum informare: ergo illud Accidens per nullum illorum subjectorum totaliter limitatur; proindeque nec Individuum constituitur.

201 Non, inquam, hæc obfunt. Ad *Primum* enim respondetur, quòd quantitas secundùm quòd est quoddam totum integrale constans partibus homogeniis, & ejusdem omninò rationis (quod habet præ cæteris accidentibus speciale) individuatur per seipsam, eò quòd quæ ejusdem rationis sunt, & speciei, individualiter tantùm distinguuntur; secundùm verò quòd est forma, individuatur à subjecto sicut aliæ formæ accidentales: per subjectum enim incommunicabilis constituitur, quemadmodum forma substantialis per materiam primam limitatur.

202 Ad *Secundum* respondetur negando *Majorem, vel Sc-*

quelam. Ad cuius imbibitam probationem dicendum est, quòd licèt illud subjectum sit idem numero materialiter, & in esse entis, non est tamen idem numero formaliter in ratione subjecti: ad hoc enim requiritur connotatio ad idè tempus, quæ per successionem auferitur. Quemadmodum ut perseveret idem numero locus, non sufficit quòd superficies corporis continentis locatum utrumque, seu materialiter perseveret; sed requiritur quòd permaneat cum eadem connotatione distantia ad polos Mundi, & centrum Terræ.

203 Ad *Tertium* respondetur negando Antecedens, quamvis illud aliqui admittant. Eo namque ipso, quòd Accidens per subjectum individuatur, necessariò dicendum est, non posse etiam diviniùs à suo subjecto separari, & in altero poni: esset enim idem numero, & non esset. Esset quidem, ut supponitur. Non esset verò, quia duplex subjectum haberet, à quo proinde duplicem Individuationem acciperet.

204 *Secundo* ex dictis inferes, duo Accidentia solo numero distincta non posse, etiam de potentia absolutà, simul recipi in eadem parte subjecti. Probat, Quia essent eadem numero, & non essent eadem numero; hoc repugnat: ergo & illud, ex quo inferitur. Major quoad primam partem supponitur. Quoad secundam verò probatur. Quia stante eodem principio Individuationis, non potest idem

Individuum non stare ; sed staret idem principium Individuationis, eadem scilicet pars objecti : ergo illa Accidentia non essent duo , sed idem numero.

205 Dices *primò*. Eadem numero causa finalis potest simul finalizare plures actiones, ut quando à pluribus idem bonum amatur. Eadem etiam numero causa efficiens potest simul plures effectus solo numero distinctos producere, ut cum idem ignis causat plures calores in diversis lignis : ergo eadem numero causa materialis poterit simul recipere plura accidentia solo numero distincta.

206 *Secundò*: Positâ relatione paternitatis ad primum filiû, & novâ alterius filii generatione, resultat in ipso patre nova relatio ad secundum filium terminata ; sed hæc non specie , ut constat, sed numero tantum ab aliâ relatione distinguitur : ergo duæ relationes numero tantum differentes possunt in eodem patre simul esse.

207 *Tertiò*. Duo corpora luminosa eidem spatio applicata, causant in ipso duplex lumen ; sed hoc duplex lumen non est duplex specie, sed numero : ergo.

208 *Quartò*. Species visibiles, & intelligibiles Petri, & Pauli numericè tantum distinguuntur ; & tamen illæ in eadem potentia visivâ, hæc verò in eadem potentia intellectivâ possunt recipi : idem ergo quod prius.

209 Ad *Primum* respondetur concessio Antecedenti, negã-

do Consequentiam. Disparitas est, Nam Accidentia non individuantur à causâ finali, vel efficiente ; unde non mirum quòd ab ipsis causentur effectus numericè tantum differentes. Subjectum autem est principium & radix Individuationis Accidentium : quare si subjectum est idem numero , impossibile est, accidentia in ipso recepta, numero tantum differre posse.

210 Ad *Secundum* respondetur negando Majorem, Nam eadem relatione , quâ pater refertur ad primum filium , refertur etiam ad secundum , & alios : terminus enim formalis relationis paternitatis non est filius , ut primus , aut secundus , sed ut filius ; cum autem hæc ratio in omnibus filiis sit una & eadem , una tantum relatio sufficit, quæ ad omnes filios terminetur.

211 Ad *Tertium* respondetur *primò* , juxta ea , quæ diximus Lib. II. Physic. Quæst. V. Art. III. §. II. à num. 384. tunc non produci duplex lumen, sed unicum tantum , partialiter tamen , à duobus illis corporibus luminosis. Ex hoc autem nil contra nos, ut per se constat, inferitur.

212 *Secundò* cum aliis respondetur causari tunc quidem duplex lumen , sed in diversâ parte subjecti ; quod exinde colligitur, quia illa duo corpora luminosa cum non penetrata supponantur, per diversas medii lineas suum lumen effundunt , & in corpore opaco duplicem umbram causant. Ex hoc

autem tantum deducitur, duo Accidentia solo numero distincta, non in uno, sed in duobus subiectis reperiri.

213 Ad quartum respondetur negando Majorem. Nam illæ species non numericè tantum, sed specificè & essentialiter distinguuntur. Et ratio est manifesta. Quia si illæ species in ratione talium specificè & essentialiter non differ-

rent; quod essentialiter representetur per unam, posset representari per alteram; hoc autem est falsum, siquidem species, quæ representat Petrum, non potest representare Paulum; nec species, quæ representat Paulum, potest representare Petrum: species igitur illæ non tantum numero, sed specificè etiam & essentialiter distinguuntur.



QVÆSTIO IV.

DE ESSENTIA, EXISTENTIA, ET SVBSISTENTIA.

ARTICVLVS I.

*Virium Essentia, & Existentia in creaturis realiter distinguantur?*

§. I.

*Quibusdam suppositis, Conclusio stabilitur.*

214 QVÆSTIONEM hanc etiam, propter eandem rationem, quam in limine. Quæstionis præcedentis dedimus, hic subijcimus. Pro quâ Supponendum est primò, Existentiâ creatâ sic communiter definiri: *Est ultimum complementum, vel terminus, quo res ponitur extra causas.*

215 Secundò Supponendum est cum communi Auctorum consensu (uno, vel altero excepto) Subsistentiâ realiter distingui à naturâ substantiali completâ subsistente. Ratio hujus suppositionis est duplex. Prima, Nam quæ realiter separantur, realiter distinguuntur; sed Subsistentia realiter separatur à naturâ, ut constat in Mysterio Incarnationis, in quo Verbum Divinum naturam humanam non subsistentem assumpsit, aliàs non naturâ tantum, sed hominè assumpsisset, quod

est falsum: ergo Subsistentia realiter distinguitur à naturâ.

216 Secunda Ratio est, Quia hæc Propositio, *Humanitas est homo*, est falsa absolutè, etenim homo supra humanitatem addit Subsistentiam; sed si realiter non distingueretur à naturâ, absolutè, ratione identitatis, esset verax ergo realiter à naturâ distinguitur. His erga appositis, circa propositâ Difficultatem

217 Duplex versatur Sententia. *Prima* docet Essentiam creatam realiter ab Existentiâ non distingui. Quam tenent Scotus, Durandus, Valentia, Suarez, Vazquez, & alii. *Secunda* extremè opposita asserit distingui realiter. Est expressa D. Thomæ Lib. 2. de Demonstr. cap. 7. Opusc. 15. cap. 8. De Ente & Essentia, cap. 5. & 6. Quodlib. 2. art. 3. & 4. 2. contra Gent. cap. 52. & 53. 1. p. quæst. 3. art. 4. & alibi passim: quem omnes illius Discipuli sequuntur. Cum quibus sit

218 *Nostre Conclusio*, Essentia & Existentia in creatis realiter distinguuntur. Probatur primò Ratione deductâ ex quintâ, quam adfert D. Thom. loco citato contra Gent. & Quodlibeto citato. Illud prædicatum absolutum, quod de subiecto in singulari accidentaliter, vel contingenter prædicatur, realiter à subiecto distinguitur; sed Existentia est ens abso utum, & accidentaliter vel contingenter de omni Essentiâ creatâ prædicatur: ergo realiter ab illâ distinguitur. Minor constat, Nam soli Deo

competit necessariò existere; unde Exodi 3. proprium sibi nomen imponens, dixit esse, *Qui est*.

219 Major autem probatur *primò*. Nam quod necessariò de re aliquâ singulari dicitur, realiter cum illâ identificatur: ergo quod de illâ contingenter prædicatur, realiter ab illâ distinguitur. *Secundò* probatur Major. Quia ablato à quacumque re prædicato realiter identificato cum ipsâ, res ipsa essentialiter variatur: essentia namque sunt sicut numeri in indivisibili consistentes, quibus quidquid addas, aut minuas, necessarium est, quòd eorum essentiam & speciem è medio tollas; sed existentia auferri potest ab essentiâ, quin essentia varietur (homines quippè possibiles, qui existentiam non habent, ejusdem proculdubio essentia sunt, ac homines existentes: ) ergo quod contingenter de aliquo prædicatur, realiter ab illo distinguitur.

220 Respondent Adversarii negando Majorem, quam pluribus Instantiis conantur falsitatis arguere. *Prima* est, Nam hæc Propositio: *Hæc materia prima est unita formæ*, est singularis, & contingens; & tamen prædicatum non distinguitur à materiâ, cum non uniatur formæ ratione modi realiter ab utràque distincti, ut vidimus *1. Physic. Quæst. VI. Artic. I.* ergo quamvis Existentia contingenter de Essentiâ prædicetur, non colligitur, quòd ab illâ realiter distinguatur.

221 *Secunda* est, Quia Relatio in probabili Sententiâ quorundâ Tho-

Thomistarum reliter à fundamento non distinguitur; & tamen accidentaliter de illo prædicatur, de Petro enim v. g. contingitur dicitur, quòd sit similis Paulo, ut per se constat: ergo. Tertia est: Hæc propositio *Hoc vas est aureum*, est etiam accidentaliter & contingens; & tamen prædicatum non distinguitur à subjecto, aurum nimirum à vase: ergo &c.

222 Quarta est: Hæc Propositio, *Actio est Passio*, similiter est accidentaliter; & tamen Actio nõ distinguitur realiter à Passione, ut diximus III. *Physic. Quest. Vnica, Art. I.* ergo. Quinta denique est. Hæc Propositio *Animal est rationale*, est contingens; & tamen subjectum illius, scilicet *animal*, à suo prædicato, nimirum *rationali*, realiter non distinguitur: idem ergo de Essentiâ & Existentiâ dici potest.

223 Nulla tamen ex his Instantiis Rationem nostram enervat. Ad Primam enim faciliè respondetur, quòd eo ipso, quòd de materiâ esse unitam formæ accidentaliter prædicatur, necessariò dicendum est, prædicatum à subjecto distingui in recto, si unionis modus admittitur; vel in obliquo, pro eo nimirum quòd causat, nempe formam, si prædictus modus non conceditur. Idem dicendum est de fundamento & Relatione. Per quòd constat ad Secundam Instantiam, quæ nil favere potest Adversariis. Idem namque illa prædicata relativa accidentaliter dicuntur, quia habent extrinsecum connotatum

realiter à subjecto distinctum, quòd connotatum adesse, & abesse potest; sed prædicata etiam absoluta, quæ accidentaliter prædicantur, habere pariter debent aliquid realiter à subjecto distinctum, quòd adesse & abesse possit: ergo quando aliquid de aliquo accidentaliter prædicatur, semper realiter à subjecto distinguitur.

224 Dices: Existentiâ habere etiam extrinsecum connotatum, scilicet causam efficientem causantem ipsam Existentiâ: & idem quavis non distinguitur realiter ab Essentiâ, accidentaliter tamè de illâ prædicatur. Sicut propter eandem rationem de materia accidentaliter prædicatur, quòd sit unita formæ, & de Petro, quòd sit similis Paulo, quia nimirum connotant terminos extrinsecos realiter à subjecto distinctos.

225 Contra tamen est primò, Nam Existentiâ creata non connotat terminum vel principium realiter distinctum, quòd ipsa Essentiâ non connotet: nullum igitur habet extrinsecum connotatum, ratione cuius accidentaliter de Essentiâ prædicatur. Probatur Antecedens, Quia Existentiâ creata, quatenus creata est, connotat Deum ut sui causam & principium; sed hoc ipsum connotat Essentiâ: ergo ipsum habet connotatum Essentiâ, ac Existentiâ.

224 Secundò, Quia Existentiâ est prædicatum absolutum non connotans aliquid distinctum, eò quòd est prædicatum in Deo absque tali connotatione reperitum: ergo quando absque aliquâ

reſtrictione dicitur, ut in iſtâ: *Petrus eſt exiſtens*, principium diſtinctum minimè connotatur. Cum ergo Propoſitio ſit accidentalis, Exiſtentia Petri realiter diſtingui debet ab illius Eſſentiâ.

227 Ad *Tertiam* Inſtantiam reſpondetur negando, Minorem, in illâ enim Propoſitione *Vas eſt aurum* importatur figura accidentalis realiter ab auro diſtincta; unde accidentaliter prædicatur. Sicut enim hæc Propoſitio eſt accidentalis: *Aurum eſt vas*, quia accidit auro habere figuram vaſis; ita hæc etiam eſt accidentalis: *Vas eſt aurum*, quia, figuræ vaſis omninò accidit habere aurû pro ſubjecto.

228. Ad *Quartam* reſpondetur negando Majorem. Eo namque ipſo, quòd Actio, & Paſſio realiter non diſtinguantur, illa Propoſitio, ratione idemtitatis, non poteſt non eſſe neceſſaria: licet non verificetur quòd Actio formaliter eſt Paſſio, quia formaliter diſtinguantur.

229. Ad *Quintam* Inſtantiam reſpondetur, concedſâ Majori, diſtinguo Minorem, *Animal* inadæquatè ſumptum à *Rationali* non diſtinguitur, concedo Minorem, adæquatè acceptum, nego Minorem, & Conſequentiam. Ideò namque hæc Propoſitio *Animal eſt rationale*, eſt accidentalis, quia ſubjectum illius eſt terminus communis, de cujus ratione non eſt prædicatum, quia prædicatum realiter diſtinguitur à ſubjecto inadæquatè ſumpto, nempe ab aliquibus

animalibus, *Rationale* enim non eſt quodlibet *Animal*. In ſingulari autem illa Propoſitio eſt neceſſaria, ut ſi dicatur: *Hoc animal* (homine designato) *eſt rationale*. De Eſſentiâ verò, ſive in communi, ſive in particulari acceptâ, ſemper Exiſtentia accidentaliter prædicatur; proindeque ſemper realiter ab illâ diſtinguitur.

## §. II.

*Alia Ratio pro noſtra Concluſione ſtatuitur.*

230. **S**ecundò probatur noſtra Concluſio Ratione deſumpta ex D. Thomâ loco citato 1. p. quæſt. 3. art. 4. quæ poteſt ſub hæc formâ proponi. Si Eſſentia creata ſuam identificaret Exiſtentiam, evaderet ſimpliciter infinita in eſſe entis; hoc eſt impoſſibile, ut per ſe liquet: ergo & quòd ſuam identificet Exiſtentiam. Minor conſtat, Nam ſolus Deus eſt ſimpliciter in eſſe entis, ſeu per eſſentiam infinitus. Major autem, in quâ eſt difficultas, ſic probatur. Potentia, vel actus primus identificans actum ultimû ſui generis eſt in illo genere ſimpliciter infinita; ſed Eſſentia creata eſt actus primus in genere eſſendi, & Exiſtentia eſt actus ultimus in eſſe entis: ergo ſi Eſſentia creata ſuam identificaret Exiſtentiam, evaderet ſimpliciter infinita in eſſe entis. Minor ſupponitur.

231 Major verò probatur *primò*. Intellectus eſt actus primus

mus intelligendi, & intellectio est actus ultimus in eodem genere; sed solus intellectus divinus, qui est simpliciter infinitus, identificat talem ultimum actum, intellectus enim creatus à tali actu realiter distinguitur, ut per se constat: ergo actus primus identificans actum ultimum sui generis, est in illo genere simpliciter infinitus. *Secundò* probatur Major. Actus primus identificans actum ultimum, identificat omnes perfectiones inter actum primum, & ultimum mediantes: impossibilis quippè apparet identificatio perfectionis primæ cum ultimâ, quin detur identificatio cum omni perfectione intermediâ; unde Apocalypsis 1. *Ego sum Alpha, & Omega, Principium, & Finis dicit Dominus Deus: Quasi dicat, Omnes simul perfectiones habere, quia prima illi est, & postrema perfectio; sed perfectiones pertinentes ad genus dicens formaliter perfectionem sunt infinitæ; ergo actus ille omnes has perfectiones identificaret; consequenterque in suo genere esset simpliciter infinitus.*

232 Huic Rationi respondent aliqui *primò* negando Existentiã esse ultimum actum in lineã entis, dicunt enim, hujusmodi ultimum actum non esse Existentiã, sed tantum Subsistentiã. Cum autem Subsistentia realiter distinguatur ab Essentiã, non sequitur infinitas, identificatio enim cum ultimâ actualitate non sequitur.

233 Sed Contrã est. Nam in genere essendi (sicut in quovis altero) debet dari aliqua actualitas ultima; sed Subsistentia non potest esse ultima actualitas in genere entis: ergo Existentiã tantum debet esse ultima actualitas in hoc genere. Probatur Minor. Ultima namque actualitas cujusvis generis communis est omni actui primo talis generis, omnis enim actus primus est actuabilis per ultimam perfectionem sui generis; sed Subsistentia non est communis essentiæ, aliàs omne accidens esset subsistens, subsistere autem soli Subsistentiæ competit: ergo Subsistentia non est ultima actualitas in genere entis.

234 *Secundò* respondent alii concedendo Existentiã esse ultimam actualitatem generis entis; negant tamen ex identificatione ipsius cum Essentiã inferri infinitatem, eò quòd realiter à Subsistentiã distinguitur; ac per consequens limitatur.

235 Sed contra est *primò*. Impossibile est Subsistentiã esse priorem Existentiã, & quòd hæc identificetur cum Essentiã, quin idéntificetur & illa; ergo Solutio hæc non minus est insufficientis, ac præcedens. Probatur Antecedens, Impossibile namque est unum extremum identificari cum altero, quin idéntificetur cum medio inter utrumque: ergo impossibile est, quòd Existentiã sit ultima actualitas idéntificata cum Essentiã, quin etiam cum Subsistentiã, que inter utramque mediat, idéntificetur.

236 Secundò. Quia intellectus prior est in animâ, quam voluntas, optimè arguitur, quòd si intellectus realiter ab animâ distinguitur, voluntas etiam realiter ab animâ distinguatur: ergo pariter, si substantia prior est, quam Existentiâ, & illa realiter ab Essentiâ distinguitur, necessariò hæc quoque est distinguenda.

237 Tertiò respondent alii, Essentiâ creatam, quamvis idemificet Existentiâ, limitari, ne evadat simpliciter infinita in genere entis, quia componitur ex genere & differentiâ. Quâ de causâ talis compositio non potest in Deo reperiri, ut vidimus in Logicâ Lib. IV. Quæst. I. Art. II. & ex Div. Tgomâ probavimus l. p. quæst. 3. art. 5.

238 Sed nec ista Solutio placet: & ideo rejicitur primò, Quia composito ex genere & differentiâ in reali compositione Essentiæ & Existentiæ fundatur: ergo si Essentiâ & Existentiâ realiter non distinguuntur, in illis compositio ex genere & differentiâ non datur. Probatur Antecedens. Nam compositio ex genere & differentiâ est compositio rationis cum fundamento in re: ergo debet supponere rem ipsam constitutam: ergo ipsam debet etiam supponere limitatam: ergo compositio ex genere & differentiâ non est quæ limitationem tribuit, sed quæ limitationem præsupponit.

239 Secundò, Nam, ut loco citato vidimus, ipsi Adversa-

rii contra Angelicum Præceptōrem nō renuunt admittere in Deo compositionem ex genere & differentiâ; & tamen limitationem in Deo non admittunt, nec admittere possunt: ergo, juxta ipsorum doctrinam, ex compositione ex genere & differentiâ limitatio non inferitur: ergo necessariò inferri debet ex compositione reali Essentiæ, & Existentiæ; proindeque ex reali distinctione inter utramque.

240 Denique alii respondent, & frequentius, Essentiâ creatam limitari per ordinem ad causam primam efficientem, à quâ omnia procedunt. vel per ordinem ad Ideam divinam, à quâ omnes res creatæ tamquam à causâ exemplari dependent. Unde ad salvandam limitationem Essentiæ creatæ nō est necessarius (inquiunt) recursus ad compositionem generis & differentiæ, vel realem compositionem Essentiæ, & Existentiæ.

241 Hæc tamen Solutio ex dictis præclusa manet & rejecta. Ratio enim, ob quam Essentiâ creatâ dicit ordinem ad Deum. ut ad primam causam efficientem, & ad Ideam divinam ut ad primam causam exemplarem, est, quia creatura est ens finitum intrinsecè, non autem infinitum: ergo pro priori ad talem ordinem debet creatura intelligi limitata. Sed hæc limitatio aliunde provenire non potest, quàm ex compositione generis & differentiæ, & reali compositione Essentiæ & Existentiæ: ergo non limitatur à tali ordine.



Consequentia constant. Fundamentum enim alicujus ordinis vel respectus prius est tali ordine, vel respectu: ergo prius est creaturam esse limitatam, quam quod dicat talem ordinem vel respectum.

242 Antecedens verò probatur. Ratio enim, ob quam Deus nullum potest respectum dicere ad causam efficientem vel exemplarem, est, quia est infinitus omnem perfectionem includens: ergo è contrà, ratio, ob quam creatura dicit ordinem ad Deum ut ad primam causam efficientem, & exemplarem, est, quia est finita & limitata non identificans omnem perfectionem sui generis.

243 Rursus. Si intellectus creatus identificaret intellectionem, quæ est ultima actualitas sui generis, non diceret habitudinem vel respectum ad Deum ut ad primam causam efficientem, nec ut ad primam causam exemplarem: ergo pariter, si aliqua Essentia creata suam identificaret Existentiam, quæ est ultima actualitas in genere entis, prædictum respectum vel habitudinem ad Deum nõ haberet. Consequentia constat, Tum à paritate rationis. Tum etiam, Quia genus entis, cum sit radix generum ceterorum, perfectius est genere intelligendi, quod est genus ad determinatam lineam coarctatum: ergo si intellectus creatus identificans suam intellectionem, non diceret illam respectum ad Deum, potiori ratione Essentia creata suam Existentiam identificans prædictum respectum

non haberet. Antecedens verò non minus certum videtur, Nullus enim creatus intellectus suam identificat intellectionem, aliàs semper esset actu intelligens sicut Deus.

### §. III.

*Argumentis contra præcedentem Rationem occurritur.*

244, ARGUITUR primo contra præcedentem Rationem. Ex identificatione actus primi cum actu ultimo alicujus generis non arguitur infinitas in tali genere: ergo Ratio præcedens est nulla. Consequentia est nota. Antecedens verò probatur primo. In genere unionis forma est actus primus unibilis, & unio est actus ultimus; & tamè forma identificat unionem, quin ex hoc in formam aliquam infinitas arguatur: ergo idem dici poterit de Essentiis, & Existentiis.

245 Secundo probatur Antecedens. Objectum visibile est actus primus in genere visibili, & actualis terminatio visionis est ultima actualitas, & ultimum illius generis exercitium; & tamè objectum visibile absque aliquâ infinitate identificat actualem terminationem: ergo &c.

246 Si dicatur, unionem esse ultimam actualitatem generis dicentis imperfectionem (& idem de actuali terminatione objecti visibilis responderetur) ex huiusmodi autem identificatione nulla infinitas sequitur. Existentia verò est ultima actualitas generis dicentis for-

maliter perfectionem, ut diximus, & ex tali identificatione sequitur infinitas, ut probabimus;

247 Contra est primò. Nam genus causæ finalis dicit formaliter perfectionem, cum reperiatur in Deo; & tamen causalitas ejus, quæ est ultima illius actualitas, cum ipso identificatur, ut plures Thomistæ docent Lib. 2. Physicorum; ergo actus primus generis dicentis perfectionem potest identificare actum ultimum.

248 Secundò, Nam genus intelligibile est etiam genus dicens formaliter perfectionem, aliàs non reperiretur in Deo; & verbum est ultima illius actualitas; & tamen juxta probabilem Cajetani Sententiam, quorundamque Thomistarum, Angelus in cognitione sui identificat verbum cum suâ essentia: ergo &c. Vide infra à num. 256.

249 Tertio. Verbum est ultima actualitas in genere intelligibili; & tamen identificatur in hoc genere cum objecto, ut aliqui Thomistæ probabiliter docent asserentes ex verbo & objecto fieri unum in esse intentionali, existimant enim ex intellectu, & re intellectà fieri magis unum, quam ex materia, & formà: ergo.

250 Ad primam ex his Replicis respondetur distinguendo Majorem, dicit formaliter perfectionem, si nullum dicat respectum ad aliud, concedo Majorem, si talem respectum dicat, nego Majorem, & admisâ Minore, nego Consequentiam. Causalitas enim

causæ finalis creatæ, si est finis ultimus creatus, est malus essentialiter, & pro priori ad causalitatem habet imperfectionem; & consequenter quamvis illam identificet, non evadet infinitus. Si autem est finis bonus essentialiter, dicit subordinationem fini ultimo, eò quòd est finis intermedius: unde pro priori ad motionem, vel causalitatem intelligitur limitatus. Existentia verò est actualitas ultima generis entis nullum dicens respectum ad aliud, est enim actus totaliter absolutus respiciens tantum Essentiam, à quâ limitatur, quia in illâ recipitur, & cum illâ realem facit compositionem. Unde si ab illâ realiter nõ distinguitur, nullum habet principiũ, per quod limitetur.

251 Ad secundam respondetur concessâ Majore, negando Minorem quoad secundam partem. Verbum enim in Sententiâ Cajetani non est ultima actualitas generis intelligibilis: & ideò, juxta eundem Cajetanum illiusque Sequaces, post identificari cum Essentiâ Angeli, ut docet 1. p. quæst. 27. art. 1.

252 Ad tertiam concessâ Majore, & admisâ Minore (quam omninò falsam judicamus, ut in Libris de Animâ, Deo dante, videbimus) nego Consequentiam, Thomistæ namque adstruentes identitatem intentionalem verbi cum objecto, loquuntur de objecto in actu secundo, & simul docent verbum distingui realiter ab objecto in esse entis, & in actu primo. Unde non

non admittunt perfectam idemita-  
tem inter ultimam actualitatem ge-  
neris perfecti, & actum primum.

253 Dices: Aliqua idemita-  
tas, juxta illam Sententiam, datur  
inter verbum & objectum: ergo  
inter Essentiam & Existentiam ali-  
qua etiam idemitas dari poterit.

254 Respondetur negan-  
do Consequentiam. Quia Existen-  
tia est ens absolutum. Unde si  
ex aliquo capite identificaretur  
cum Essentiâ, totaliter identifica-  
retur: & consequenter nullum prin-  
cipium limitationis permaneret.  
Verbum autem est actualitas res-  
pectiva, seu generis respectivi, &  
secundi generis: & ideò juxta illos  
Auctores potest aliquomodò idé-  
tificari cum objecto, quin totaliter  
identificetur.

255 Secundò responde-  
tur Argumento principali negando  
Antecedens. Ad cujus primam  
probationem neganda est Major  
pro secundâ parte. Unio enim non  
est actus ultimus, vel ultima actua-  
litas respectu formæ, eò quòd for-  
ma non sistit in unione, sed ulteriùs  
ordinatur ad totum componen-  
dum & ad existentiam. Unio au-  
tem tantùm est conditio ad infor-  
mandum, sicut applicatio ignis tan-  
tùm est conditio ad comburen-  
dum. Quare sicut applicatio ignis  
ad comburendum non est causalita-  
s ignis, ita applicatio formæ ad  
informandum non est causalitas  
formæ. Si autem non est causalitas,  
non est ultima perfectio in suo ge-  
nere; ac proinde ex identificatione

illius cum actu primo inconven-  
ès adductum non inferitur. Existencia  
verò est ultima actualitas in genere  
entis: & ideò si identificaretur  
cum Essentiâ, inferretur infinitas.  
Ex his constat.

256 Ad secundam pro-  
bationem Antecedentis, neganda est  
enim Major pro secunda parte, Si-  
quidem actualis terminatio visionis  
non est ultima actualitas objecti:  
nam actualitas propriè perficit id,  
cujus est actualitas; objectum au-  
tem non per hoc, quòd terminet  
visionem, perficitur; unde prædicta  
terminatio non est objecti actuali-  
tas, sed extrinseca tantùm denomi-  
natio à visu proveniens. Constat  
etiam quid sit dicendum

257 Ad Replicas quate-  
nùs huic Solutioni obstare possunt.  
Ad Primam enim neganda est Mi-  
nor. Quia causalitas finis vel est  
actualis motio actûs voluntatis, vel  
actualis illius terminatio; quidquid  
autem horum sit, nec perficit fi-  
nem, nec deservit ad perficien-  
dum intrinsecè ipsum finem: per hoc  
quippe, quòd finis appetatur, vel  
non appetatur, aliquam intrinsecam  
perfectionem nec acquirit, nec de-  
perdit. Actualitas autem ultima  
debet intrinsecè, & non tantùm  
extrinsecè perficere illud, cujus di-  
citur ultima actualitas: & ideò cau-  
salitas finis non est actualitas ulti-  
ma illius. Existencia verò est ulti-  
ma actualitas Essentiæ, ut sæpè di-  
ximus, eò quòd idam intrinsecè per-  
ficit; unde si illam identificaret Es-  
sentia, esset infinita, ut dictum est.

258 Ad Secundam & Tertiam Replicam respondetur negando verbum propriè esse ultimam actualitatem objecti, quia objectum per verbum nec actuatur, nec perficitur, quod, ut sit ultima illius actualitas, postulatur.

259 Contra secundam Solutionem, quam veriore[m] iudicamus, insurges primò. In genere causæ finalis, & in lineâ unibilitatis debet dari aliqua ultima actualitas & perfectio; sed non potest alia designari, quàm causalitas utriusque: ergo quælibet harum causalitatum est in suo genere ultima actualitas.

260 Secundò. Nam quod intrinsecè ponitur intra aliud, intrinsecè perficit illud; sed verbum intrinsecè ponitur intra intellectum: ergo intrinsecè perficit illum.

261 Respondetur ad 1. in genere causæ finalis, objecti visibilis, intelligibilis, & aliorum huiusmodi, dari quidem ultimam perfectionem, non ordinatam tamen ad perficiendum ipsa objecta, sed ad aliud perficiendum & specificandum, eò quòd sunt genera respectiva. Unde tales causalitates non sunt propriè actualitates ultimæ perfectivæ ipsorum objectorum, cum nullam ipsis adferant perfectionem intrinsecam. Existentiã autem est ultima actualitas & perfectio Essentiæ, ut dictum est.

262 Ad 2. respondetur primò, ex illo tantum inferri verbum, vel speciem expressam esse intrinsecam perfectionem intel-

ctus, non autem objecti. Si enim non intrinsecè in objecto, sed in intellectu recipitur, non erit intrinsecæ perfectio objecti, sed tantum intellectus.

263 Secundò respondetur, objectum intelligibiliter perfici per verbum, non secundum quòd objectum est in se, sed secundum quòd formaliter est in intellectu media specie expressa; vel secundum quòd est ipsa species expressa; hoc autem potius est speciem expressam perfici ab intellectu, quàm objectum; siquidem objectum extrinsecè est à parte rei.

264 Tertio dici potest, quòd quamvis objectum intrinsecè uniatur intellectui, ab intellectu tamen intrinsecè nõ perficitur: objectum enim se habet ut specificativum intellectus; specificativum autem non perficitur à specificato, sed potius è converso.

265 **A**RGUITUR secundò: Quamvis Essentia creata suam identificaret Existentiã, haberet adhuc unde posset limitari: ergo infinita non esset. Consequentiã constat. Antecedens verò probatur primò. Nam si illa esset substantia materialis, diceret ordinem ad materiam; sed per ordinem ad materiam limitatur: ergo quamvis identificaret Existentiã, haberet adhuc unde posset limitari.

266 Secundò probatur Antecedens. Prius est quòd accidens respiciat substantiã à quâ desumit speciem, quàm existentiã,

tiam, à quâ speciem non desumit; sed per ordinem ad substantiam limitatur: ergo pro priori ad Existentiâ intelligitur limitatum; ac proinde quamvis identificet Existentiâ, limitatur.

267 Tertiò. Quamvis potentia visiva v. g. suam identificaret visionem, non esset simpliciter infinita, adhuc enim esset materialis & corporea: ergo &c.

268 Quartò. Essentia Existentiâ identificatur cum suâ ipsius Existentiâ; & tamen non est simpliciter infinita: quamvis ergo quæcumque Essentia identificet propriam Existentiâ, non sequitur esse simpliciter infinitam.

Respondetur negando Antecedens. Ad cujus primam probationem neganda est Major. Casu enim, quo illa substantia suam Existentiâ identificaret, nullum diceret ordinem ad materiâ. Et ratio est, Quia eatenus substantia materialis dicit ordinem ad materiâ, quatenus per talem habitudinem constituitur hæc & individua; sed si suam Existentiâ identificaret, esset individua per seipsam: ergo nullum diceret ordinem ad materiâ.

269 Ad secundam probationem neganda est etiam Major. In quâlibet enim re prius debet intelligi ratio cõmunis, quàm ratio differetialis; sicut in homine prius intelligitur esse animal, quàm esse rationale. Cùm autem Existentiâ sit specificativum accidentis secundum rationem communem, substantia verò secundum rationem particu-

larem, prius accidens debet respicere Existentiâ, quàm substantiam.

270 Ad tertiam probationem concessio Antecedenti, neganda est Consequentia. Et ratio est aperta discriminis. Nam potentia visiva, cùm sit in lineâ determinatâ, si identificaret visionem, tantum esset infinita in illâ lineâ. Existentiâ verò est ultima actualitas communissimæ rationis entis, quod intinè transcendit omnes. Unde si Essentia identificaret Existentiâ, esset simpliciter infinita.

271 Ad quartam concessio Maj. & Min. neganda est Consequ. Essentia enim Existentiâ non existit ut quod, sed tantum ut quo; id est, est ipsa ratio formalis existendi. Quando autem aliquid est ratio formalis ut sit aliud, non oportet, quod sit alia ratio formalis ut sit illud, aliàs daretur processus in infinitum. Quare quia relatio est ratio formalis, ut fundamentum ad terminum referatur, & actio est ratio formalis, ut effectus ab agente procedat; ut referatur relatio, alia relatio non requiritur, & ut procedat actio, alia actio non exposcitur. Nec ex huiusmodi identificatione Existentiâ cum suâ ipsius Essentiâ infinitas sequitur, eò quod in Essentiâ, quæ per illam ut quod existit, recipitur; proindeque limitatur.

272 Quod existit verò ut quod, cùm non sit ipsa ratio formalis existendi, necessariò requirit aliud realiter à se distinctum, ut existat, aliàs secum identificaret actum

primum & ultimum in lineâ essendi: quod est esse simpliciter infinitum, ut suprâ arguebamus.

273 ARGUITUR Tertiò.

**A** Quamvis Essentia hominis v. g. uam identificaret Existentiâ, realiter distingueretur à subsistêtiâ; sed hâc distinctione admisâ, daretur principium limitationis: ergo ex idemificatione Essentiæ cum Existentiâ infinitas non infertur. Minor constat, Quoniam in illo casu Essentia esset subjectû receptivum subsistêtiæ; sed enî infinito repugnat esse subjectum receptivum, ut docet D. Thomas 1. p. q. 3. art. 6. ergo admisâ prædictâ distinctione, Essentia esset finita & limitata, non autem infinita.

274 Major autem probatur primò, Quia subsistentia in homine est posterior Existentiâ; sed ex idemificatione cum eo, quod est prius, non infertur idemificatio cum eo, quod est posterius: ergo quamvis Essentia hominis identificetur realiter cum illius Existentiâ, potest realiter distingui à subsistêtiâ. Probatur Major, Nam ultima actualitas prioris generis prior debet esse ultimâ actualitate generis posterioris; sed Existentiâ est ultima actualitas generis entis, quod est prius, subsistentia verò est ultima actualitas generis substantiæ, quod posterius: ergo subsistentia est posterior Existentiâ.

275 Secundò probatur Major. Licet enim subsistentia in homine sit prior Existentiâ, bene potest Essentia hominis identificari

realiter cum Existentiâ illius, & subsistentia inter utramque ut realiter distincta mediare: ergo ex eo, quòd Essentia hominis identificetur cum illius Existentiâ, non infertur à subsistentiâ realiter nõ distingui. Probatur Antecedens, Intellectio prout est dictio, & ipsa ut contèplatio, est una indivisibilis entitas; & tamem verbum, sive species expressa realiter distincta inter utrâque mediat, nam sequitur ad dictionem, & antecedit contèplationem: ergo quavis Essentia hominis realiter identificetur cum illius Existentiâ, poterit subsistentia realiter distincta inter utramque mediare.

276 Respondetur negando Maj. Ad primam illius probationem concessâ Maj. neganda est Minor quoad secundam partem, quamvis ab aliquibus concedatur. Ultima enim actualitas tam ingenere entis, quam in genere substantiæ, est Existentiâ, post quam non est alia perfectio pertinetens ad lineam essendi, ut dictum est.

277 Nec obest, si dicas, genus entis, & genus substantiæ esse duo genera: ac proinde utrique debere suam ultimâ actualitatè convenire.

278 Non, inquam, obest. Respondetur enim, vel quòd sunt duo genera subalternatim posita, id est, quorum unû sub altero continetur; nam ratio entis, nullo respectu ad aliquid extrinsecum habito, intrinsecè contrahitur per substantiam; unde eadem ultima actualitas utrique generi correspondet; Vel quòd ens non est genu distinct-

finctum à substantiâ, nec ab aliis Prædicamentis: nam genus non debet esse analogum, sed univocum; ens autem non est univocum, sed analogum intimè in omnibus transcensum; unde eadem ultima adualitas enti, substantiæque deservit.

279 Ad secundam probationem Majoris resp. negando Antecedens. Ad cujus probationem concessâ Maj. dist. Min. mediat extrinsecè, concedo Min. intrinsecè, nego Min. & Conseq. Licèt enim inter duo realiter indistincta possit aliquid realiter distinctum extrinsecè mediare, intrinsecè tamen mediare nequit; verbum autè vel species expressa extrinsecè tantùm mediat inter intellectiõnem ut est dictio, & ipsam ut est contemplatio, eò quòd verbũ seu species expressa nõ recipitur in intellectu, sed se habent ex parte objecti ut causalitas illius ipsum constituens actualiter intellectum. Subsistentia verò, quæ supponit Essentiam, & antecedit Existentiã, intrinsecè recipitur in Essentiã, in quã etiam intrinsecè recipitur Existentiã. Cumque impossibile sit (ut ex ipsis terminis patet) inter duo realiter indistincta aliquid realiter distinctum intrinsecè mediare; omninò repugnans est, Subsistentiã realiter distinguì ab Essentiã, & Existentiã realiter non distinguì.

280 **A**Rguitur quartò. Licèt Essentia creata idemificet Existentiã, non sequitur esse simpliciter infinitã: ergo Ratio nostræ Conclusionis est nulla. Probatur Antecedens primò Ex duobus en-

tibus finitis non potest unum ens infinitum simpliciter resultare: finitum enim additum finito non facit infinitum, sicut indivisibile additum indivisibili non facit divisibile; sed Essentia creata est finita, & Existentiã creata est similiter finita: ergo quãvis per idemtitatem conjungantur, ex illis unum ens simpliciter infinitum resultare non infertur.

281 Secundò probatur Antecedens. Si daretur a b. do per se subsistens non receptibilis in subjecto, non esset simpliciter infinita, sed tantùm in propriã specie: ergo pariter si Essentia Angeli esset per se existens, non esset simpliciter infinita, sed tantùm in propriã lineã.

282 Tertiò. Angelus intra propriam speciem substantiæ spiritualis est quodammodò infinitus: ergo intra propriam speciem idemificat ultimam actualitatem; hæc autè est Existentiã: ergo ex hac idemtitate infinitas simpliciter non infertur.

283 Quartò. Essentia substantiæ creatæ idemificat actum primũ essendi absque infinitate, ut per se constat: ergo absque tali infinitate idemificat actum ultimum. Prob. Conseq. Nam si substantia creata idemificaret actũ primum proximum operandi, idemificaret actum ultimum, sive actualem operationẽ; hoc autem est impossibile, nam ut docet D. Thomas in 1. dist. 3. q. 4. ar. 2. *Solus (Deus) est, qui non agit per potentiam mediam differentes a sua substantia*: ergo pariter si substantia creata idemificat actum primum essendi, idemificat actum

ultimum, scilicet Existentiã.

284 Respondetur negando Antecedens. Ad primam probationem concessã Maj. & Min. neganda est Conseq. quæ ex Præmissis non infertur. Quando enim unum finitum additur alteri, utranque remanet finitum, & distinctum; unde ex conjunctione utriusque non potest infinitum resultare, quia infinitum debet identificare omnem perfectionem. Existentiã autem si identificaretur cum Essentiã, careret principio limitationis, eò quòd esset actus generis perfecti non receptus in alio, proindeque infinitus, ut Existentiã ipsius Dei. Quamvis ergo Essentiã & Existentiã creata de facto sint finite, in hypothesi tamen quòd identificarentur, essent actus simpliciter infinitus. Quemadmodum licet anima, dona, virtutes supernaturales Intellectus, & intellectio sint aliquid finitum; si tamen anima, dona, & virtutes supernaturales identificaret, & intellectus intellectio-nem, anima, & intellectus essent perfectionis infinite.

285 Ad secundam probationem Antecedentis admissõ Antecedenti, neganda est Conseq. ob manifestam discriminis rationem. Albedo enim pertinet ad determinatam lineam; unde si esset per se subsistens nullum dicens ordinem ad subiectum, à quo limitatur, tantum esset infinita in illã specie. Existentiã autem est ultima actualitas in genere entis, quod ad nullam speciem coarctatur; ac proinde si identificaretur cum Essentiã, esset simpliciter infinita.

286 Ad tertiam probationem concessõ etiam Antecedenti, negatur Conseq. Angelus enim non idem dicitur quodammodo infinitus, quia suam identificet Existentiã, sed quia cum careat omni materiã physicã, & habitudine ad illam, non potest multiplicari solo numero; ac proinde in unico tantum individuo tota perfectio speciei Angelicæ continetur. Si autem identificaret Existentiã, non esset quodammodo, sed simpliciter infinitus, ob sæpè traditam rationem.

287 Ad tertiam probationem concessõ Antecedenti, nego Conseq. Ad cujus probationem concessã Majore, & Minore, nego Conseq. Disparitas desumitur ex iis, quæ diximus II. Physic. Quæst. III. Art. II. Nam si substantia creata identificaret potentiam proximam operandi, specificaretur ab operatione, à quã debet omne principium proximè operativum specificari. Cum verò ex aliã parte nequeat substantia specificari ab accidenti, sequeretur, quòd operatio in illo casu esset substantia; & consequenter substantia creata esset sua ipsius operatio, sicut divina operatio est ejus substantia. Essentiã autem creata, quamvis identificet actum primum essendi, non tamen identificat Existentiã: est enim entitas petens ab actu primo sui generis distingui, sicut intellectio creata petit realiter distingui ab intellectu.



§. V.

*Argumenta contra Conclusionem diluuntur.*

288 **A**RGUITUR Quintò contra Conclusionem. Existèntia non potest realiter recipi in Essentiâ: ergo ab illâ realiter non distinguitur: Consequentia constat. Antecedens verò probatur. Nam si reciperetur in Essentiâ, vel reciperetur in ipsâ ut intra causas positâ, vel ut ponitur extra causas; neutro ex his modis potest recipi: ergo non potest realiter recipi in Essentiâ. Minor quoad primam partem est certa, Essentia namque intra causas est nihil; in nihilo autè nil potest recipi. Quoad secundam etiam constat. Quia Essentia ut ponitur extra causas est existens; sed prout est existens non potest recipere Existentiâ, aliâs id ipsum reciperet, quod haberet: ergo Essentia non recipit Existentiâ prout ponitur extra causas. Major autem probatur, Nam inter contradictoriè opposita nullum potest medium designari; sed esse intra vel extra causas contradictoriè opponuntur: ergo si Essentia recipit Existentiâ, illam recipit ut est intra, vel extra causas.

289 Huic Argumento, cui maximè sudent Adversarii, responderetur ex iis quæ diximus I. Physic. Quæst. III. Art. III. §. II. a num. 209. negando Antecedens. Ad probationem distinguo Majorem quoad secundam partem, ut ponitur extra

causas in fieri, cõc. Maj. in facto esse, nego Maj. & sub eadem distinctione Minoris nego Conseq. Ad probationem Majoris concessâ Majore, nego Min Nam inter esse intra causas, & extra illas perfectè, & in facto esse, datur medium, nempe ipsa via ad existendum, quod non convenit rei prout perfectè est intra causas, nec prout perfectè est extra illas; in hoc autem statu medio Essentia recipit Existentiâ. Quemadmodum materia prima pro priori, quo recipit formam, non est perfectè intra causas, nec perfectè extra illas. Non perfectè intra causas: nam quod perfectè intra causas est, cum nihil in se sit, recipere nequit. Nec perfectè extra illas: quia quod perfectè est extra causas, existit; & consequenter existentiâ non recipit, sed supponit. Videantur quæ loco citato diximus.

290 **A**RGUITUR Sextò: Existentiâ non distinguitur ab Essentiâ ut res à re, vel entitas ab entitate, nec tanquam modus & entitas: ergo realiter ab illâ non distinguitur. Consequentia constat, Non enim potest alter excogitari modus, quo Existentiâ realiter ab Essentiâ distinguatur. Antecedens autem pro primâ parte probatur. Quia Existentiâ est actualis modificatio Essentiæ, ita ut non possit ab Essentiâ separari, sicut sessio, quia est modificatio subjecti sedentis, ab illo separari non potest: ergo quemadmodum sessio non est entitas, ita nec Existentiâ.

291 Pro secundâ etiam parte

parte probatur Antecedens. *Tum*, Quia Existentiâ in Sententiâ probabili est perfectior Essentiâ ; sed Essentiâ hominis v.g. est entitas, & non modus: ergo ipsa Existentiâ non est modus, sed entitas. Patet Consequentia, Quia modus non est perfectior entitate. *Tum* etiam, Quia ut docet D. Thomas *Opusc. 48. cap. 2. Esse Essentiâ & esse actualis Existentiâ differunt realiter ut duæ diversa res.* Et quæst. 7. de potentiâ, art. 2. ad 9. *Hoc* (inquit) *quod dico esse, est actualitas omnium actuum: & propter hoc est perfectio omnium perfectionum.*

292 Respondetur negando Antecedens quoad primam partem. Ad cujus probationem dicendum est, Existentiâ diversissimè modificare Essentiâ, ac sessionem subjectum sedens. Sessio enim modificat subjectum sedens ut quid tenuissimum & imperfectissimum in genere entis, quod modus dicitur; Existentiâ verò modificat Essentiâ ut quid in genere entis excellens, quod *actualitas omnium actuum, & perfectio omnium perfectionum*, ut ex D. Thomâ vidimus, nuncupatur. Quod autem est actualitas omnium actuum, & perfectio omnium perfectionum, non potest esse modus, sed entitas: modus enim est minima omnium realitatum. Nec obest quòd Existentiâ nequeat ab Essentiâ realiter separari, ut hinc non entitatem, sed modum esse convincatur: materia namque prima non potest realiter separari à for-

mâ; & tamen non est modus, sed entitas, cum verè sit substantia, ut ipsa forma.

293

**A**RGUITUR Septimò. Essentiâ ratione sui terminat actionem creativam, cum ratione sui sit aliquid: ergo ratione sui habet esse. Patet Consequentia. Nam actio creativa terminatur ad esse: ergo si Essentiâ ratione sui terminat actionem creativam, ratione sui habet esse.

294

Respondetur distinguendo Antecedens, terminat actionem creativam incompletam, concedo Antecedens, completam, nego Antecedens, & Consequentiam. Essentiâ namque non terminat actionem creativam completam, sed tantum incompletam. Et ratio est, Quia cum esse sit ultimus finis & terminus actionis creative, Essentiâ prout præintelligitur ad esse, vel Existentiâ, incompletè tantum & inchoativè terminat prædictam actionem, quatenus per illam redditur exercitè recipiens Existentiâ. Ex hoc autem non inferitur, quòd Essentiâ per suam dumtaxat entitatem constituitur simpliciter existens: sed quòd terminet actionem productivam ut subjectum recipiens Existentiâ. Quemadmodum materia prima terminat actionem creativam incompletam ad ipsam terminatam, quia non potest, etiam divinitus, sine formâ creari, quamvis realiter à formâ distinguatur. Pariter ergo licet Essentiâ realiter distinguatur ab Existentiâ, non poterit actio creativa ad Essentiâ terminari,

nari, quin ad Existentiã realiter distinctã terminetur.

295 Dices: Per id aliquid constituitur existens: per quod ponitur extra nihil; sed Essentia pro priori ad Existentiã realiter ab ipsã distinctã, per actionem creativã constituitur extra nihil: ergo pro illo priori constituitur existens.

296 Respondetur distinguendo Majorem; per quod constituitur extra nihil Essentiã, nego Majorem, extra nihil Existentiã, concedo Majorem, & distinguo Minorem, constituitur extra nihil Essentiã, concedo Minorem, Existentiã, nego minorem, & Consequentia. Inter esse enim intra statũ purẽ possibilitatis, in quo res est purũ nihil, & statum Existentiã, mediat aliquid, nempe esse actualis & exercitiã Essentiã prout est in viã ad existendum, nondum autem in termino Existentiã. Sicut inter esse materiam primã intra statum purẽ possibilitatis, & statum Existentiã mediat ipsa materia prima ut actu recipiens formã, quam sub hac ratione præcedit. Pro illo autẽ priori non potest intelligi ut existens: ut existens enim intelligatur, debet cõcipi ut posita extra omne causã; sed tunc non intelligitur extra omnes, quia extra causã formalem nondum est: ergo potest aliquid concipi extra statum purẽ possibilitatis, quin intelligitur intra statum Existentiã.

297 **A**RGUITUR Ultimõ.  
Ens participialiter

sumptum dicit Existentiã; sed tale ens est transcendens, quia est analogum. ergo Existentiã identificatur cum Essentiã. Patet Consequentia, Ideo namque, Unitas, Veritas, Bonitas identificantur cum Essentiã entis, quia transcendent illud: ergo &c.

298 Respondetur concessã Majore, distinguendo Minorem, est transcendens ad ens dicens existentiã, concedo Minorem, ad ens nominaliter sumptum, nego Minorem, & Consequentia. Licet enim ens participialiter sumptum transcendens sit, & consequenter analogum ad ens dicens Existentiã, ed quod sub hac ratione reduplicatur Existentiã, & ideò Existentiã est illi essentialis; sicut homo essentialiter est albus reduplicativè ut disgregativus visus; Ens tamen participialiter sumptum non est transcendens ad ens nominaliter acceptum, prout scilicet hoc tantum Essentiã dicit. Et ratio est manifesta. Ens enim, quod est transcendens, de suis inferioribus essentialiter prædicatur; sed ens participialiter sumptum de nullã Essentiã creatã essentialiter dicitur, aliã quodlibet ens creatum essentialiter esset existens: ergo ens participialiter acceptum non est transcendens ad ens nominaliter sumptum.

\*\*\*

## ARTICVLVS II.

*An in eodem composito substantia-  
li dari possint Subsistentiæ, &  
Existentiæ partiæ.  
les?*

## §. I.

*Prima Conclusio statuitur.*

299 **D**icendum est primò, in composito substantiali non dari plures Subsistentias partiales. Conclusio est communis in Scholâ D. Thomæ contra P. Suarez & alios. Et probatur primò ex ipso Angelico Præceptore 4. *contra Gent. cap. 49. ad 10. ubi Neque partes (inquit) alicuius substantiæ sic dicuntur particulares substantiæ, quasi sint per se subsistentes, sed subsistunt in toto: unde nec hypostasis possunt dici, cum nulla earum sit substantia completa; aliàs sequeretur, quòd in uno homine tot essent Subsistentiæ, quot sunt partes.*

300 *Secundò probatur Ratione ex ipso Angelico Præceptore desumptâ. Quia unica Subsistentia sufficit ut compositam subsistat ut quod, & illius partes ut quo: ergo in composito non dantur Subsistentiæ partiales. Consequentia constat: Antecedens verò probatur. Quia impossibile est, quòd aliqua Substantia constituat compositum subsistens ut quod, quin illius partes constituentur subsistentes ut quo: ergo ut partes & compositum*

*hoc modo subsistant, una tantùm sufficit Subsistentia.*

301 *Confirmatur. In Christo Domino non datur nisi unica tantùm Subsistentia: ergo nec in aliis suppositis debent multiplicari Subsistentiæ. Antecedens est Fide certum. Consequentia verò probatur, Tum à paritate rationis. Tum etiam, Nam eatenus Adversarij contédunt debere in eodem composito dari plures Subsistentias partiales, quatenus Subsistentia est modus & terminus naturæ, proindeque debet cum ipsâ proportionari in hoc, quòd sicut natura, quam terminat, est composita ex materiâ & forma, ita Subsistentia debet etiam esse composita, & non una simplex Subsistentia; sed hæc omnia exemplo adducto non congruunt: in Christo namque Domino datur natura composita, & non composita Subsistentia: ergo in nullo supposito debent multiplicari Subsistentiæ.*

302 *Tertiò probatur Conclusio. Ex duabus Subsistentiis partialibus non potest resultare una Subsistentia totalis: ergo in eodem composito non dantur, nec dari possunt plures Subsistentiæ partiales. Probatur Antecedens. Quia ut ex duabus Subsistentiis partialibus resultet una Subsistentia totalis, necessariû est, quòd una illarum se habeat ut actus, & altera ut potentia, unum enim simpliciter nequit nisi ex actu & potetiâ resultare; sed una Subsistentia respectu alterius non potest se habere ut actus, aut potetia:*

tia: ergo &c. Prob. Minor, primò, Nam quæ ejusdem rationis sunt, non possunt ad invicem se habere ut actus, & potentia, quâ de causâ una pars quantitatis non potest alteram recipere, aut informare: ergo una Subsistentia respectu alterius nõ potest se habere ut actus, aut potentia.

303 Secundò probatur Minor, Nam si una Subsistentia posset alteram actuare, aliquem effectum posset illi tribuere; sed nulum potest: ergo nequit alteram actuare. Probatur Minor. Si enim aliquem effectum tribueret, maxime effectum subsistendi; hunc autem præstare nequit: ergo. Probatur Minor. Nam si hunc effectum illi præstaret, illa Subsistentia subsisteret ut quod, quemadmodum quod recipit effectum albedinis, denominatur album ut quod, & quod recipit effectum relationis, denominatur ut quod relatum; sed Subsistentia, cum sit ipsa ratio formalis subsistendi, non potest ab alio à se distincto hujusmodi denominationem accipere, ut constat inductivè per alias rationes formales discurrendo: ergo &c.

304 Tertid probatur eadem Minor. Quia si una Subsistentia alteram actuaret, Subsistentia actuata amitteret rationem Subsistentiæ; hoc autem non est dicendum: ergo nec quòd una Subsistentia possit actuari per alteram. Probatur Major, Nam de ratione Subsistentiæ est esse ultimum terminum in lineâ subsistendi; sed sub-

sistentia, quæ actuaretur per alteram, non esset ultimus terminus, sed potiùs aliquid terminabile, ut per se constat: ergo amitteret rationem Subsistentiæ.

305 Argumenta, quæ contra hanc Conclusionem militant, eadem ferè sunt, ac ea, quæ contra sequentem opponi solent. Quare ex dicendis §. III. solvi possunt.

§. II.

*Statuitur secunda Conclusio.*

306 **S**ECUNDA Conclusio. In eodem composito substantiali non dantur plures Existentiæ partiales. Hæc etiam Conclusio est omnium Thomistarum, & expressa in D. Thomâ 1. 2. quæst. 4. artic. 5. ad 2. sic dicente: *Idem est esse formæ, & materiæ, & hoc idem est esse compositi.* Quod idem alibi sæpè docet.

307 Probatur hæc unicâ Ratione. Ut totum Cælum v.g. & ejus partes sint extensæ, sufficit unica quantitas totalis: ergo ut totum ipsum Cælum, & illius partes existant, sufficiet unica Existentiâ totalis; ac proinde Existentiæ partiales sunt superflua. Antecedens est certum. Quia quantitas totalis est proprietas substantiæ corporeæ: ergo sufficit una quantitas in quâlibet substantiâ totali; sic ut eadem de causâ unicuique sufficit intellectus, unica voluntas, unica potentia visiva, & sic de ceteris potentiis discurrendo: ergo pariter unica quantitas totalis sufficiet in toto composito, quia quan-

quantitas est proprietas illius inseparabiliter illi conveniens, sicut alię proprietates. Consequentia verò probatur. Ideò namque per unicam quantitatem redditur totum Cælum, & illius partes extensæ, quia totum idem est, ac illius partes simul sumptæ; ac proinde non datur realis distinctio, ratione cujus una extensio toti, & alia partibus adaptatur, quæ sunt capaces extensionis; sed partes etiam sunt capaces Existentiæ, & totum idem est, ac ejus partes: ergo unica etiam sufficit Existentiã, ut totum, & illius partes existant.

308 Respondent Contrarii negando Consequentiam, Quia quantitas realiter distinguitur ab entitate totius, & partium: & ideò unica tantum datur quantitas totalis in quâlibet substantiã corporeã; sicut hæc de causã in unico individuo unica tantum datur totalis albedo. Et cum accidentia non subjeçtentur immediatè in partibus, sed in toto composito: compositum autem sit unum; albedo, & quantitas est una. Existentiã verò non est accidens, sed substantia: & ideò potest immediatè materiæ & formæ convenire, præsertim cum Existentiã non distinguatur ab Essentiã. Quare cum materia & forma sint duæ entitates partiales; consequens est, quòd suas etiam habeant partiales Existentiã.

309 Sed contra est primò, Nam ut vidimus Articulo præcedenti, Existentiã creata realiter distinguitur ab Essentiã: ergo So-

lutio hæc falso innitur fundamento.

310 Secundò. Quamvis enim Existentiã sit modus substantialis, exinde tamen non inferitur, quòd immediatè debeat materiæ convenire: ergo non dantur partiales Existentiã. Antecedens probatur primò. Ut enim diximus in *I. Physic. Quæst. III. Artic. IV.* materia prima est pura potentia physica, & Existentiã est ultimus actus physicus, forma verò est primus actus; repugnat autem actum ultimum immediatè convenire materiæ primæ antequam illi conveniat actus primus: ergo materiæ primæ non convenit immediatè Existentiã, sed mediante formã, à quã provenit Existentiã totius, & per quam partes etiam redduntur existentes.

311 Secundò probatur Antecedens. Nam si materia prima suam immediatè habet propriam Existentiã, non potest fieri ex illã & formã unum ens per se compositione distinctã ab aliis compositis; hoc autem non est dicendum: ergo materia prima non habet propriam Existentiã. Minor supponitur. Major autem, in quã est difficultas, sic probatur. Compositio compositi ex materiã & formã constantis major & perfectior est, quàm compositio compositi constantis ex partibus integritibus, & quàm compositio cujusvis compositi accidentalis, illa namque est prima & essentialis compositio, hæc verò accidentalis;

lis, & secunda; sed si materia propriam haberet Existentiã, illa compositio non esset major, & perfectior: ergo talem Existentiã non habet.

312 Probatur Minor. Nam si materia prima cum suã Existentiã & actualitate ordinaretur ad formam, cum quã componit, id ipsum haberet, quod partes integrantes, hæ namque cum suã actualitate ad totum componendum ordinantur: ergo compositio ex materiã & formã non esset major & perfectior, quã compositio integralis, vel quãlibet accidentalis compositio. Consequentia constat.

313 Antecedens autem, præter quã quòd ostensum imbiubiã probatione relinquitur, multipliciter persuadetur. Intellectus enim per se ordinatur ad intellectiõnem, ex quo & ipsã hoc concretum accidentale consurgit, *Intelligit*. Caput, manus, pedes, ossa &c. ad totum hominem integraliter componendum ordinantur. Genus per se ordinatur ad differentias, ex quo, & ipsis, quamvis rationis, vera tamen resultat compositio; & tamen hæc omnia suas habent actualitates, ut constat: ergo si materia prima suam etiam habet Existentiã ut componat, non aliter & perfectiùs, quã enumerata componit.

314 Respondebis, Materiam esse cum suã actualitate partiali & incompletã per se & essentialiter ordinabili ad totum com-

ponendum, quod in aliis compositionibus non contingit. Quod compositio ex materiã & formã est major & perfectior, quamvis suas habeant partiales Existentiãs.

315 Sed contra est. Nam brachium v.g. essentialiter est pars, & essentialiter ad componendum, & integrandum hominem ordinatur; & tamen non est illius actualitas completa, sed tantum incompleta: ergo nulla est Disparitas assignata.

316 Dices, Quòd licet brachium per se ordinetur ad totum integrale, est tamen dabile totum integrale sine brachio; sine materiã autem, & formã totum integrale dari nequit, aliãs materiã & forma non essent totum essentialiter componentes. Unde compositio, quã fit ex partibus integrantes, non est ita perfecta, ac compositio, quã ex materiã, & formã resultat.

317 Sed nec hæc Solutio satisfacit: & ideò rei citur Primò. Nam ratio præcisè, propter quam aliquod compositum est per se & simpliciter unum, non provenit ex eo, quod dependeat à partibus, sed ex eo, quòd una pars ad alteram ut per illam perfectibilis & actualibilis ordinetur: ergo ubi datur eadem unius partis ad alteram ordinatio, dabitur æqualis compositio. Sed non minus per se digiti v. g. ordinantur ad manus, & manus ad brachia, quã materia ad formam, si actualitas & Existentiã non obest, ne materia ad  
for-

formam essentialiter ordinetur: ergo &c.

318 *Secundò*, Quia semel admissò, quòd materia prima habeat incompletam partialemque Existentiã, non potest per formam advenientẽ essentialiter perfici; sed tantum accidentaliter, vel integraliter, sicut manus perficitur per digitos, & brachium per manum: ergo æqualis compositio erit totius essentialis, & totius integralis. Probatur Antecedens, Nam Existentiã non est de Essentiã entis creati, ut vidimus Articulo præcedenti: ergo quòd supponit Existentiã ad perficiendum, non essentialiter perficit: ergo si materia supponitur cum suã Existentiã ad formam, ab illã essentialiter non perficitur; ac proinde non accipit esse specificum & essentialẽ à tali formã, sed quoddam aliud esse, quòd potius debeat integrale vocari. Ne igitur hoc dicatur, Dicendum est, neque materiam, neque formam habere Existentiã partiales, sed unicã tantum Existentiã totum, & illius partes existere.

### §. III.

#### *Solvuntur Argumenta.*

319 **A**RGUITUR *Primò*. Quamvis materia prima & forma substantialis suas habeant partiales Existentiã, potest ex illis fieri unum ens per se substantiale: ergo nullum est in-

conveniẽs in eo, quòd materia, & forma suas habeant partiales Existentiã. Consequentia constat. Antecedens verò probatur *primò*; Nam partes integrales sunt entia in actu, ut per se liquet; & tamen ex illis fit totum integrale, quòd est substantialiter per se unum: ergo &c. *Secundò* probatur Antecedens. Ex duplici actione intellectus, ex actibus scilicet, quibus intelligit Subjectum, Copulam, & Prædicatum, fit una formalis Compositio, quæ in Sententiã probabilis est composita, & unum per se perfectitate compositionis: ergo.

320 *Tertiò*. Ex formã vel naturã totali, Subsistentiã, & Existentiã fit unum concretum substantiale, v.g. homo: ergo. *Quartò*. Ex formã partiali, & formã totali, quæ secundum probabilem Sententiã quorundam Thomistarum, realiter à partibus distinguitur, fit unum ens per se substantiale: ergo ex duplici ente in actu potest fieri unum ens per se.

321 Respondetur, ex duplici ente in actu posse fieri unum ens per se vel integrale, vel accidentale, vel subsistens, & existens; quibus compositis modo imperfectiori convenit ratio compositionis; unum verò per se essentialẽ ex partibus essentialibus constans, minime posse fieri ex pluribus entibus in actu. Hoc enim totum, cum perfectius sit in ratione totius, necessario debet multiplicatione actualitatis excludere. Cum autem materia & forma ad hoc totum com-



ponendum essentialiter ordinentur, non possunt habere partiales Existencias. Per quod constat ad omnes Antecedentis probationes. Nulla enim illarum probat de cōposito substantiali essentiali, sed de aliis. Constat etiam quid sit dicendum pluribus aliis Objectionibus, quæ hîc communiter opponuntur.

322 Sed Replicabis primò. Totum ut resultans ex materiâ, & formâ partiali, & totali est totum essentiali; & tamen tale totum duplicem actualitatem admittit, alteram formæ partialis, & alteram formæ totalis: quamvis igitur detur una Existencia partialis, & alia totalis, quæ sunt duæ actualitates, poterit ex illis fieri unum per se substantiale essentiali.

323 Secundò. *Ex objecto & potentia sit magis unum, quam ex materia & forma*, juxta commune Proloquium ex Commentatore desumptum; & tamen objectum, & potentia suas habent actualitates, ut constat: ergo quamvis materia & forma suas habeant Existencias, poterit ex illis fieri unum per se substantiale essentiali.

324 Tertiò. *Quamvis materia prima habeat Existenciam incompletam & partialem, potest esse pura potentia passiva substantialis respectu formæ: ergo ex illâ & formâ potest fieri unum per se substantiale essentiali. Probatur Antecedens. Nulla enim appa-*

ret ratio, quare materiæ primæ talis repugnet Existencia.

325 Respondetur ad Primam concessâ Majorem, distinguendo Minorem, duplicem actualitatem admittit ratione distinctam, concedo minorem, realiter, nego Minorem, & sub eadem distinctione Consequentis, nego Consequentiam. Forma enim totalis non distinguitur realiter à formâ partiali: nam forma totalis est ipsa forma partialis, non se solâ, sed ut unita materiæ primæ. Hoc autem non obest, ne unum per se substantiale & essentiali resultet: quia non est duplex forma & actualitas realiter adæquatè distincta. Ad instar ergo formæ partialis & totalis concedi potest Existencia etiam partialis, quatenus provenit à formâ partiali, & eadem dicitur Existencia totalis prout convenit toti: quæ quia non est duplex Existencia, non impedit, ut totum sit unum per se substantiale & essentiali compositum. Impediret autem si tam materia, quam forma suas haberent partiales existencias, propter rationes superius assignatas.

326 Ad secundam respondetur distinguendo, vel explicando Majorem, sit magis unum, si intellectus fuerit divinus se ipsum intelligens, concedo Majorem, si fuerit creatus intellectus, nego Majorem, & concessâ Minore, nego Consequentiam. Quando enim Deus seipsum intelligit, tunc intelligens & res intellecta est una simpli-

plurissima entitas magis una, quam id, quod resultat ex materiâ & formâ. Quando verò creatus intellectus vel seipsum, vel aliud à se distinctum intelligit, adest realis accidentalisque compositio inter utrumque, quæ perfectò minor est, quam compositio substantialis, ex materiâ & formâ resultans, nec aliter verum est illud Proloquium, ut in *Libris de Animâ* latius patefiet.

327 Vel potest secundò dici, ex intellectu & re intellectâ fieri magis unum, quam ex materiâ, & formâ, quantum ad unitatem convenientiæ, non verò quantum ad unitatem compositionis. Quia nimirum in intellectu est species, quæ est formalis similitudo objecti; in materiâ autem nihil est, quod taliter sit simile formæ. Hæc igitur ratione potest dici, ex intellectu, & re intellectâ fieri magis unum, quam ex materiâ, & formâ. Ex hoc autè nil contra nos infertur.

328 Ad Tertiam respondetur negando Antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, materiam dicere essentialem & immediatum ordinem ad formam substantialem tanquam ad illi dantem esse specificum, ad quod componendum essentialiter ordinatur. Si autem haberet propriam Existentiâ, non aliter componeret, ac partes integrales, quæ cum suis actualitatibus ordinantur ad totum componendum.

329 Dices: Forma par-

tialis componit totum cum suâ actualitate partiali & incompletâ; & tamen cum partibus integrantibus in ratione componendi non coavenit: ergo quamvis materia habeat propriam Existentiâ, poterit non convenire in ratione componendi cum partibus integrantibus.

330 Respondetur concessâ Majore, & Minore, negando Consequentia. Diversimodè namque forma partialis cum suâ actualitate componit totum, ac partes integrales. Nam forma componit totum prout dicit immediatum ordinem ad materiam quæ est pura & nuda potentia. Partes autem integrales componunt prout suas actualitates important, & ad alias partes, actualitates etiam dicentes, ordinantur. Si ergo materia prima actualitatem & Existentiâ haberet, non aliter cum formâ componeret, quam una pars integralis cum alterâ.

331 Sed replicabis primò. Partes integrales componunt quatenus ex materiâ & formâ componuntur; sed materia, quamvis habeat Existentiâ, non componit quatenus ex materiâ & formâ componitur: ergo non componeret ut partes integrales. *Secundò*. Una pars integralis non recipitur intrinsecè in alterâ; sed forma intrinsecè recipitur in materiâ: ergo quamvis materia & forma suas habeant partiales Existentiâs, diverso modo componunt, ac partes integrales.

332 Respondetur ad I. negando Minorem, Ut enim diximus *I. Physicorum*, Quæst. III. Art. IV. materia prima non potest habere actum ultimum, qui est Existentiâ, absque eo, quod prius habeat actum primum, qui est forma substantialis. Unde si materia componit ut existens, componit ut ex materiâ & formâ componitur.

333 Ad 2. respondetur concessâ Majore, & Min. disting. Consequens, diverso modo componunt, quantum ad receptionem unius partis in alterâ, concedo Consequentiam, quantum ad perfectiorem compositionem, nego Consequentiam. Si enim materia prima propriam haberet Existentiâ, non perficeretur essentialiter per formam, eò quod supponeretur actuata. Unde eo tantum modo perficeretur, sicut perficitur una pars integralis per aliam, vel sicut intellectus intellectuione in ipso receptâ perficitur. Hoc autem non est dicendum, quia distinctio compositionis materiæ & formæ ab aliis compositionibus non salvatur.

334 **A**RGUITUR Secundò. Quamvis Existentiâ sit ultima actualitas, potest multiplicari in eodem composito; ergo dari possunt Existentiæ partiales. Probat<sup>ur</sup> Antecedens primò. In eodem homine possunt dari duo ultimi fines partiales, juxta probabilem Theologorum Sententiâ, ut

quando duobus vitiis disparato tehebentibus peccat; ergo. *Secundò* probatur Antecedens. Operatio intellectus est ultima illius actualitas; & tamen in eodem intellectu dantur plures actualitates, ut constat in Discursu, & in Propositione. dato quod sit composita qualitas, *Tertiò*. Materia prima hominis nequit existere per existentiâ formæ; ergo per propriam. Probat<sup>ur</sup> Antecedens. Quod enim est materiale, non proportionatur cum eo, quod est spirituale; sed Existentiâ formæ hominis est spiritualis, ut ipsa forma; ergo non proportionatur cum materiâ; ac proinde nequit hæc per illam existere.

335 Respondetur negando Antecedens. Ad cujus primam probationem nego Antecedens. Quia ultimus finis peccantis mortaliter est bonum proprium ipsius peccantis, quod est ipsemet peccans; & ideò non dantur duo fines. Vel admissò Antecedenti, neganda est Consequentia. Illi namque fines non ordinantur ad unum substantiale componendum, quod debet esse maximè unum in lineâ compositionis. Unde dari possunt plures ultimi fines partiales; sicut eadem de causâ dari possunt plures actiones in eadem potentiâ, non verò plures Existentiæ partiales. Per quod patet ad Secundam probationem.

336 Ad Tertiam respon-  
detur negando Antecedens. Cujus

ius probatio nil convincit. Quamvis enim anima rationalis sit formaliter spiritalis, virtualiter tamen est corporea: quod sufficit ut materia per illam informetur, & existat. Sicut punctum est indi-

vilibile; & tamen lineam, quæ est divisibilis, terminat. ¶ Alia Argumenta, quæ hîc fieri solent, ex dictis Articulo præcedenti, & loco in *Libris Physicorum* citato solvi possunt.



I N D E X  
R E R V M N O T A B I L I V M  
Q V Æ I N H O C T E R T I O T O M O

C O N T I N E N T V R .

Primus Numerus Folium: secundus Numerum margi-  
nalem designat.

- A**gens non potest agere in sibi simile; quando est omnino simile passio. 163. 683.
- Agens ut agat in passum, major debet esse activitas agentis, quã resistencia passio. 164. 686.
- Agens, ut agat in aliud, quid requirat? Ibid. 687.
- Alteratio quid, & quoruplex? 102. 411.
- Alteratio adæquatè dividitur in simplicem Alterationem, Intensionem, & Remissionem. 104. 420.
- Augmentatio est præexistētis magnitudinis additamentum. 141. 575.
- Augmentatio, & Nutritio, tam ut actiones, quàm ut mutationes essentialiter distinguuntur. 163. 623.
- A**ccidentia effectivè dimanantia à formâ genitâ, licet unad illam in genere causæ efficientis subsequantur, eam tamen in genere causæ materialis dispositivæ præcedunt. 57. 228.
- Accidentia materialia recipiuntur in composito. 202. 91.
- Accidentia solo numero distincta non possunt, etiam de potentia absoluta, esse simul in eadem parte subjecti. 229. 204.
- Actio, Passio, & Motus non possunt secundum se intendi, vel remitti. 111. 447.
- Agens in agendo repetitur. 163. 623.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

tur. 142. 579.

Augmentatio est mutatio continua, & successiva. 150. 616.

Augmentatio prout ab Alteratione, & Nutritione distincta est speciali ratione successiva. *Ibid.* 619.

Augmentatio propria, & rigorosa solis viventibus competit. *Ibid.* 621.

Augmentatio fit secundum omnes illius partes, quod augeatur. 152. 630.

Augmentatio non durat continuè toto tempore vitæ. 153. 637.

Quantum sit viventi temporis designandum pro Augmento, quantum pro Statu, quantum pro Decremento? 154. 639.

Vivens toto tempore, quo augeatur, manet idem. 155. 646.

C

Condensatio quid sit? 156. 650.

Corruptio per se pertinet ad hunc Tractatum. 7. 23.

Corruptio substantialis datur. 71. 279.

Corruptio substantialis est mutatio à motu successivo distincta. *Ibid.* 280.

Corruptio substantialis diffinitur. *Ibid.* 281.

Corruptio substantialis est mutatio realiter à generatione substantiali distincta. 72. 282.

Corruptio substantialis est realis

mutatio, non positiva, & per modum entis, sed remotiva, & per modum privationis à parte rei inventæ. *Ibid.* 283.

Corruptio substantialis nõ est formaliter actio, adhuc mediata, est tamen actio virtualiter. *Ibid.* 285.

Corruptio & Generatio est unica & simplex actio duplicem includens mutationem. 73. 289.

Corruptio quomodo ab adnihilatione distinguatur? *Ibid.* 290.

Corruptio unius quomodo fit Generatio alterius? 75. 299.

Corruptio & Generatio quem inter se servant ordinem prioris, & posterioris? 76. 302.

Corruptio an per se intendatur à naturâ? 78. 316.

In Corruptione substantiali destruitur quæcumque forma substantialis prius in materiâ præexistens. 80. 324.

In Corruptione substantiali nullum accidens eorum, quæ erant in corrupto, perseverat in generito. 89. 360.

D

Densum quid sit? 156. 650.

Dispositio duplex: alia antecedens, alia concomitans. 51. 203.

Dispositio concomitans non concurrat effectivè ad generationem formæ. 52. 204.

Dispositiones antecedentes concurrunt

## INDEX RERUM NOTABILIVM.

currunt in genere causæ materialis dispositivæ ad Generationem formæ substantialis. 53. 207.

Dispositiones antecedentes in composito corrupto receptæ non possunt effectivè concurrere ad Generationem formæ substantialis. *Ibid.* 212.

Dispositiones ultimæ ad formam, licèt ad illam in genere causæ efficientis subsequantur, eam tamen in genere causæ materialis dispositivæ præcedunt. 57. 228.

### E

Elementa aliquo modo manere in Mixto certum est. 176. 736.

Elementa non manent in Mixto ratione cujusdam mediæ qualitatis. *Ibid.* 737.

Elementa non manent virtualiter in Mixto, quatenus formæ substantialis Mixti contineat eminenter formas Elementorum. 177. 742.

Elementa non manent formaliter in Mixto. 178. 745.

Elementa manent virtualiter in Mixto, quatenus primæ quatuor qualitates in illo formaliter perseverant. 180. 758.

Elementum quid sit? 184. 2.

Elementa sunt quatuor, Ignis, Aër, Terra, & Aqua. 185. 8.

Elementis quæ convenient qualitates, & quomodo? 187. 14.

Elementa possunt ex se invicem generari. 190. 37.

Elementum symbolum facilius generatur ex Elemento simbolo, quàm dissymbolo. 191. 41.

Essentia & Existentia in creatis realiter distinguuntur. 232. 218.

Existentiæ partiales non dantur in eodem composito substantiali. 249. 306.

Extensio qualitatis, quomodo fiat? 140. 571.

### F

Forma substantialis se sola non est sufficiens principium individuationis substantiæ materialis. 219. 150.

### G

Generatio substantialis datur. 8. 25.

Generatio communiter sumpta, prout scilicet abstrahit a substantiali, & accidentali, quid sit? 26. 26.

Generatio minus generaliter accepta, quatenus nimirum est substantialis abstrahens à Generatione viventium & non viventium, quid sit? *Ibid.* 27.

Generatio substantialis, prout ad solam viventium Generationem hinc tractatur quomodo diffinienda? 9. 28.

Generatio substantialis est essentialiter mutatio. 10. 23.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Generatio substantialis ut mutatio, realiter à præcedenti alteratione distinguitur. 17. 64.

Generatio substantialis est actio realiter à præcedenti alteratione distincta. 18. 70.

Generatio & Corruptio sunt unica & simplex actio duplicè includens mutationem. 73. 289.

Generatio unius quomodò sit Corruptio alterius? 75. 299.

Generatio & Corruptio quem inter se ordinem prioris, & posterioris seruent? 76. 302.

H

Habitus, qui est Prædicamentum, non intenditur, nec reamittitur. 112. 454.

C

I

Individuationis principium. Vide Principium individuationis.

Intentio ad quæ Prædicamenta per se detur? 108. 432. & 6.

Intentio qualitatum non fit per depurationem à cōtrario. 124. 500.

Intentio qualitatum non fit per adventum qualitatis perfectioris. 125. 502.

Intentio qualitatis non fit per additionem gradus ad gradum, vel qualitatis ad qualitatem. 129. 521.

Intentio qualitatis fit per majorem radicationem in subiecto, quæ major radicatio est eadem ipsa qualitas magis subiecto unita, magisque ex eius potentialitateeducta. 136. 553.

M

Materia est subiectum quo, non autem quod accidentium materialium. 202. 191.

Materia prima quomodò dicitur immediatè disposita, si non recipit immediatè dispositiones. 210. 125.

Mixtio quid sit? 70. 714.

Mixtio potest fieri ex quatuor Elementis. 72. 723.

Mixtio quomodò possit fieri ex liquoribus? 173. 725.

N

Nutritio est aggeneratio partialis substantiæ ad substantiam præ-existentm. 142. 576.

Nutritio, & augmentatio tam ut actiones, quàm ut mutationes, essentialiter distinguuntur. Ibid.

Nutritio est mutatio successiva, & continua. 146. 599.



INDEX RERVM NOTABILIVM.

O

Objectum adequatum horum Librorum est ens mobile motu Generationis ad formam sive substantialem, sive accidentalem. 2. 2.

Objectum Principalitatis horum Librorum est ens mobile motu Generationis ad formam substantialem. *Ibid.*

P

Principium individuationis substantiæ materialis non est hæc-  
ceitas. 113. 140.

Principium individuationis substantiæ materialis non est sola forma substantialis. 216. 150.

Principium individuationis non desumitur à propria entitate substantiæ materialis, nullo alio superaddito. 219. 162.

Principium individuationis non est materia prima se solâ, sed ut signata quantitate, non formaliter inhaerente, sed radicaliter in ipsâ materiâ præhabita. 221. 169.

Principium individuationis Accidentium est subjectum. 228. 196.

Q

Qualitates, quæ non specificantur ab aliquo extrinseco, non possunt secundum se intendi, & remitti, bene tamen illæ, quæ ab aliquo extrinseco specificantur. 113. 459.

Qualitates, de quarum ratione non est indivisibilitas, sive ab extrinseco specificantur, sive non, possunt intendi, & remitti, secus verò illæ, quæ in sui ratione indivisibilitatem important. 121. 483.

Qualitates nõ intenduntur per depurationem à contrario. 124. 500.

Qualitates non intenduntur per adventum qualitatis perfectioris. 125. 502.

Qualitates non intenduntur per additionem gradus ad gradum, vel qualitatis ad qualitatem. 129. 521.

Qualitas intenditur per majorem radicationem in subjecto, quæ major radicatio est e d m ipsa qualitas magis subjecto unita, magisque ex ejus potentialitate educta. 136. 553.

Qualitatis extensio quomodo fiat? 140. 571.

Qualitates quæ, & quomodo convenient Elementis? 187. 14.

Qualitates primæ quatuor. 185. 8.

Qualitates primæ quomodo definiuntur? 189. 26.

Quæ

## INDEX RERVM NOTABILIVM.

- Qualitates primæ quare dicantur primæ? 190. 33.  
 Qualitates primæ omnes sunt activæ, & passivæ. 190. 34.  
 Qualitates contrariæ in gradibus summæ intensis nequeunt, etiam divinitus, simul esse in eodem subjecto. 196. 58.  
 Quando non intenditur, nec remittitur. 112. 454.  
 Quantitas continua non potest intendi, vel remitti. 109. 437.  
 Quantitas discreta non suscipit magis & minus. 110. 443.

### R

- Rarefacto est alteratio per se primò ad qualitatem terminata. 157. 652.  
 Rarum quid sit? 156. 650.  
 Remissio ad quæ prædicamenta per se detur? 108. 432. &c.  
 Reproduci nulla res naturaliter potest. Divinitus autem potest, dummodò talis res non sit successiva. 128. 71.

### S

- Situs non intenditur, nec remittitur. 112. 454.  
 Subjectum aliud inhæssionis, aliud denominationis. 201. 87.  
 Subjectum accidèrium aliud quod, aliud quo. 202. 88.

- Subjectum accidentium spirituum est anima. *Ibid.* 89.  
 Subjectum quo accidentium materialium est materia prima. *Ibid.* 91.  
 Subjectum quod accidentium materialium est totum compositum. *Ibid.*  
 Subjectum inhæssionis Generationis substantialis est materia prima. 41. 163.  
 Subsistentia, seu suppositum non est terminus extrinsecus, sed intrinsecus Generationis substantialis. 33. 131.  
 Subsistentia realiter distinguitur à naturâ substantiali completa subsistente. 231. 215.  
 Subsistentiæ partiales in eodem composito substantiali non dantur. 248. 299.  
 Substantia non terminat motum intensiõis, & remissionis. 108. 432.  
 Substantia materialis non dividitur ab hæccitate. 213. 140.

### T

- Temperamentum quid sit? 193. 46.  
 Temperamentum duplex, *Vniforme*, & *Difforme*. *Ibid.* 47.  
 Temperamentum Difforme duplex, Simplex, & Compositum. *Ibid.* 48.  
 Temperamentum ad pondus nequit dari. 194. 50.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

- Terminus Generationis substantialis *qui*, & *quo*, adequatus, formalis partialis, & totalis quis sit? 31. à num. 121.
- Traçtatus hic meliùs inscribitur de *Generatione & Corruptione*, quàm *De Ortu & Interitu*. 7. 24.
- Virtus instrumentaria, quæ generans ad generandum concurrat, in quo subiecto recipiatur? 54. à num. 218.
- Vivens toto tempore, quo augetur, manet idem. 155. 646.
- Vnio non est terminus quo partialis Generationis substantialis. 34. 133.

Vbi Prædicamentum non intendi-



F I N I S.



INVENTORIS NOMEN

que nec ratione, i. q. 171.  
Vnde videtur, quod  
i. q. 172. et 173. et  
i. q. 174. et 175. et  
Vnde toto tractatu, et  
quod videtur, i. q. 176.  
Vnde non est rationis, que  
i. q. 177. et 178. et  
i. q. 179. et 180.


Tunc in ratione  
i. q. 181. et 182. et  
i. q. 183. et 184. et  
i. q. 185. et 186. et  
i. q. 187. et 188. et  
i. q. 189. et 190. et  
i. q. 191. et 192. et  
i. q. 193. et 194. et  
i. q. 195. et 196. et  
i. q. 197. et 198. et  
i. q. 199. et 200.

V

Vbi Medicamentum non inveni-

# FINIS





60

~~Si non inveni, qua libri p[er]diti non, Hi  
non inveni, aperit oculos, et vide res.~~


~~Indit mihi nomen~~


Indit mihi ~~et~~ nomen  
fr. ~~Luca~~ Calero

Me nomen, meum pono  
Luca librum p[er]dere nolo.  
Si librum meum quae  
Aperi oculos et videris.  
Indit mihi nomen.

M. Manuel Rubio









407

**346**